














Ex leg. Cl. Ep.
Caroli Francisci
de Quarenis



IOANNIS ANTONII CA[illegible]I,

EPISCOPI APRVTINI,

OPERA SELECTIORA.

QVIBVS CONTINENTVR

DE REBVS GESTIS

ANDREAE BRACHII

LIBRI SEX,

CVM VITA PII II, PONTIFICIS MAXIMI, DESCRIPTIONE THRASIMENI, DE INGRATITVDINE FVGIENDA LIBRIS TRIBVS, DENIQVE DE REGENDO MAGISTRATV, ET DE DIGNITATE MATRIMONII, LIBELLIS SINGVLARIBVS.

RECENSVIT

FRID. OTTO MENCKENIVS.

LI[illegible]AE,

APVD IACOBVM SCHVSTERVM.

MDCC.







LECTORI SALVTEM.

Vt nunquam ego cum inepto illo et moroſo hominum genere rem habui, quibus extra patriam prorſus nihil placet, et qui ſua malint ſtercora lambere, quam lautiſſimis aliorum dapibus ingenium animumque paſcere; ita, IOANNIS ANTONII CAMPANI, eruditiſſimi Italorum, quae ſuperſunt monumenta aurea, et ad poſteros commemoranda, quam primum eorum dignitatem ac praeſtantiam inſpexi, facile a me impetraui, vt in manus traderem Germanis meis. Sed poenitet me laboris

mei, ſi eo forſan res ceciderit, vt uanam hoc ipſo gloriam captaſſe, et aliquod inter eruditos occupaſſe nomen, dicar. Non me fugit, quam ſit pretio ea res aeſtimanda leui et exiguo; et aliorum dudum exemplo didici, ingenio ad haec, quae praeſtiti, opus eſſe admodum puſillo, et ſudore nullo prorſus. Quin mihi ipſi riſum mouent, ſi quos uideo interdum alienis laboribus ſuperbire turpiter, omnemque famam ſuam ex ſcriptis aliorum petere, et inter ſuauiſſima ingenii torpentis otia numeroſas Scriptorum cateruas emittere. Quo artificio ii inprimis vtuntur, quibus alia omnia, quam ingenium ſagax et foecundum, natura conceſſit, et ad conatus magnos dedit uirium et facultatis parum. Quos, ceteroquin ita comparatos, vt in obſcuro latere turpe putent, et intra

prae-

praecordia ſentiant effraenem quandam inclareſcendi libidinem, facile patimur, per hos cuniculos in arcem gloriae et honorum inuadere, et imperitae plebis iudicio callide in rem ſuam vti. Mihi uero, quod minime pudet publice hic eloqui, illorum exemplum imitari, et incerta hac lubricaque uia ad immortalitatem graſſari, nunquam in mentem uenit. Etenim de his, quorum opera uetuſtatis ſordibus purgatae, ad priſtinum nitorem redeunt praeſtantiſſimae magnorum hominum reliquiae, ita ego prorſus exiſtimo, rem vtique bonam, et ad futuras aetates omnes longe fructuoſiſſimam, ſuſcipere, quin illud a nobis impetrare facillime, vt ad literarum incrementa haud contuliſſe parum dicantur, at eruditionis magnae, et ingenii nulli ex uulgo dati, fruſtra a no-

 bis

bis laudem expectare. Et, quemadmodum de panno artificiose contexto non tam mercator, qui uendit, quam artifex, qui texuit, laudatur, et aedificium pulcherrime exstructum architecto maiorem, quam his, qui instrumenta et materiam praebuerunt, famam parit, ita callidissimi illi et honeste otiosi alienorum Operum editores non tam suae, quam aliorum, existimationi consulere, et ferendi quidem, forsan laudandi etiam, sed intra eorum, qui ex se ipsis gignunt pulchrum et uenustum aliquid, longe collocandi subsellia uidentur. Neque adeo, quo ipse indignum me fateor, plausum posco; sed, vt nemini inuideo laureolas suas, simili labore furtim ex Helicone surreptas, ita, si, praeter haec ipsa, nihil ego unquam praeclari et eximii perfeci, aut in posterum perfici-

ficiam, ipſe referri nomen meum
inter uiros bonos, quam eruditos,
malo. Quo ipſo rem facere gra-
tiſſimam iis uideor, qui, laudatiſſi-
ma quaeque, et in praeſtantiſſimis
habenda, nihili putare, et palam
proſcindere, natura ipſa edocti,
hoc liberiorem ſe nactos uitupe-
randi occaſionem putant, quo mi-
nus in re ipſa decoris ineſſe atque
gratiae intelligunt. Rudes nem-
pe illi et inficeti homines, qui ma-
lint per omnem uitam ſuam clau-
ſum os gerere, quam laudanda
laudare ſemel, et quibus nugae
et quiſquiliae ſuae auro quouis
cariores habentur, alia aliorum
omnia uix obolo aeſtimantur aut
teruncio. Sed ab his ipſis vt lau-
dari nunquam cupio, et, ſi cupe-
rem, fruſtra cuperem, ita nec re-
prehendi me de facto per ſe bono,
et, ſi non poſt hominum memo-
riam maximo, tamen honeſto,

patiar. Neminem de hoc labore meo praeclare nimis et magnifice ſentire, ſed nec nimis ſordide quemquam et abiecte, uolo. Multum profecto intereſt, vtrum non laudanda praeſtitiſſe, an digna contemtu, et culpanda publice, dicaris. Illud honeſte te uiuere et ſecure ſinit intra parietes tuos, hoc latere te nec volentem patitur, ſed foras exire iuſſum, communi omnium ludibrio exponit. Non me male adeo de te mereri, intelliges, puto, Lector, ſi rationem aequitatis habes. Et, ſi blando interdum ac benigno uultu legis ſcripta aliorum putida et inficeta, in quibus ſuccum neruumque fru-[illegible]a quaeras, ſi, graſſari hos impune per orbis eruditi theatra, et ridendam dare exteris Germaniam noſtram, tolerabilem rem putas, ſi in miſelli et inelegantis ingenii partu inuenuſto ac deformi conatum

pro-

probas, et admurmuratione tua excitandos ad maiora putas homines natura ineptos, et suae imbecillitatis minime ignaros, quidni ego aliqua Lectorum dignus gratia existimer, qui, ab illo inde tempore, quo primum literarum sacris me addixi, illud unice agendum mihi ratus, ne quid loquacitate mea uel molestus sim eruditis, uel damnosus honori patriae, tacere docui, donec aliquando maturescerent, iuueniles musas meas, et, ne turpe cuiquam rusticumue dici posset silentium meum, grauiores interea in mei locum Oratores substitui. Nec fore ex Lectorum meorum numero tam rudis et ignobilis palati vnum arbitror, qui post conditissima CAMPANI fercula crudas et incoctas offas nostras appetat, et diuitiis his paupertatem nostram prae-

praeferat. Optime profecto cum literis actum, optime cum multorum fama, esset, si, quae mihi, eadem illis omnibus mens esset, quibus non satis, est ineptire domi, sed foris et ante oculos omnium insanire, atque iucundum orbi spectaculum facere, in magna laude putatur. Nam, quod adhuc nostro tempore contemta iacet nationibus finitimis, et, quocunque circumspexeris, ignobile nomen habet Germania nostra, non tam doctorum prudentumque hominum paucitati tribuas, quam impune delirantium Scriptorum copiae; et aeternam illi Principi a posteritate gratiam spoponderim, qui lege publica, nec eadem nimis leni, prurientes multorum digitos castigauerit. Me quidem CAMPANI mei, non, cur pudeat, unquam erit; eius quippe uiri, qui non ipse tantum omnium

um

um conſenſu in praeſtantiſſimorum Scriptorum ponendus ſit numero, ſed qui alios etiam hanc eleganter ſcribendi docere artem poſſit. Ita, quum alios id laborare magis uideas, vt perdant literarum decus, quam vt altius proferant, et a barbarie defendant, laudem hanc, ſi qua nempe eſt, ipſe mihi tribuo, quod, quae ſuis iam exſoluta tenebris, in ſolem & puluerem produxi, accommodatiſſima ſint partim ad uſus ciuium meorum publicos, partim ad conſeruandam literarum dignitatem. Hunc tu Scriptorem, in ſublimi iam monumento poſitum, uenerare, Lector; hoc ſapientiae antiquae, et Romani ſermonis, magiſtro vtere, et, quas liberali manu offert, accipe bono animo diuitias. Quem ſi Seculo illo adhuc ſatis ſordido et impolito, in media Italiae barbarie,

rie, uel ingenio, uel exercitatione diligenti, ad ueteris Latii elegantiam masculumque robur tam accessisse prope intelligis; non est profecto dubitandi causa ulla, quin in clarissima hac luce, inter fulgidissima tot scientiarum artiumque lumina constitutus, eorum omnium, quos admiranda sapientiae doctrinaeque exempla aetas nobis vetustior proponit, leuissimo negotio aequaturus sis gloriam. Satis te profecisse in literis, et orationis Romanae facultate, putabis, vbi CAMPANI in dicendo assecutus uim, et quasi senatoriam grauitatem, melleae non expertem suauitatis, fueris. Neque uero is ego sum, qui manibus Tuis excutiam antiquissimos illos Romae septicollis Senatores, admirabiles omnis eloquentiae conditores et artifices, quibus qui carere se posse putat

hoc

hoc noſtro tempore, nae is fallitur multum, et, quarum dulcedinem non ſentit, nunquam Romani ſermonis ueneres et gratias attinget; uerum, ſi uarietatem, et optimorum Scriptorum gratam uiciſſitudinem, amas, ſi, quid ualeat hoc noſtro aeuo ad dictionis uere Latinae elegantiam partim ſtudium continuum, partim ingenii non uulgaris quaedam dexteritas, ipſis edoceri exemplis cupis, denique ſi ueteres imitandi artificium petendum ex recentioribus, iiſque omnium optimis, exiſtimas, vnum ex ſuperiorum temporum memoria CAMPANVM legendum, vnum hunc diligenter manibus uerſandum, vnum prae ceteris tenerrime complectendum, ſuadeo. Nam, ſi in aliis flumen uerborum et numeroſam orationem TVLLII, in aliis neruos et pondera ſententiarum

LIVII, mollem in aliis SALLUSTII dictionem, aut facundiam QVINTILIANI, admiraris; quanto pluris aestimandum eum putas, in quo non harum uirtutum vna aut altera, sed coniunctae omnes atque consociatae eminent, amicissimeque conspirant. LIUIANI sermonis inaffectata grauitate delectaris? *Historiam* CAMPANI *Brachianam* lege, primo hic, vt uides, loco collocatam, quam ipse ille TITVS meus facile agnoscat partum suum, et qua, nescio, an quid magis unquam scriptum Latine exstet, magis quod uetustatem oleat, et aures animosque legentium permulceat. SALLVSTIANOS prae ceteris uerborum flosculos lacteamque vbertatem amas? Iucundissimum ingenii pabulum CAMPANI *de Ingratitudine fugienda* libri dabunt, compositissimi profecto, et, vt pleni praece-

ptis

ptis morum et antiquae uirtutis exquisitissimis exemplis, ita ex ipsa orationis structura, et molli uerborum compositione, singularem ad persuadendum uim habentes. Quibus si vnum *ingratitudinis* uocabulum exularet, quippe barbarum, et delicatis auribus oppido molestum, sed quod ipse SCALIGER *necessarium* dicit *ad significandum id, quod frequentius, quam sol ipse, inuenitur*, uix, quod reprehensione in his dignum iudicarem, quidquam esset. De reliquis CAMPANI scriptis nihil dicam, sed, ut me ipsum, haec legisse, nunquam poenituit, ita nec tibi, Lector, quod certo scio, fructum eorum lectio nullum afferet. Et quid opus his esse commendatione putem, quae parentem suum CAMPANVM agnoscunt, sui ubiquesimilem, et leuissimas aetatis suae labe-

beculas, quibus non nisi raro admodum deformatum conspicias, praeclaris multis eximiisque uirtutibus compensantem. Diu est, quod tuum, Lector, plausum tulere huius maximi Italorum politissimae *Epistolae*, et mirae uenustatis *Carmina*, quibus id effectum est dudum, vt nihil de CAMPANO dici possit tam praeclare et magnifice, quod non iure ipse suo ferre a posteritate uideatur. Et, si, quod laetus animaduerto, continuo haec tuis manibus tenes, si dormire tecum pariter ac vigilare iubes, denique si TVLLIANO illas, haec CATVLLIANO aeuo dignissima putas, non habet, cur minorem sibi de his, quae cura nostra partim iam prodeunt, partim sequentur proxime, a te gratiam promittat CAMPANVS noster. Sunt illa, quod probe te me-

meminiſſe credo, anno Seculi praeſentis ſeptimo a Parente meo, IOANNE BVRCHARDO, prelis Lipſienſibus excuſa; maximo profecto eorum omnium commodo, qui, uetuſtioribus illis *Operum* CAMPANI editionibus, vnde ſcilicet haec nunquam antehac exierant, deſtituti, mellitiſſimis his deliciis non ſine dolore ſummo ſibi uiderant carendum. Et, vt maiores ei, quam forte putes, ſuſcepto hoc labore, ſuperandae difficultates fuerint, quod Codex ille *Operum* CAMPANI, quo vtendum ipſi vno fuerat, Uenetorum formis A. 1502. expreſſus, mendis eſſet prorſus innumeris corruptus, et Augiae ſtabulo commaculatior, vnde factum, vt, niſi coniectura et ingenio, plerisque medela adhiberi nulla potuerit, iamque adhuc quaedam, uix Criticorum acutiſſimo ſananda, uulnera

ſuperſint, *a*) tamen, quum eius rei gratiam a bonis multis iniiſſet, et auidiſſime exceptum Germanis aeque, atque exteris, CAMPANVM ſuum intelligeret, non taedere ipſum laboris coepit, ſed eodem modo, Operum CAMPANI quicquid ſupererat, inueteratis prorſus ſordibus liberare, et in Germanorum aliqua luce collocare, plane ipſi fuerat conſtitutum. At, quum in eo iam eſſet, vt opus, laudatiſſime inceptum, ſed interruptum poſtea, et ſatis diu intermiſſum, tandem, nobis applaudentibus, perficeret, honeſtum hoc conſilium, vt his ſimilia non pauca, quae animo uoluebat olim, mors praematura

a) Sunt haec Parenti, non ſine iniquitatis nota, exprobrata a Biographo Gallo, NICERONIO, in *Commentariorum, ad Uitas et ſcripta eruditorum pertinentium*, quos ad hunc uſque diem edere ſermone uernaculo pergit, *Tomo II* p. 277.

ra intercepit. Itaque, paterna uelut haereditate deriuatam ad me arbitratus hanc prouinciam, vt partim optimi Parentis manibus rem gratam facerem, et huius pie colere memoriam uiderer, partim obſequii mei documenta publica coram iis ederem, quibus auctoribus ipſa haec aggreſſus ſum, ſimulque communem ciuium meorum ſitim reſtinguerem, *Epiſtolis* et *Carminibus* CAMPANI, annos iam fere triginta inter Germanos uerſantibus, nunc demum iungenda duxi ſcripta doctiſſimi Italorum reliqua, id, niſi ſpes mihi falſo blandiatur, hoc ipſo aſſecuturus certiſſime, ne quis, lectis his, fruſtra a me propoſitum Lectoribus nouum hoc limatiſſimae doctrinae et Romanae facundiae exemplum criminetur. Iamque propoſito meo, et tuae ex-

exſpectationi, ſatisfactum ex parte uides; nec, carere te his, quae reſtant, culpa mea, patiar, modo non haec a te faſtidiri, ſed expeti et flagitari ſerio, intelligam. Et, ſi per ſpatii, quo circumſcripſimus nos ipſos, anguſtiam, et ſcriptorum CAMPANI copiam, id licuiſſet, ueniſſent vtique, quaecunque nos debemus politiſſimo huius Itali ingenio, coniuncta iam in manus tuas. Sed non id ſcilicet menſura libri tulit, aequaturi, ſi fieri poſſet, molem *Epiſtolarum* CAMPANI, ab optimo Parente editarum. Non igitur hac uice, niſi *de rebus geſtis Brachii Libri VI*, cum *Uita Pii II, Pontificis Maximi*, nec non *Deſcriptione Thraſimeni, de Ingratitudine fugienda Libris III*, denique *de regendo Magiſtratu*, et *de Dignitate matrimonii*, libellis, in publicum conſpe-

ſpectum prodeunt. Sed ſequentur hac ipſa preſſo pede *Orationes* uariae, eaeque mirae uenuſtatis ſingulae, in quibus CICERONIANAE eloquentiae facile ueſtigia cognoſcas. Implebunt haec ſimiliter, vt *Epiſtolae*, et illa reliqua, quae iam dedimus foras, Uolumen integrum, vt, acceptis his, habiturus ſis *Operum* CAMPANI corpus pulchrum et compoſitum, trium ſpatio Uoluminum incluſum, idque apte, meo iudicio, et ad vſum Lectorum prorſus accommodate. Sed, age, iam de me ipſo pauca. Nam, quod alii multis uerbis, nec ſine cothurno, facere conſuerunt, id breuiter me et reſtricte exequi coram Lectore ſagaci et intelligente conuenit. Quod ad ipſum edendi laborem attinet, non hic, fateor, tantum mihi moleſtiarum deuorandum fuiſſe, quantùm Parenti

olim, ſuis ſordibus *Epiſtolas* et *Carmina* purganti, propterea, quod ſubſidia, quibus in rem meam vterer, comparata mihi plura longe, eademque inſigniora, eſſent. Nam, vt dicendi initium ab *Hiſtoria Brachiana* faciam, eam vt emendatiſſimam hic exhiberem, oppido me iuuit labor GERHARDI IOANNIS HEROLDI HOECHSTETENI, qui librum eleganter doctum anno Seculi XVI quinto et quadrageſimo Baſileae in forma minori, quam octauam uocant, ſatis emaculate edidit, nec non celeberrimi Uiri, LVDOVICI ANTONII MVRATORII, Muſae noſtrae amantisſimi, qui nuper demum huic *Hiſtoriae*, nec ei immerenti, locum dedit in *Scriptorum Italiae Uolumine XIX p. 431*, praeclare ita de ciue nobiliſ-

bilisſimo et vniuerſa Italia promeritus. Hos ego duces ſecutus, et MVRATORIANA praeſertim editione hoc oportunius fidentiusque uſus, quod elimandae illi inſignem opem attuliſſet Interpretatio huius Operis Italica, tentata olim a POMPEIO PELLINO, Peruſino ciue, et A. 1572 Uenetiis uulgata, Hiſtoriam, ſi quid mihi recte blandior, integerrimam et plane incorruptam dedi, talem nempe, cuius non poeniteret profecto, ſi uiueret, Auctorem ſuum. Neque tamen ſolertia hic aut labore mihi opus fuiſſe nullo putes; quin ita potius perſuade tibi, quantumuis in *mendis et erroribus reſtituendis b) uindicandisque* laborauerit HOECHSTETENVS,

b) Sunt haec uerba HOECHSTETENI in literis *ad Philibertum ac Chriſtophorum, Principes Badenſes*, ipſi CAMPANI *Hiſtoriae* praemiſſis.

NVS, quam diligentem etiam hi Commentarii editorem nacti ſint MVRATORIVM, accidiſſe tamen haud raro, vt in vno eodemque errore conſpirantem vtrumque animadverterim, vbi, pro ingenii modulo, nunc perperam coniuncta ſeparanda, nunc, quae incuria ſcribarum exciderant, ſupplenda, nunc, quae alieno loco errabant, in ordinem redigenda fuerint. Nec pauca obueniſſe mihi memini, quae, an ita ſcripta eſſent a CAMPANO, ſubdubitabam mecum, ſed quibus uim inferendam, ne oleas editoris tranſilirem, non putaui. Cuiuſmodi locutiones, aut ſententiae, ſicubi inter legendum te offenderint, aut, his facile carere te poſſe, crede, aut rectiora, ſi quid uales ingenio, ſubſtitue. Quae *Uitae Brachianae* adiuncta habes ſcripta CAMPANI reliqua, non,

non, niſi ex *Operibus* eius, coniunctim editis, innotuiſſe mihi, fateor. Nam, etſi dudum noueram, *Uitam Pii II*, *Pontificis*, Francofurti apud *Egenolphum*, forma quadruplicata, *c*) et *de Regendo Magiſtratu* librum Louanii primum A. 1548 ex officina *Seruatii Saſſenii*, forma minima, *d*) poſtea A. 1618 Coloniae Agrippinae, *e*) ſigillatim prodiiſſe, nunquam tamen ita mihi eſſe felici contigit, vt libellos hos intueri propius, et meis tenere manibus, potuerim. Transſcribenda igitur haec mihi omnia ex ipſis CAMPANI *Operibus* fuere, non quidem illis, quae diximus in Uenetorum officinis excuſa, ſed aliis uetuſtioribus, et ue-

c) Uid. GESNERVS in *Biblioth. p. 383. B.*

d) Uid. *Biblioth. Telleriana p. 362.*

e) Uid. TH. HYDE *Catal. Biblioth. Bodlei. p. 131.*

uenerabili aetate ſua in cimeliorum loco habendis, quin ita hic locorum raro obuiis, vt, qui uiſa ſibi teſtentur, ſint pauciſſimi, nec ipſe in horum numero fuerit olim Parens meus. *Impreſſa* haec *Romae, characteribus Uenetis, per Eucharium Silber, alias Franck, unius ipſius Michaelis Ferni, Mediolanenſis, cura, correctione, et impenſa, Anno Chriſt. Sal.* MCCCCXCV, *pridie Calendis Nouembris,* ultima Codicis noſtri pagina teſtatur. Ingens frontem et magnifice in lignum inciſa campana ornat, quam uerba cingunt ſententioſa, et ad CAMPANI laudem compoſita. Addidit Inſcriptionem Editor:

Pulſa-

Pulsabat solida et toti notissima mundo,
Per coelum et terras fama uagata mea est.
Turbida tempestas rupit me, sola Tyferni
Nubila dum sonitu rumpere posse puto.
Me miseram fului rapiebant frusta metalli,
Et, qui curaret reddere, nemo fuit.
Sed me iterum Fernus uigili sudore Michael
Iam tandem fudit prae pietate meus.

Haec, vltro olim atque liberaliter mecum communicata ab erudi-

tisſimo Uiro, IOANNE ERHARDO KAPPIO, Oratore Lipſienſi, et hoc tempore Academiae patriae Rectore Magnifico, rebus noſtris inter paucos amicisſimo, quam primum accuratius inſpexi, et cum Codice illo *Operum* CAMPANI altero, paullo recentiori, contuli, equidem, in quo diſcrepent haec inter ſe, quantum ad res ipſas, nihil inueni, at, quod ad integritatem literarum, et curam operarum, attinet, Codicem hunc Romanum multis modis praeferendum illi Ueneto, cognoui. Biberunt igitur ex hoc fonte arua noſtra, et, quamuis errorum, (vt nunquam penitus his carent uetuſtiores libri,) non omnino tollendum nihil fuerit, toleraui tamen aequo animo has moleſtias, quippe nihili putandas, ſi cum illis comparentur, quas et Parenti olim

olim deuorandas dederat, et mihi ipſi, ſi hoc nempe vtendum vno fuiſſet, minabatur codex Uenetus. Idque adeo ſi actum a me diligenter uides, ne culpa noſtra gemmae hae Campanae amitterent natiuum et uenuſtum decus ſuum, nec, in Germaniam translatae, alieni ſoli maculas contraherent; iam praeſtitiſſe hoc in loco, quo parum glorioſo Editoris munere defungor, mihi ſatis uideor, nec ipſe a me quidquam, amice Lector, praeterea deſideras. Praeſtiti tamen his ipſis plura, Lector, et tuis commodis, quod ſpero, ſatis inſeruient appoſitae partim ad paginarum marginem notae breues, et dictorum CAMPANI argumenta continentes, a quibus tamen ſeiungendae ſunt nonnullae aliae, in *Hiſtoria Brachiana* obuiae, quippe ex editione Baſileenſi huc translatae, et criticae indu-

duſtriae ueſtigia praebentes, partim notabiliorum rerum Index locuples et copioſus, ad calcem Operis adiectus, cuius utilitatem ſatis cognoſcent ii, qui rerum magis, quam uerborum, in CAMPANO delicias ſectantur. Denique, vt aliorum magis, quam meo, teſtimonio de horum librorum dignitate et praeſtantia conſtaret, horum nonnullis commendatitias MICHAELIS FERNI, primi Editoris, ad Lectorem Epiſtolas praemiſi, quibus lectis, quid cuique libro boni inſit, uel ipſo me tacente, intelliges. Plura non addo, nec, inter uepres et dumeta noſtra te morari, amoeniora iam CAMPANI uireta ante oculos habentem, fas exiſtimo. Age, iam Deorum domicilium, dulciſſimam Campaniam ingredere, et, inter otia iucunda, ſuauitate loci, quantum ſatis eſt, et ipſe potes, fruere.

IOAN-

XVI.

IOANNIS ANTONII CAMPANI,

EPISCOPI APRVTINI,

DE

UITA ET GESTIS ANDREAE BRACHII

LIBRI SEX





ANTISTITI PERVSINO,

IOAN. ALEX. VI.

PONT. MAX. DATARIO OPTIMO,

PERENNI MEMORIAE ET IMMORTALI GLORIAE DICAVIT.

MICHAEL FERNVS,

MEDIOLANENSIS.

Non parua est gloria, Pater Reuerendissime, ei vrbi quum Principi dominari contingit, vnde aliquandò uiri clarissimi, bello, paceque, domi, militiae, prodiere. Communisque prope est cum Principe ciuium etiam demortuorum splendor, et gestorum fama, sicut ea gloria etiam nostra censetur, et nobilitas, quam ex gente nostra maiorum aliqui peperere. Inter Opera, quae praestantissimum illud Campani, Episcopi postea Aprutini, ingenium procudit, quae ego edenda

da meo summo labore, studio bonorum literatorum, suscepi, celebratissima habetur Brachiana Historia, vtpote in qua is omnes eloquentiae neruos qui totus sublimis et excelsus in omni scriptorum genere, fuerat, iam, quum iunior, intendit. Vt plane doctissimus quisque fateatur, nihil ab annis mille citra scriptum maiori gratia, seu stili maiestate quadam et elegantia, seu luce, fide historiae, et rerum gestarum dignitate et magnificentia. In qua res vnius Brachii huius olim, et principis huius tuae inclytae vrbis, cui Pontificem tua Te praestantissima uirtus, nulla suffragiorum mendicatione, propriis uirtutum comitiis, suffecit, complexus, uisus est mihi Qu. Curtium imitatus esse, qui vnius Alexandri Macedonis uitam, bella gesta, uictorias, consilia, dicta, facta, complexus fuit, nisi quod, quum par illi semper incedat, praecellat interdum, nunquam deficiat. Et hoc gratior esse perenniorque potest Historia, quod integra exstat, illa plurima sui parte deperiit. Et Campanus in concionibus, vbi historiae uis tota desudat, uehementior. Uiuidius penetrat, vrget impensius, suadet dissuadetque uelocius, in proponendo uarior, irritando asperior, sedando et dissoluendo aptior et facilior. Summus

mus in delectando, vbique docet, vbique delectat, vbique afficit, semper alacris, grauis, et magnificus, splendore uerborum, et sententiarum grauitate, vbique admirabilis. Vt, quum nec Curtius quidquam, quod in Historia expeti possit, in commendando vno Alexandro posthabuerit, facile tamen deprehendas, interesse plurimum Italo et Barbaro, et gloriae Brachii nihil defuisse, nisi quod illis priscis Seculis nasci non contigit. Quibus quum multi certare gloria cum Alexandro perhibeantur, rerum gestarum magnitudine, felicitate, et successu, pauci etiam anteponantur; Brachius quidem, et is aliquanto etiam interuallo, anteponi potuisset, quod nec maiori militum numero pauciores pugnas obiuit, nec minoribus cum Regibus praeliatus, tenuiores copias fudit, deleuitque. Vbi hoc ad gloriam accedit, quod in media Italia, quum res bellica floreret, pugnacissimos contra imperatores semper uictor exstitit, uictus, nisi in morte, nunquam fuit. Hanc ego tanti Principis historiam cui dicarem, dubium me plura diu detinere. Et erant tam magnifica gesta Principi dicanda, et, cui dicanda, integrum non erat. Tua religio, tua sanctissima uita, a sanguine et bellico fremitu aliena, tam natura, quam moribus, et

uitae instituto, pium aliquid ex adytis diuorum, et de sacris penetralibus, exposcebat. Vicit me gloriae cupiditas tuae; expugnauit illa ipsa in Te, tuamque Perusinam vrbem, disciplinarum altricem, deuotio. Quasi nefarium me piaculum committere sentirem, nisi, quod vnum non multis ante Seculis florenti illi et imperio maximae affulsit, afflictae iam, et factionibus detritae, vrbi, lumen intra principes suos continerem, et iucundiorem sub tuo numine ciuibus tuis magnanimi olim Principis sui lectionem redderem, Teque huc immortalitate, cui semper labores omnes meos, fortunas, sanguinem, uitam, deuotas habui, apud ciues tuos condonarem. Fuere etiam complura, quae me in hanc sententiam et allexerunt, alia, et confirmarunt. Nam, si paullo accuratius poteris hanc Historiam percurrere, fuit hic genti tuae deditissimus, vt pro his asperrima bella gesserit, et denique pro illorum imperio stabiliendo opes, sanguinem, uitam, non uouerit modo, sed uel etiam effundere non pepercerit. Quotus enim nationis tuae hunc non summa ueneratione, ne Te modo dicam, non prosequetur, quo constet, Alfonsum Aragonensem, Regum, qui vnquam in Italia regnarint, pace belloque clarissimum, cuius ne-

nepotem, alterum Alfonsum, atque alterum Ferdinandum, pronepotem, hoc anno tantis uestris periculis aduersus Gallorum tempestatem defendere annixi patrio quodam studio estis, cariorem neminem habuisse, et cui maiori fide se, exercitum, imperium, fortunas, uitam denique ipsam, cognouimus commisisse. Huius ille uirtute in regnum appulit, huius industria, uigiliis, labore, studio, pacatissimo regno potitus. In hunc vnum quum sanguineas acies cruentus Mars concitaret, quum non tam de imperio, quam de salute et uita, dimicaretur, securus quiescebat. Hunc in regiam stirpem adsciuit. Huic Capuanum principatum tradidit, et praeclaris et immortalibus beneficiis affecit. Porro cui non iucundum et plenum summae uoluptatis esset, illas Thebas, Athenas, Megaras, illam Corinthum, Lacedaemonem, Babyloniam, Macedoniam, nouo Principi perlustrare, et pro religione quadam, suspenso pede, tantorum memoria ducum peragrare, et quaerere, qua in vrbis parte ille Epaminondas, ille Agesilaus, ille Alcibiades, ille Themistocles, ille Cyrrhus, ille Alexander, uiui consedissent; quo in loco Senatus haberetur; illi effigiatores, illi exactissimi naturae expressores diuersarentur. Sentio iam mecum

illam mirificam cordis titillationem, ſolidamque delectationem. Hanc Hiſtoriam quum legeris, quoties aut negotium eo Te poſtulabit, aut ſecedendi uoluptas alliciet, vbi illos Bartolos, illos Baldos, illos Angelos, illa legum ſcrinia, et Iurisconſultorum vberrima pectora, gymnaſium omne, euolueris, Academiam omnem percenſueris, vbi augusta moenia perluſtraueris, fidem Peruſinorum, robur et uetuſtatem, contemplatus eris: quaeres poſtremo, niſi quod magis autumo, inprimis, vbi illa alta Balionum domus, in qua tum celebre Brachio inſonuit praeconium? Vbi felix illa tellus, quae Brachium ipſum, tantum imperatorem, ſuſtinuit? Quibus altus in aedibus? Quo ſub tecto tanti Principis uita peracta? Aderunt cani ſenes, qui a progenitoribus fide integra hauſerint omnia, recenſebunt ſtupido Tibi anguſtias imperii Peruſini auctas, et vnius huius uirtute, conſilio, et robore, amplificatas. Quae Tibi expreſſior, quae optatior, poterit contingere uoluptas? Ego Tibi ſemper, neſcio, quo ſidere, propenſiſſimus fui, Te colui, Te Numinis inſtar habui, obſeruaui. Cum haec mecum cogitaſſem, non potui equidem hanc non Hiſtoriam, ex qua tantam conccepturus eſſes cum tuae gloriae recognitione delectationem,

par-


parvum quidem munus, sed quo nihil inops, qui sola uirtute nitatur, praestare maius possit, dedicare. Tu, cuius ingenium vnicum est, quo totus obstupeat orbis, qui nunquam rerum magnitudine, sicut nec ille quidem Brachius olim, frangeris, si non bella, sanguinem, caedes, bellicosissimi Ducis probabis, ingenium tamen illud Campani nostri, proditum ad lumen et gloriam seculorum nostrorum, qua soles praeclara omnia, complectere. Cerne saltem, quibus praeesse Te dederit uiris, cui, et quam gloriosae, ciuitati, Deus. Et, quum per otium leges, tui addictissimi mancipii, Michaelis, qui in Te totus uiuit, didiceris memor esse. Uale.

Ad Eundem:

Desine mirari ueterum iam denique pompas,
Fortunas, animos, praelia clara Ducum.
Non minor en nostris uirtus et gloria; par est
Pectoris ingenium, corpore robur idem.
Quantus Alexander, quantus uel Cæsar in orbe,
Tantus et in Latio Brachius iste fuit.

Non

Non contra Reges, populi, non Roma, nec vrbes,
Uix contra soli praeualuere Dei.
Inuictus semper prostrauit cuncta, nec vni
Francisco puduit succubuisse Duci.
Ille uiros inter nostros, mortalia certe
Inter nec fuerat corpora, Diuus erat.
Aspice sed, quanto nitidus splendore peregit
Noster Campanus, qua quoque cuncta fide.
Audio, quum diuina fuit facundia, dices,
Historiae cunctas hic habet unus opes.



IN LIBROS

DE

VITA ET GESTIS ANDREAE BRACHII,

IOANNIS ANTONII CAMPANI

PRAEFATIO.

Laus eorum, qui aetati suae consulere conantur.

VItam & res gestas BRACHII scripturus, si nihil aliud, hoc certo spero me assecuturum laudis, quod aetati consulere conabor meae. Nam, quid alii sentiant, nescio: mihi quidem illud inprimis videri solet honestissimum, qua quisque natus sit tempestate, eam omni cura efficere praeclaram, &, quo maxime potest, studio, aut factis, aut dictis illustrare, nec pati eos occidere, qui summa ope, ut immortales sese facerent, studuerunt. Nec est, in quo magis accusari negligentia nostra possit, quam si, quae tempora nos in lucem ediderunt, ea nos incognita praeterire, & abdita iacere in occulto, plus quam ingrati,

 patia-

patiantur. Ut enim anni vices poma, sic aetates ingenia suo decori atque ornamento pepererunt. Nec tempus ullum fuisse censeo, in quo & qui gerere praeclaras res, & qui gestas scribere possent, natura abunde non tulerit, alteros ut tanquam meterent gloriae segetem, alteros ut horreo penuque repositam instruendae posteritati, tanquam familiae alendae, reservarent. Nullum enim iucundius est animi alimentum, quam memoria gestarum rerum: qua qui careat, is neque imitari praeclara majorum possit facinora, & veluti novum quendam ejectus in orbem, rudis omnium rerum imperitusque versetur, nec maximam ac certissimam naturae suae partem dignitatemque respiciat. Siquidem praesentia brevia sunt, evanescuntque uno ictu oculi: futura vero, nulli mortalium explorata. Sola, quae praeterierunt, & certa sunt, & in immensum repetuntur: ut tam diu fuisse quis in vita, quam longe repetere praeterita videatur. Sensu enim hominis vita, non spiritu est metienda. Sed, cum tanta sit magnitudo rerum aetate nostra mari terraque in Italia gestarum, ut exercere vel summa possint ingenia, feci, quod solent, qui in hortos aut rosaria admissi, quia cuncta pudet, pauca quidem illi, sed tamen pulchriora, decerpunt, & graviora suscipere etiam ipsis molestum est, quae feruntur. Tum hic mihi unus visus est, non modo quem nostris homi-

Cum animi iucundius alimentum non sit, quam memoria gestarum rerum;

ipse Autor res gestas Bra-

hominibus anteponerem, sed quo iusta acie cum vetustate certare posset aetas nostra, si modo, ut homines, sic etiam tempora considerentur. Quem enim ex omni antiquitate reperies, nullius ope atque auxilio fretum, eo imperii gloriaeque pervenisse? Veterum alios patria atque avita extollebant regna, aliis civitates & respublicae stipendia, commeatus, delectus, suppeditabant. Plerosque domi literis atque otio deditos favor populi repente ad militiam emittebat, (quasi idem esset gladio certare, quod lingua, idem foro moderari, quod acie,) qui si magna peperere imperia, non tamen uno seculo, non uno privatae opis duce, tantum accessionis est factum. Nam & magnis copiis, & multos annos, vel circa unam haerebant urbem: huic omnia contra; militiae & labori deditum virtus militem, eadem imperatorem effecit: & patria nudus ejectus, intra paucos annos, parva manu, totam aut domuit, aut agitavit Italiam. Nec est, quod vetustatem accusem, sed nostros interdum homines priscis comparo: quos, si jure id facere possem, cur non libenter etiam anteferrem? Quo magis eos demiror, qui vetera consectati, dum aliena colerent, sua inculta desertaque reliquerunt. Sic probant, quae non viderunt: quae viderunt, tanquam neglecta improbataque praetereunt. Nam pauci sic perieiune complexi sunt Italiae gesta, ut desiderium nobis, non

chii scriptis exponere in animum induxit.

In morem eorum, qui non nisi vetera consectantur, graviter invehitur.

non notitiam, reliquiſſe videantur: quorum ſublimia & praeclara ingenia, niſi quod alienis invigilarunt, etiam in hoc ipſo ſcribendi genere veteres aequare potuerunt. Nec tamen illorum me magnitudo deterrebit. Spero equidem, ut ſenes puerorum ſolent ludos, ita illos mea haec acerba atque immatura rudimenta, ſumma cum delectatione, nulla cum invidia, ſpectantes, errata aetati, cetera induſtriae daturos. Et fortaſſe in hoc quoque pueros imitati ſumus, qui, pro laudis aemulatione, graviora, quam ferant humeri, ſuſcipere onera conſueverunt. Ut cunque tamen futura res eſt, magno accedemus animo ad res geſtas tanti Viri perſcribendas: qui ſi annum quintum, ante me natum, eſt mortuus, tanto nos magis adulandi vacabimus ſuſpicione. Et qui eius gerendis rebus interfuerunt, ita eas memoriter ſolent enarrare, ut ipſe quoque mihi, qui nondum eram, videar interfuiſſe. Nonnulla tamen, quanquam certi erant autores, quia ſuperare fidem videbantur, ſponte noſtra praetermiſimus, ſatis haec futura arbitrati, quae tanquam illius clariſſimi Viri primitias noſtrae aetati redderemus, ſimulque ut ceteros pari ſpe aut immortalitatis, aut, ſi hoc nimium eſt nobis, certe diuturnitatis excitaremus ad gloriæ decus.

Omnem adulandi ſuſpicionem a ſe ſtudet removere.

Omnia ea praetermittere conſtituit, quæ fidem ſuperare videantur.

IO. ANTONII CAMPANI EPISCOPI APRVTINI, DE VITA ET GESTIS ANDREAE BRACHII, PERVSINI, ITALICAE MILITIAE IMPERATORIS OLIM STRENVISSIMI,

LIBER PRIMVS.

Origines Familiae Brachiorum.

Brachiorum familiam, sunt, qui in Barchinos Carthaginenses referri velint, autoremque originis fuisse Hannibalem, quod neque a vetustate generis, & magnitudine gestarum rerum, neque a nominis similitudine dicunt abhorrere: nam, & a Barchinis Brachios potuisse dici, & vulgus aliquid, ut solet in tanta diuturnitate temporis, intercidisse putant. Sed res est perobscura, & quæ non modo in aetates multas, sed supra ipsam pene vetustatem, repetatur. Quocirca mihi neque affirmare est in animo, propter tam longam antiquitatem temporum, diversitatemque regionum, neque negare. Illud satis constat, a forti ac robusto eius familiae viro, cui primo id inditum nomen, forte Brachios appellatos, eosque Perusiae multis iam seculis nobilitate atque opibus claruisse, principemque civitatis tenuisse locum. Hoc, non opinione solum iam insita & inveterata, sed certissimis eius urbis, vetustissimisque annalibus, comprobatur, extitisse

ex ea familia multos foris domique claros viros, qui partim militaribus dediti ſtudiis, partim reipublicae regendae intenti, non parvam ſibi ac ſuis poſteris gloriam pepererunt. Extant enim monumenta maiorum, quae, etſi non accurate magnificeque ſcripta ſunt, continent tamen aliquid, quod legi poſſit, & ſunt cognitione digniſſima, iis praeſertim, qui non tam ſcriptorum elegantiam deſiderant, quam notitia delectantur antiquarum rerum. Sed Peruſinum imperium haud ſane ſtabile fuit: quippe nunc optimates gerebant rempublicam, nunc plebeii, ſuis uſi viribus, invadebant: & civitatis regimen non aequitate & moderatione, ſed vi atque armis, quaerebatur; qui victores fuiſſent, victos alios caede, alios exilio mulctabant. Plebeiis rempublicam obtinentibus, multi ex ea familia caeſi, plerique in exilium pulſi; contra vero, cum ad optimates perveniſſet imperium, plebeiis magna ex parte civitate ejectis, paucis etiam trucidatis. Forte Brachiorum autoritas atque opes ſummae habebantur: illi magiſtratus gerere, legationes obire, & cum paucis civitatis ſtatum defendere ſolebant: finitimis quoque regionibus magni atque inclyti. Etſi ſcio, me non de vetuſtate generis & ſplendore maiorum, ſed de unius

Nativitas Brachii. BRACHII geſtis, dicere inſtituiſſe. Naſcitur BRACHIUS Peruſiae, Calendis Juliis, anno religionis noſtræ milleſimo trecenteſimo ſexa-

ſexageſimo octavo, patre Oddone, viro inprimis claro, matre autem Jacoba ex vetuſtiſſima Montemelinorum familia: ut, utrum genus nobilitate præſtaret, plane eſſet incertum: potentius tamen paternum habebatur. Tradunt, Andreæ huic primum fuiſſe nomen; mox, propter ingentem conceptam ſpem, gentili nomine Brachium appellatum: parentem vero, qua die natus eſſet, ad Mathematicos detuliſſe, conſuluiſſe, quid puero boni malique portendi arbitrarentur, reſponſumque, in ſummum & aetatis ſuae clariſſimum bello virum evaſurum. Hinc maiore cura ac ſtudio educari coeptum: hinc paedagogos, qui & incorrupte cuſtodirent, & prima literarum praecepta traderent, adhibitos eſſe. Interea, mortuo patre, pueritiam ſub matris tutela egit, nec minore cura inſtructus, jam tum magnitudinem animi ultra aetatem oſtendebat: nec, quibus ceteri adoleſcentes, deditus voluptatibus, ſed equitandi, ſaltandi, currendi, ſtudiis intentus, corpus per varios labores exercebat. Traductus Montonum, paterni iuris oppidum, mirifice ſibi oppidanorum animos conciliavit. Sed nata ex virtute (ut fit) invidia, qui alterius erant factionis, (nam hic quoque erant ſimultates) tendere in eum ac duos natu grandiores fratres inſidias coeperunt: quae cum parum procederent, aliam aggreſſi viam, fraternas diſcordias ſerere. Sed, cum

Mathematicorum de eodem præſagium.

Adoleſcentis inſtitutio.

Inſidiae ei ſtructae.

cum nec eae quidem processissent, omnia intestina seditione agitare, manifestas odii faces popularium animis iniicere conabantur: maxime eius adolescentis virtus, ut amicos ad favorem, sic inimicos ad invidiam & maturandum facinus armabat. Res ad tumultum venerat. Fratres primum consilii inopes, sedare eam rem, omni, qua possent, aequitate & moderatione tentaverunt, sed, inimicis noctes ac dies ad juvenum perniciem tumultuantibus, primus BRACHIVS arma cepit, vel iussu fratrum, qui aetati magis imputari facinus volebant, si quid accidisset, vel quod illi magis populus fauebat; sic, clientum collecta atque armata manu, alterius factionis principes, autores seditionis, diversa via adortus, duos medio in foro obtruncat: tertium, qui Perusiam forte perrexerat, eadem illa die in itinere revertentem excepit, atque sua ipse interfecit manu. Quieta res post haec ab tumultu fuit, omnium animis in ejus adolescentis spem erectis. Sed, cum iam matura militiae videretur aetas, decimum octavum natus annum, vel quod fata eum ad majora vocarent, vel quod animus natura magnus nihil existimaret otio turpius, non amplius domesticis deliciis vires emolliendas, sed tentandam rei militaris fortunam, constituit: quo maiores suos, quorum praeclara facinora memorabantur, aut aequaret gloria, aut, quod magis cupiebat, anteiret. Sic ani-

animum ad maxima quaeque paratum, incertum tamen, quo potiſſimum intenderet, variis conſiliis agitabat. Sed, cum per id tempus inter Ariminenſes & Feltranos bellum eſſet exortum, Montono ſub matris ac fratrum imperio relicto, perexiguo comitatu in Feltranorum caſtra conceſſit: illi perbenigne acceptum 15 equitibus praefecere. Hoc primum eius ſtipendium fuit, quod non tam virtute, cuius nullum adhuc foris extabat exemplum, quam generis nobilitate, adeptus eſt. Adeo nobilitas ipſa, neſcio quid magnum, etiam tacita, pollicetur. Nec multis poſt diebus, cum acrius inſtaret bellum, gloriae cupiditate incenſus, maius aetate ac viribus opus aggreſſus eſt. Non procul a caſtris oppidum Forum Sempronii Ariminenſium praeſidio tenebatur, quod non ſolum armis, ſed etiam ſitu naturaque munitum, Feltrani capere non poterant. Hic BRACHIVS, ſuis appellatis militibus, paucis etiam adjunctis alienis, hoſtilem agrum excurrit, magnaque pecorum coacta praeda, compluribus etiam captis agreſtibus, laetus in caſtra revertebatur: tum vero, qui oppido praeſidebant, a fronte ſtatim, atque a tergo ex occulto, adoriuntur; oppidani quoque ſuos adiuvabant, & clamore pugnantem hoſtem ſaxisque territabant. Ingens hic oritur praelium; illos pudor atque ira, hos periculi magnitudo ſtimulabat. Vicit tamen multitudo paucitatem:

Primum eius ſtipendium militare.

Excurſionem faciens,

&,qui praedam egerant, fusi fugatique terga verterunt. BRACHIVS, multis acceptis vulneribus, ab oppidanis morienti similis capitur: nam, inter cetera vulnera, & medio pectore traiectus erat, & alterum telum ad alteram partem humeri penetraverat. Oppidani, quem pugnantem non poterant, captum interficere cupiebant, non tam mortem, (quam non multo post putabant futuram) quam mortis accelerationem quaerentes. Cessit tamen immanitas avaritiae, quippe, dicente illo, si se vivum servassent, duo millia nummum accepturos, tandem vitae pepercerunt. Interea, qui terga verterant, ut est fortuna belli, praeter spem resumptis animis, tanto conatu referuntur in hostes, ut impetum illi sustinere non possent: atque ita perterriti, BRACHIVM multis confossum vulneribus reliquerunt; exceptus statim a suis, & reductus in castra, magna cum diligentia curatus, tanto periculo praeter spem omnium liberatur. Nec multis post diebus, cum eundem agrum popularetur, cervice vulnus accepit, quo laevum contractum latus diu mansit immobile: sed aetate fretus & Medicorum diligentia, post aliquot menses movere brachium coepit; illi fomenta, illi balneas, illi omnia genera medicamentorum adhibebant, quo reliquo lateri sensum motumque restituerent; brachio autem libere laxato, cruri quidem penitus mederi nequiverunt, sed tamen, non solum

capitur a Feltranis, graviter vulneratus.

Suorum virtute in libertatem vindicatur.

Novum, idque gravius, inter depopulandum vulnus accepit.

ſolum ut ambulare poſſet, ſed etiam, ut ne deformiter quidem incederet, effecerunt. Ea tempeſtate Peruſinorum ſtatus penes optimates & nobilitatem erat: ſed, quo plenius reliqua intelligi poſſint, pauca quaedam aliquanto altius repetemus. Peruſinorum imperium, fama eſt, ſatis magnum potensque fuiſſe: ex altera parte Tyrrhenum mare, Adriaticum ex altera, contingebat. Aretinos, Cluſinos, Cortonenſes, Thudertinos, & qui finitimi ſunt populi, in eorum, volunt, fuiſſe poteſtate. Sed nihil humanis in rebus poteſt eſſe perpetuum. Nam, cum cives otio dediti, imperio atque opibus valerent, ſuperbia ſimul cum divitiis aucta eſt: &, quibus finitimi reſiſtere non poterant, in ſua ruentes viſcera, ipſi ſeſe domuere. Acres deinde ſeditiones ortae, coepta inteſtina bella, plebs factionibus primum elata, mox a nobilitate oppreſſa, in vices acta eſt. Optimatibus deinde inter ſe diſſidentibus, plebs ipſa capeſſit imperium: optimates civitate pelluntur: tam diu in exilium acti, donec armis plus poſſent. In tantis rerum fluctuationibus fines imperii anguſtiores facti: &, qui ad utrunque mare pertingebant, vix in paucos monticulos modicumque agri receſſere; cetera finitimi, ſola concordia potentiores, invaſerunt: ſatis magnum exemplum futurum poſteris, niſi mortalium oculos ſtulta cupiditas occoecaſſet: nullum corpus conſtare poſſe, cuius

Turbae Peruſinae.

mem-

membra inter se ipsa dissentiant. Nemo est, qui rem publicam privatae anteponat atque suae. Sed esto, concedatur hoc hominum aviditati: nemo est, qui dignitate sua sit sine civium suorum calamitate contentus. Ergo nostram hanc Italiam, principem omnium terrarum, non exterarum gentium nationumque victoriae illustrant, sed diversae factiones, civiliaque & domestica bella conficiunt. Quae imperia maiores nostri sua virtute peperere, ea temeritate nostra defecerunt; confligimus, oppugnamus nos ipsos; &, quorum maiores universum terrarum orbem obtinebant, nostri nos parietes & tecta non capiunt, cives nostros pellimus civitatibus, vicinos & familiares non urbe solum, sed tota interdum regione praecipitamus, &, quorum tueri deberemus vitam, eorum spiritum ac sangvinem affectamus. Nam quae in Italia, non dicam civitas, sed exigua & montana villa, non domesticis factionibus distinetur? Qua ex urbe? Quo ex oppido non exules plures, non etiam rebelles, invenias? Quocirca illa arma, illae vires & conatus veterum, clarissimos triumphos innumerabilesque victorias ex hostibus reportabant: nos, quia nostra tela in viscera nostra perstrinximus, nostro frangimur impetu, &, veluti maris undae, unum in locum ex diverso concursantes, nostra sola impulsione collidimur. Nam quis est per Deum immortalem, qui non

Italiam factiones, civiliaqve & domestica bella conficiunt.

non magis cogitet, quo pacto cives ſuos poſſit invadere, quam quemadmodum fines imperii propagare? ut plane in omnium ſeculorum aetatumque ſortes, & in poſtremam morum foeditatem, incidiſſe videamur. Quorum eadem ſunt tecta, iidem lares, ſepulchra, templa, parietes, aſpicere non poſſumus: quibus jura, leges, inſtituta divina atque humana communia ſunt, eos domo exturbamus, alienos & peregrinos invitamus. Sed ne feramur longius. Ea tempeſtate Peruſinum imperium nobilitate obtinente, plebeii partim erant trucidati, partim, quo ſua quemque ſors egerat, vagi atque exules ferebantur. Qui civitati praeerant, cum Bonifacio, ſummo Pontifice, foedus percuſſerant. Non multo poſt, quo tutiores forent, ad eundem civitatis cura imperioque delato, adeo libertatem ſuam amittere, quam alienam reddere, maluerunt. Inter haec, qui alterius erant factionis, oppidum in agro Peruſino Derutam intraverunt, quorum Dux Biordus Michilottus, bellicae rei laude inſignis, atque illa aetate clariſſimus, cum magnum in Gallia exercitum comparaſſet, ubi exules invaluiſſe, & captum oppidum a ſuis, accepit, in Peruſinum cum ſeptem millibus delectorum militum proficiſcitur: caſtris deinde ſecundum Tyberim locatis, urbem obſidere inſtituit. Qui civitatem regebant, vel quod inter ſe diſſiderent, vel quod hoſtium exti-

Fœdus cum Pontifice initum.

Unde origo ſequentium turbarum.

extimescerent potentiam, resistere hosti atque in praelium venire minime ausi; procedente obsidione, cum res frumentaria, & quae ad tolerandam eam rem necessaria sunt, in dies fierent arctiora omnia, legatos, qui de pace agerent, ad Biordum miserunt. Auditi sunt ab illo perbenigne, ut cui nihil patria esset optatius. Pacis conditiones fuere, ut legati ad summum Pontificem mitterentur, ille Perusiam profectus rem stabiliret. Adventu Pontificis ceteri exules, quorum erant circiter duo millia, revocantur, Biordus cum omni exercitu in agrum Picenum contendere iussus est, transireque Apenninum montem, proculque a Perusinorum finibus, cum omnibus copiis, quadraginta passuum millia, decedere. Sublata iam discordia, vel potius sedata, videbatur, cum plebeii, maioribus freti viribus, repente arma capiunt, forum invadunt, nobilissimum quemque trucidant: inprimisque optimatium principem, Pandulfum Balionium, domi potentem, atque antiquissima natum familia, confoderunt; optimatibus interfectis, armati urbem excurrunt, caesae nobilitatis opes fortunasque diripiunt: domos aut funditus diruunt, aut igni atque incendio vastant. Urbe per hunc modum amissa, Pontifex, & cum eo octingenti cives, secuti nobilitatem, Asisium confugerunt: multi optimatium, quos hostes in tumultu capere non poterant, per urbis moenia sese deji-

Quae adventu Pontificis paululum restinguuntur;

statim vero multo gravius erumpunt.

Fuga Pontificis.

deiicientes, Montonum, ubi BRACHIVS morabatur, profecti, oppidum in Pontificis fide continuerunt; quædam etiam Perusinorum munita castella, in Pontificis mansere potestate. Fracta quoque, flumine munitum oppidum, illius fidem sequebatur: arcem Tutius quidam praefectus obtinebat. Sed, animos hominum mutante fortuna, ubi plebeios imperium invasisse, accepit, tradendi oppidi consilium coeperat; qua re per oppidanos cognita, BRACHIVS, quod & finitimum erat oppidum, & inter montium situm angustias, ut hostium vel impedire, vel aperire transitum posset, parva coacta manu, de tertia illuc vigilia proficiscitur, quo aut confirmaret oppidanorum animos, aut, si hoc facere non posset, vi subita in arcem irrumperet. Tutius vero, qui ejus adventum (nescio quo pacto) præsenserat, duo expedita agmina non procul ab oppido jussit insidere: quæ transeuntem per angustias ex occulto adorta, primo statim impetu ceperunt: deductumque ad arcem, in vincula coniecerunt. Dum hæc in Perusino gererentur, Biordus, (de quo supra diximus) audita primum populi seditione, mox de victoria suorum certior factus, Perusiam cum omni exercitu contendit; qui cum, & Fractam ab hostibus defecisse, & captum BRACHIVM, accepisset, inter Fractam ipsam & Montonum posuit castra: misitque, qui BRACHII fratres, qui Mon-

Brachius Fractam profectus capitur.

Biordi adventus.

Montonum tenebant, ad deditionem sollicitarent. Illi sæpe ante BRACHIVM redimere conati, tradito oppido, fratrem receperunt. Fertur Biordus, antequam ille rediret ad suos, perbenigne hominem allocutus, obtulisse, si secum militare vellet, stipendium, quantum ne apud Feltranos habuisset. Magna & in hoste & in victore clementia. Illum vero egisse gratias tradunt, & in hunc ferme modum respondisse: non voluntatem sibi deesse sub illo militandi, ceterum fortunam adversari: *Si tua*, inquit, *stipendia sequi velim, aut ipse ignavum me senties, aut patriae proditorem: si enim tua secutus signa in acie non fuero, si tuum hostem non feriam, si castra deseram, quid, nisi ignavi militis & perfidi transfugae opus, egero? Sin vero inter primos in acie constitero, contra quos erit eundum? Si egregie pugnavero, quos petam? si fugientes persecutus fuero, si gladium perstrinxero, non fratres invadendi erunt? non feriendi amici? non patria denique ipsa violanda? Proinde quod fortuna nostra non patitur, nec tu petere debes, nec ipse praestare.* Ille animi magnitudinem admiratus, abeundi potestate facta, hominem apud suos saepe postea commendavit: ut saepe virtus etiam apud hostem laudari solet. BRACHIVS, amisso paterno oppido, armis equisque spoliatus, Burgum in exilium proficiscitur. Per id tempus Florentini, vel ut sui fines imperii

Ad Brachium alloquium.

Huius responsio.

Exul est Brachius.

rii tuerentur, vel quod bellum finitimis inferre statuissent, ingentem peditum atque equitum exercitum comparaverant. Omnibus autem copiis praeerant duo clari bello viri, Crassus Venusinus, & Binnus Montopolitanus. Ad quos scribam cum misisset BRACHIUS, triginta equitum stipendium accepit, atque ita, rebus omnibus, quae bello usui forent, equis, armis, militibus, comparatis, in Florentinorum castra pervenit, animo nunquam amplius rei militaris intermittendae. Inter haec Biordo, quem supra ab exilio revocatum ostendi, a suis interfecto, variae res secutae sunt: exules in spem recuperandae civitatis erecti, crebra inter se consilia agitabant, &, qui urbem obtinebant, morte eius viri perculsi, novis factionibus laborare, crebrosque tumultus facere nunciabantur. Qua spe elatus BRACHIUS, pauco coacto milite, ad Mitiam quendam Perusinum proficiscitur. Erat autem Mitias vir inprimis bellicosus, domi nobilis, ex Oddonum familia, qui & ipsi non postremum inter optimates nobilitatis locum obtinebant. Hominem hortatur, ut impetum faceret in Perusinum agrum, facile oppida quaedam in eorum potestatem esse ventura, plebeiis capitali inter se odio diffidentibus. Ergo primo impetu Montemmelinum & Castellum vetus, duo montana oppida, receperunt. Bonifacius quoque Pontifex, haud oblitus iniurias, Broliam quendam, magnum illa tempe-

In Florentinorum castra pervenit.

Novae turbae Perusinae.

Res gestae Brachii atque consilia.

ſtate virum, legionibus exercituique praeſectum, bellum movere in Peruſinos juſſit. Ille apud Aſiſium caſtris locatis, hoſtium agrum excurrere, populari, vaſtare omnia, et, ſi aperto bello non poſſet, inſidiis opprimere conabatur: ſaepe ad urbis portas una cum BRACHIO ſeſe oſtentare, ut & plebeios conterreret, & optimatium, qui clam favebant, animos excitaret. Plebeii, tantis difficultatibus circumventi, tradendae Galeatio, Mediolanenſium Duci, urbis conſilium iniere; miſſi legati, qui & deferrent ultro imperium, & Ducis auxilium implorarent. Non ingrata res Mediolanenſi fuit. Miſſa ad defendendam urbem delecta militum manu, quamdiu Peruſini in fide manſere, auxilium praeſtitit. Anno ſequenti, mortuo Duce, maiora, quam unquam antea, ſecuta bella. BRACHIUS, ceterique exules, qui nihil niſi de recuperanda patria cogitabant, quod ipſi perexiguas haberent copias, cum Pontifice agere coeperunt, ut, quantum maximum poſſet, exercitum compararet, exules optimatesque reduceret; futuram profecto deinde Peruſiam ſub Pontificum poteſtate, quieturumque eccleſiae imperium: optimates quamdiu ciuitatis gubernacula geſſiſſent, ſummis Pontificibus paruiſſe ſemper. Plebeios, quum ad delendum eccleſiae imperium finitimorum auxilia defuiſſent, externa & peregrina invexiſſe arma, atque ex alio coelo tela, milites, duces, accitos eſſe. Movere Pontificem iuſtae exulum

lum preces. Itaque, novis factis auctionibus, maioreque decreto ſtipendio, copias, quantas nunquam ante, comparavit. Duces exercitus fuere quatuor: Paulus Urſinus, vir armis & conſilio clarus: Muſtarda, cuius nomen bellicis in rebus haud obſcurum fuit: Comes Carrariae tertius, cuius aetate noſtra multae res geſtae variaque bella memorantur. Hi omnes Pontificis fratri parere iuſſi. Ille ducebat exercitum, illi datum imperium movendi belli: ſed tamen, ut eorum, quos paulo ante dixi, conſilio uteretur, quod locorum ſitum tenerent, & rei militaris peritiores haberentur. Florentini quoque, qui ſuperiore anno cum Pontifice ſocietatem fecerant, auxilia miſere. Duces Florentini exercitus fuere Craſſus & Binus, ſub quibus, ut ſupra dictum eſt, BRACHIVS paulo ante militaverat. Tantis unum in locum coactis copiis, Nonis Octobribus in fines hoſtium pervenere. Peruſini, quod ad ſe tuendos expedire arbitrati ſunt, ne improviſos hoſtis adoriretur, equitatum non parvum, ſed pro tempore non ſatis magnum, coegere. BRACHIVS omni vi atque ſtudio duces, ut urbi appropinquarent, hortabatur: quod eo conſilio faciebat, ut plebeii aut in deſperationem adducti dederent ſeſe, exulesque reciperent, aut, quod magis futurum exiſtimabat, totis viribus in certamen egrederentur; quod ſi feciſſent, non dubitabat, paucos a multis, imperitos ab exercitatis, poſſe ſupe-

B 2 rari.

rari. Ipſe interea totius exercitus gratiam inire, amicos ſibi ex optimis fortiſſimisque viris plurimos facere, ſtudebat. Sed amator virtuti non deeſt. Iam cuncto exercitui carus, & ducibus non minus, quam militibus, acceptus erat. Itaque multi eum benigne alloqui, nonnulli ſuam polliceri operam, atque omnes eius virtutem admirari. Ille, quos ſibi amicos feciſſet, ſecum una ducere, ex omni parte hoſtium fines excurrere, vexare omnia atque incendere. Noctu haud aliter, quam interdiu, praedae undique agebantur; hoſtibus ingens terror incutiebatur. Milites propterea nonnullos ſubornat, qui ad hoſtium caſtra tranſeuntes, transfugas ſeſe eſſe ſimularent, explorarentque, quid praeſidii, quid ſpei, quid etiam conſilii apud hoſtes agitaretur. Qui, ſtatim imperata facientes, omnia ad BRACHIVM ipſum, certa explorataque referebant. Quaedam etiam oppida partim metu ſolicitata, partim corrupta promiſſis, ſeſe Pontifici quum dederent, pleraque unius BRACHII nomen interponebant, illum pacis, illum foederis autorem invocantia. Intra paucos dies quatuor & quinquaginta caſtella ab hoſtibus ad Pontificem defecere. Interea Peruſini omnem peditatum equitatumque dies atque noctes in armis eſſe iubent, quo libere vagantem hoſtem aut procul a finibus arcerent, aut, ſi hoc facere non poſſent, a continuis excurſionibus populationi-

bus-

busque prohiberent, aut, si ne id quidem liceret, hostes non longo intervallo sequerentur, oppidaque oppugnare aggressos ipsi a tergo incompositos perturbatosque invaderent. Paulatim deinde audaciores facti, maioribusque accitis copiis, cum ereptam hostibus oppugnandi facultatem putarent, non iam illatum propulsare bellum, sed ultro ipsi inferre, videbantur. Itaque per eos dies, quasi deleto & non a tergo relicto hoste, oppidulum plebis, sex millium passuum procul ab urbe Perusia situm, quo plerique optimates initio belli convenerant, omnium generum machinis oppugnare statuerunt. Hac re per transfugas cognita, BRACHIVS, cui pro magnitudine animi cuncta tardius geri videbantur, & victoriam mente conceperat, ducum tarditatem plerumque criminatus, nunc per imprudentiam elapsam, nunc per ignaviam neglectam victoriam exprobrabat. Cognoscere illos per aliena, alienoque certare imperio: se vero ac ceteros exules pro vita, pro salute, pro dulcissima patriae caritate, dimicare. Haec totis iam castris efferebantur, unum esse, qui maledicta in duces intorquere non dubitaret. Eam rem plerique in bonam, nonnulli deteriorem, ut fit, in partem accipiebant. Duces ad se vocatum paucis increpant: mox, quid ipse faciendum putaret, quasi ludibrio quaerunt. Ille non eos, sed cupiditatem suam accusandam esse respondit: cui

pro desiderio patriae, quicquid factum non esset, fieri potuisse videretur: ceterum, si suum consilium non aspernarentur, brevi Perusinum exercitum posse deleri, modo dignum putarent, cuius monitis uterentur. Ducibus, consilio inter se inito, placuit primum, quid ille cogitasset, audire. Mox omnes, eius probata sententia, rem illi uno consensu detulerunt. Postridie eius diei BRACHIVS duces monet, vt exercitum omnem arma capere, totaque die in equis esse, iubeant: se, quid hostes facerent, expedita manu exploraturum, atque eorum invasurum castra: ipsi paulatim appropinquantes, eius fugam expectarent: daturum operam, ut irritati hostes ultra ducum castra sese a laeva insequerentur: ipsi deinde, a tergo palantes, dissipatosque, adorirentur. Affuit benigne fortuna. Nam, quum Perusini milites suos, qui pabulatum ierant, fugientes, atque inimicorum insequentia signa, conspexissent, magno clamore atque impetu in BRACHIVM feruntur. Ille fugiendi resistendique dubitabundus, paulatim cedendo, iam a laeva suorum castra reliquerat: tum vero, ingenti sublato clamore, simul ipse a fronte restitit, simul a tergo universus exercitus, perturbatos insequendi studio ordines, effusamque hostium aciem, invasere. Pugnatum est magnis utrinque animis; alteri, quod propriis sedibus decertarent (quae res excitare potest etiam ignavos)

vos) acerrime praeliabantur: alteros partim gloria bellicae rei, partim patriae cupiditas, incendebat. Hic unius BRACHII virtus claruit maxime, cum quod eius consilio gesta res esset, tum quod, ubi gladio decertandum fuit, unus multorum sustinuit impetum, &, quem ceperat, locum, quoad reliquae appropinquarent copiae, fortissime defendit, demum, ubi permixtae fuere acies, alios hasta percutere, alios stricto mucrone ferire, hostium ictus scuto excipere, gradum sibi victoria facere, cernebatur. Postremo, cum illi vim hostium diutius sustinere non possent, alius alium in locum diffugere. Hoc praelium haud sane cruentum fuit, paucis admodum militibus caesis. Ceterum capti equites circiter mille: signa militaria & machinae complures. Hac tam subita victoria potiti duces, non amplius, quam mille passus, procul ab urbe castra posuere. BRACHIVS, tametsi omnia recte procedebant, in summa celeritate suorum tarditatem atque ignaviam accusabat, ipse cum ceteris exulibus noctes atque dies in armis, in equis esse, vexare hostes, plerumque ad civitatis portas manus cum hoste conserere, inimicos contumeliose appellare. His rebus perterriti plebeii, cum obsidionem in dies acriorem, atque omnem spem auxilii viderent esse sublatam, veriti, ne quis in civitate tumultus per alterius factionis viros concitaretur, legatos ad Pontificem misere, qui pacem peterent, &, si

Quibus effecit, ut Perusia in potestatem Pontificis veniret.

alio pacto impetrari non posset, urbem imperiumque deferrent, obsidesque promitterent. Pontifex, ceteris conditionibus repudiatis, daturum se pacem respondit, si modo & exules reciperentur, & imperium sibi traderent civitatis. Ad haec legati respondere, de imperio quidem tradendo conditionem accepturos esse: de exulibus autem recipiendis nihil iniussu populi promissuros: habere certos legationis suae terminos, ultra quos nihil sine populi consensu, atque autoritate suorum civium, possent statuere. Pontifex, ut est natura mortalium plerumque ad utilia, quam honesta, propensior, urbem eo pacto recepit in potestatem, ut cives stipendia solverent, ceteraque imperata facerent, exules autem a finibus viginti millium passuum intervallo decederent. Hac re exulibus nuntiata, quibus victoria iam manibus prensa teneri videbatur, & patrii lares, quo plus affuerat spei, eo magis obversabantur animis, incredibili dolore affecti sunt: in desperationem adductos etiam iniuria stimulabat, quippe qui magna spe plenos extrema subiisse pericula, solosque victoriam Pontifici se dicerent peperisse, nunc ab illo deceptos, a Diis atque hominibus destitutos esse, nunquam amplius patrios lares, nunquam maiorum sepulchra, revisuros. Sed, ubi vis dominatur, vana est, etiamsi sit iusta, querela. Post Perusiae deditionem, ceteri exules, quam procul iussi erant, profugi abiere: BRA-

Deceptus a Pontifice Brachius.

CHIVS

CHIVS, Binnum & Craſſum ſecutus duces, Florentiam ad militiam proficiſcitur. Inter haec mortuo Bonifacio, novoque ſuffecto Pontifice Coſma Sulmonenſi, qui cognomento Innocentius ſeptimus eſt appellatus, Roma tumultus afferebantur: Ludovicum, Pontificis nepotem, duodecim cives Romanos, quod ſeditionem excitaſſent, ſecuri percuſſiſſe: univerſam deinde civitatem concitatam ad arma, in molem Hadriani feciſſe impetum: Pontificem occulte per Ianiculum Viterbium effugiſſe. Hac re audita, BRACHIVS, qui nihil niſi bella quaereret, Romam ſe contulit, ubi quum forte Muſtardam, quem Bonifacii copiis praeeſſe dicebamus, primo ſtatim adventu offendiſſet, militare ſub eo ſtatuerat, quod & illi cognitus eſſet, & Muſtarda ſummo contenderat ſtudio, ne vir ſtrenuus ac manu promtus ſub alio quoquam militaret. Sed, fortuna toties ſpes eius iam conceptas abrumpente, poſtridie, quam ipſe Romam veniſſet, Muſtarda per invidiam interficitur. Novum conſilium capiendum erat; tandem, multis ultro citroque agitatis, Viterbium petere conſtituit. Septem eum comites ſequebantur. Huc quum ſatis veſperi veniſſet, fertur coenandi gratia in meritoriam divertiſſe tabernam: quum pecunias, quas hoſpiti ſolveret, non haberet, alteram veſtis partem diſſuiſſe, argenteis lymbis Hetruſco & Gallico more diſtinctam, atque eam hoſpiti pro pecunia dare voluiſſe: illum

Proficiſcitur Florentiam ad militiam.

Tumultus Romani.

Quo ſe confert Brachius militaturus.

Spe vero ſua excidit.

Fata eius Viterbii.

lum autem hominis liberalitatem admiratum, ſimul & miſertum neceſſitatem, non ſolum non accepiſſe tunicam,ſed ultro quatuor aureos nummos invito tradidiſſe, ſcripſiſſeque ad filium, qui Volſuvii forte idem exercebat,ut BRACHIVM tranſeuntem ſuſciperet hoſpitio, & quatuor praeterea aureos dono daret: filium vero parentis iuſſis magnifice paruiſſe. Summa profecto liberalitas, ſi & dantis conditionem, & accipientis fortunam, conſideres. BRACHIVS, omni ſpe deſtitutus,quum Florentiam redire decreviſſet, iter Fulgineo fecit: ſed forte domo,qua dormiebat,incenſa, equos, arma, veſtes, uno incendio amiſit. Erant haec, ut arbitror, fortunae praeludia, quo gratiora, quae ſecuta ſunt, viderentur. Nudum ducem nudi comites intuebantur, &, quid iam miſeri agerent, aut quid conſilii caperent, neſciebant. Qui Fulginei regnabant, diu antea eius nobilitate & familia cognita, tam acerbum caſum miſerati, veſtes,equos, arma, pecunias, contulerunt. Ubi Florentiam ventum eſt, quum omnia quietiora viderentur, in Galliam proficiſcitur. Per id tempus bellum inter Albericum Barbianeum & Bononienſes aſperrimum gerebatur. BRACHIVS, quo liberiorem praedandi occaſionem nanciſceretur, in Alberici caſtra conceſſit, acceptoque duodecim equitum ſtipendio, ſingulis diebus clam aperteve, quae melior dabatur occaſio, in hoſtium fines impetum faciebat, ſaepeque magnum

Volſuvii, & Fulginei.

Stipendia Brachii apud Albericum Barbianeum.

magnum hoſtibus incutiebat terrorem, magna eius facinora utrisque caſtris praedicabantur, &, quo plus peperiſſet gloriae, eo militibus carior, ducique acceptior evadebat. Habet hoc virtus bellica, ut admiratione, quam invidia, praeſtet. Bononienſes, poſt magnos delectus habitos, Berardonem quendam exercitus imperatorem fecere. Hic, non minus copiarum magnitudine, quam virtute militum, fidens, non multum procul ab Alberici exercitu poſuit caſtra: hoſtium deinde ſpreta paucitate, ſaepe aciem expediebat, ſaepe ad hoſtium caſtra faciebat impetum, quo non ſolum pugnandi praeberet facultatem, ſed etiam hoſtium animos ad pugnam irritaret. Alberici caſtra inter Caſtellum Bononienſe atque Imolam, non procul a flumine recedebant: hoſtium vero ſtationes, ſecundum flumen ipſum, Sanguinarium accolae uocant, poſitae conſpiciebantur: utraque acies ad decertandum parata, ſpe tamen plenior Berardonis exercitus. Hic BRACHIVS, ut erat natura impiger atque ardens ſtudio gerendarum rerum, Albericum hortatur, ut cohortes in armis eſſe iubeat, totumque exercitum contineat in ordine: videre hoſtes quidem magno animo capeſſere bellum, contra vero ſuos non parum multitudine eſſe perterritos, ideoque opus eſſe conſilio; primum locum occupari oportere, quo ſui commodius in hoſtes praeliarentur, ſe cum centum delectiſſimis equitibus ſeceſſurum in laevam,

vam, proculque inde flumen mille passuum intervallo traiecturum, mox, cum in certamen utrinque itum esset, hostes pugnantes & perturbatos a tergo aggressurum. Placuit duci consilium, statimque pauca pro tempore locutus, BRACHIO cum equitibus, quos mallet, abire iusso, aciem & ipse explicavit. Principio hostes, quanquam maioribus freti copiis, militum tamen virtute repellebantur: mox, paulatim labente paucitate, maiore facto impetu, ordines perturbant. Albericus, desperata victoria, terga verterat, fugientem hostes persequebantur. Inter haec BRACHIVS, a tergo se ostendens, mittit, qui Alberico nuntiarent, sisti a fuga militem, & in hostem converti. Ipse interea clamando persequentes

Brachii victoria.

adoritur. Illi, subito tumultu perterriti, in fugam sese vertere conabantur, sed, iam a fronte atque a tergo instante hoste, omnes

Nova Alberici expeditio.

ad unum aut capti, aut caesi sunt. Paucis post diebus, nondum hoc finito bello, Albericus, a Duce Mediolanensium accepto stipendio, novam expeditionem parabat. Proficiscentes interfluentem amnem traiicere oportebat. Hac re cognita, hostes, non multum procul inde locatis castris, transitum prohibebant. Rhenum flumen vocant accolae, qui iugis Apennini defluens, Bononiensem irrigat agrum. Erat a tergo explicata hostium acies, parata, si traiicere coepissent, extremos adoriri: tum fluminis ingens altitudo, vadumque peranguſtum, ut non statim totus simul

mul exercitus, ſed vix ſinguli, aut ad ſummum bini equites, transmittere poſſent. Hoſtes non procul a flumine foſſa altiſſima munierant caſtra, animo non prius abeundi, quam aut invaderent tranſeuntes, aut fame conficerent. Hac re permotus Albericus, incertus, quid conſilii caperet, milites in concionem vocavit, tum etiam a minimis poſtulata ſententia. Alii rates aedificandas, alii equitatum noctu natationi ſubiiciendum, plerique expectandum hoſtium diſceſſum cenſebant. BRACHIVS, ſententiam rogatus, haud dubium, inquit, non antea diſceſſurum hoſtem, quam nos exercitum traiecerimus, quod ſine periculo noſtro non putant futurum; habeo tamen conſilium, ſi vobis etiam probetur, nullo cum periculo tranſeundi. Iuſſus aperire, materiam, inquit, cenſeo ex proximis ſyluis caedendam, tresque ſimul aedificandos pontes: foſſam poſt haec, qua ſubitus adventus hoſtium, quoad traiiciantur cohortes, impediatur, procul inde deducendam. Placuit res duci, multaque deiecta materia, tres uno die pontes, non multo interiecto ſpatio, aedificantur. Foſſa deinde non longe a pontibus duum millium paſſuum complexa longitudinem, ſudibus trabibusque ex altera parte munitur. Quod ubi Bononienſes intellexerunt, impedituri munitionem, liberum in campum exiere, nec tam ut facultatem praeberent pugnandi, quam ut intra munitionem, ſi tranſire hoſtes coepiſſent,

Brachii ſententia & conſilium.

ſent, magno impetu irrumperent, foſſamque tranſilientes caederent ultimos, atque diriperent. Interea BRACHIVS, cuius diligentia placebat duci, impedimenta & leviter armatos milites per omnes ſimul pontes anteire iubet, ſtatim deinde Albericum cum ceteris cohortibus ſubſequi. Ipſe cum delectiſſimis equitibus ad foſſam, quo iam hoſtes pervenerant, conuerſus, ad illorum conatus atque impetum reſiſtebat, &, ne vallum tranſire poſſent, impediebat. Sic ubi omnes copiae ad alteram fluminis ripam evaſerunt, ipſe, paucis acceptis vulneribus, priusquam hoſtes foſſam ſuperarent, proximo ponte celeriter ſe recepit ad ſuos. Hae res adeo gratae duci fuere, ut unius BRACHII conſilio atque opera, & victum Berardonem, & flumen traiectum eſſe, fateretur: ſtatimque, ubi ad Fornaces eſt ventum, ſtipendium auxit, equos largitus eſt, &, qui ante id tempus duodecim praeerat equitibus, ſeptuaginta praefecit. Hoc primum virtuti praemium datum.

Laudatur virtus Brachii ab Alberico pro concione.

Paucis poſt diebus Albericus, caſtris inter Mutinam & Caſtellum francum locatis, BRACHIVM ad ſe venire iuſſum magnifice pro concione laudavit, &, centum quinquaginta equitum aucto ſtipendio, hortatus eſt ceteros, ut non inviderent hominis fortunae, ſed eius potius ſimiles eſſe conarentur: ſatis multa praemia habituros, ſi illius cum fidem, tum virtutem, imitarentur: ſolum eſſe, cuius opera & profligaſſet hoſtium copias, & pontem inco-

incolumi exercitu traiecisset: qui nisi fuisset, aut ferro, aut fame omnibus fuisse pereundum. Tum non solum struxisse tot pontes, & fossam vallumque duxisse, sed cum paucis hostium gladiis sese obiecisse: totum exercitum eius constare beneficio, a quo, dum alienae saluti consuleret, suam esse neglectam: proinde velle ostendere, apud se & ignaviam & virtutem internosci, alteram ornaturum se praemiis, contempturum alteram, & ne nomine quidem appellaturum. Haec quum dixisset, Arcerium, Galdarinum, Arnaldum, atque alios, qui cum BRACHIO ad vallum subsidio remanserant, sub eodem militare iussos, equestri ordine & militari dignitate donavit: qui postea suum secuti Imperatorem, in clarissimos viros evasere. BRACHIO autem exercitus imperium, militarium signorum custodiam, & praeterea sua domestica insignia, maiórumque ornamenta, concessit: quibus eius posteri in hunc usque diem usi sunt.

Et mirifice compensatur.

Dum haec geruntur, Veneti, quorum opes late mari terraque patebant, vel quod de finibus contenderent, vel quod latius propagarent imperii terminos, Patavinis bellum inferre coeperunt. Albericus propter affinitatem, quae erat sibi cum Patavinorum Tyranno, novo audito bello, legiones in expeditionem eductas auxilio misit: tres viri iussi legionibus exercituique praeesse, BRACHIVS primus, alter Laurentius Cotignolanus, tertius Ruffus Aquilanus: omnes manu

Mittitur Brachius Patavinis auxilio contra Venetos.

nu

Interea conflatur ipsi invidia.

nu & consilio promti. Patavium profectis, quod usu venire solet, ex gloria & virtute, livor atque invidia conflata est. Nam BRACHIUM, multa facinora rei bellicae fortiter cauteque gerentem, favor militum ingens est subsecutus; illum omnes comitari, eundem in acie ducem habere cupiebant, quos ille duxisset in praelium, non posse vinci, arbitrabantur. Nam & locum ad praeliandum aequum iniquumque dignoscere, aciem quam apertissime ordinare, & boni cum militis, tum imperatoris, munus obire, omniaque & fortiter audere, & consulte facere, cognoscebant. Reliqui duces, tametsi graviter ferebant, primum tamen iracundiam tenuere, mox, ubi paulatim intumescens invidia se amplius cohibere non potuit, discordias serere, & seditionis causas captare coeperunt. Postremo imperium, quod erat commune tribus, menstruo iure suo quisque sibi mense arripuerunt. Tertio iam adveniente mense, quo BRACHIO debebatur exercitus, consilio inter se inito, tradere vexilla recusabant: rati, duobus unum, viribus & autoritate imparem, resistere nullo modo posse. Milites, ubi rem cognoverunt, concitati ad arma, impetum in signa faciunt, signiferis erepta ingenti cum clamore ad BRACHIUM deferunt: illum ducem, illum imperatorem suum, magno plausu favoreque appellantes, virtutem in coelum tollunt, eius auspiciis atque ductu se invictos esse,

esse, reliquos non honesta gloria, sed turpi ambitione, contendere: hac de re, quae tectior erat invidia, in apertum odium simultatemque conversa. Literae ad Albericum datae, quae grave ambitionis crimen, invasum a BRACHIO imperium, deferebant. Denique, ubi, confecto bello, ad Albericum rediere, ut quisque aut oratione subdola, aut apertis conviciis valebat, infensum illi suspectumque facere conabantur: qui, ut sunt aures hominum nimis in re sua credulae, facile persuasus est, adversante nemine. Quocirca illis ipsis, quorum impulsu haec faciebat, ad se vocatis, consilium de interficiendo BRACHIO inivit. Uxor erat Alberico honesta inprimis, & mansueti ingenii mulier. Haec Ruffi & Laurentii orationibus saepe apud virum interfuerat, criminaque toties ad maritum delata perceperat: quae cum non inscia consilii, virum magna incensum ira non potuisset mitigare, BRACHIO per fidelem nuntium significat, ut quamprimum Alberici finibus decedere festinaret, coepisse illum consilium eius interficiendi; docet deinde, quo modo, & a quibus persuasus, id agere statuisset. Scire se, eius virtutem marito saepe opitulatam, fidem vero plurimis argumentis perspectam esse, ideo suam etiam gratiam interposuisse, ut eum viro reconciliaret: illum falsa oratione adductum, ira praecipitem agi; proinde fugeret statim, ac tempori cederet: siquidem pati non potuisse, ut & vir ingratus, &

Initur consilium de eodem interficiendo.

Quod ipsi per uxorem Alberici nuntiatur.

& parricidae voti compotes efficerentur, innocentissimi & fortissimi viri morte. Hoc nuntio accepto, BRACHIVS, qui procul inde duum millium intervallo stationes habebat, de tertia vigilia, ad hostium castra perfugit: magna pars suorum militum nudis equis, sine sella, sine freno, vecti; tanta erat fugiendi festinatio. Albericus non prius de fuga certior factus, quam exercitus omnis sublatum paucorum invidia clamaret: iam homines ignavos, quibus nihil nisi verba magnifica forent, assecutos esse, quod saepe antea tentassent: quem ipsi offendere nequivissent, duci perdendum curasse: habere tamen gratias Deo immortali, quod sceleratorum manibus incolumem eripuissent: iam statim audituros, qua gratia hostes essent recepturi, quae daturi virtutis praemia: mox sensurum Albericum, quantam accessionem hostibus fecisset. Dum haec totis legionibus efferuntur, Albericus, sera poenitentia ductus, scripsisse ad eum fertur: habere gratias Deo, qui, ne furori locus esse posset, de fuga eum admonere voluisset: scire se, nihil BRACHIVM, nisi nobilitate sua dignum, molitum esse. Memorare deinde coepisse fortia gesta, & fidem laudare, quam cum saepe alias, tum proximo bello, perspexisset: nec negare, de eius morte cogitasse, affirmare tamen, non sponte motum sua, sed alieno impulsu concitatum: satis illi magnas poenas & poenitentiam suam, & calumniatorum contemtum

Unde ad hostium castra perfugit.

Quod aegre habet ipsum Alberici exercitum.

Alberici poenitentia & ad Brachium literae.

tum eſſe daturum: orare per priſtinam amicitiam, ad ſe rediret, id non ſolum tute facere poſſet, ſed maius etiam ſtipendium accepturum, modo iniurias ipſe oblivifceretur: ſaepe ex huiusmodi ſuſpicionibus arctiores conflatas amicitias. Haec ab illo ſcripta referuntur. Ad quae BRACHIVS in haec verba reſpondit; extant enim exemplaria literarum eius ſubſignata manu, quanquam vulgari & quotidiano ſermone perſcripta: Ego quidem, Alberice, quamdiu tuum ſecutus ſum imperium, nulla in re offendi dignitatem tuam. Quod ipſe interficiendi mei conſilium ceperis, facile putarem ignoſcendum, niſi ſcire debuiſſes, imperatorem nemini utramque aurem pandere oportere, ſed alteram conviciatori accommodare, defenſori ſervare alteram: ipſum deinde medium, tanquam arbitrum, inter duas aures ſententiam ferre. Qui autem tibi de mea, ut ego cenſeo, virtute, ut ipſi volunt, ambitione, detulerunt, fecerunt callide: quod enim ipſi praeſtare non poterant, id in altero accuſaverunt. Nam, ſi in acie fortiter dimicare, pericula pro laude adire, exercitum aut victorem, aut incolumem, in caſtra reducere, gloriam quaerere imperatori ſuo, ambitio dicenda eſt, fatebor equidem, ambitioſum me fuiſſe; fatebor, ſi hoc eſt eripere imperium, me tibi imperium eripere voluiſſe: ſin, quae in rem tuam conducerent, omnia diligenter executus, mortem tamen timere a te potui, non

Huius Reſponſio.

est mihi consilium, iterum vel fidem tuam, vel meam fortunam tentare. Magna illa & ampla tua in me beneficia, etiam si nova perfidia violata non essent, ingratum certe me non habuerunt. Saepe periculo capitis mei gratum me cognovisti, tametsi provide gessimus omnia: quae si aequum iudicem nacta forent, non tu curator meae mortis, sed ultor, esse debuisses. Nunc vero, quando ita res tulit, habe tibi, atque amplectere, qui magis amicos tuos lingua pellere, quam hostes manu fugare, didicerunt. His literis acceptis, Albericus, quo sibi eum aut omnino reconciliandum, aut saltem leniendum, tentaret, Pontificis legato, qui Bononiam praesidio tenebat, BRACHIUM per literas quam amplissime commendavit. Legatus, cui multa eius viri iam pridem erant audita facinora, trecentis equitibus praeesse iussit; quae res partim eius virtuti, partim Alberici commendationi, tributa est. Paucis post mensibus finito stipendio, ad Mediolanensium Ducem profectus, illo quieto, nec bellum cum quoquam gerente, ad Bononienses reversus, eadem, qua prius, *cognitione receptus est; cum in itinere agrestes, quod ad pabulationes frumentationesque extra callem milites exirent, impetum in eum fecissent, in fugam conversos, intra oppidum Ossam compulit, statimque ex omni parte aggressus, sine machinis, sine sagittariis, expugnavit: cetera in praedam militibus data: ipse quatuor millibus nummum

Commendatur ab ipso Alberico Brachius Pontificis legato, Bononiam praesidio tenenti.

* *conditione.*

mum acceptis, captivos liberos dimisit. Aliquot post deinde mensibus Bononiensium finito stipendio, animo ad patriam intento, in Hetruriam cum suo equitatu venire contendit: multi eum sine stipendio secuti, partim diuturna consuetudine, partim futuri belli spe, moti: existimabant enim, virum strenuum, cupidum gerendarum rerum, nullo pacto quieturum. Itaque, magna ad eum militum frequentia confluente, quam primum Burgum pervenit, octingenti equites, lustrato exercitu, in castris reperti sunt iam in ipso itinere. Imolae tyrannum quatuor millia nummum dare sibi coegerat, bellum minatus, nisi dedisset. Inter haec Innocentius Pontifex moritur, sufficiturque Gregorius, qua tempestate tres simul Pontifices creati memorantur, Gregorius, Benedictus, Alexander. Quae seditio aliquot mensibus agitata, divina atque humana cuncta permiscuit. Perusini, quorum res penes plebeios alterius factionis erat, cum BRACHII subitum adventum intellexissent, (iam enim tantus evaserat, ut inimicis terrori esse posset,) soliciti de imperio, statim, ne quid ille de improviso moliretur, exercitum undique coegere, Paulo Ursino omnibus copiis praefecto: solitum in mensem stipendium datum. Missus deinde magnus peditatus atque equitatus ad oppidum Fractam, in extremis eorum finibus situm: admoniti, ut, quid ille consilii caperet, explorarent, &, si copias traiicere in Perusinum agrum vellet, transitum per angu-

Bononiam reversus, contendit in Hetruriam.

Novae turbae Romanae.

ſtias facere prohiberent. Dum haec geruntur, Ludovicus Firmanus, quem ſuperioris Pontificis nepotem oſtendi, reliquo Piceno agro armis ſubacto, Rocham contractam, quae ab eius defecerat imperio, magno apparatu omnium rerum oppugnabat. Equitum erant circiter duo millia: par peditum: numerus poſita caſtra non procul ab oppido, quod in monte editiſſimo ſitum, niſi diuturna obſidione capi non poterat, montis radices occupaverant. Oppidani, alterum obſeſſi menſem, cum, re frumentaria deficiente, fame graviſſima premerentur, duriſſima quaeque experiri, quam deditionem facere, malebant. Conſilio igitur inter ſe inito, legatos ad BRACHIVM mittendos decrevere, qui, oſtendentes, quanto in periculo verſarentur, auxilium per omnem conditionem implorarent, orarentque, ut obſeſſos beneficio ſuo liberaret, in poteſtatemque reciperet, dicerentque, non ſe ad libertatem reſpicere, ſed dominum mutare ſtatuiſſe. BRACHIVS, data dextra, legatos bono animo eſſe iuſſit, ſeque ut biduo, aut ad ſummum triduo, expectarent, admonuit: aut omnino liberaturum ipſos obſidione, aut praeſidium atque annonam impoſiturum. Poſtridie eius diei, incertis omnibus, quo proficiſceretur, Picenos verſus caſtra movit: vix decem millia paſſuum progreſſo, literae oppidanorum nomine redduntur, quibus ſignificabatur, obſidione liberatos, pacem feciſſe, non amplius auxilio opus eſſe: diſceſ-

A Rochenſibus per legatos imploratur Brachius.

Auxilio ipſis venit.

cessisse Ludovicum cum omnibus copiis, atque in ultimos Piceni agri fines exercitum esse dimissum. BRACHIUS, cognita fraude, celerius succurrendum iudicavit; continuoque diurno ac nocturno itinere properanti, aliae redduntur literae, quibus idem, quod prioribus, continebatur. Nec iis quidem demoratus, quo minus, quam citissime posset, in Picenos perveniret, quum iam sex millia passuum oppido appropinquasset, misit, qui obliquo tramite, procul hostium castris ingrediens, auxilium venisse nuntiaret. Venienti portae aperiuntur, atque una voce, uno consensu omnium, dominus est appellatus. Haec prima iacta fundamenta futurae magnitudinis, primum tam magni imperii domicilium. Hoste statim abeunte, BRACHIUS porta egressus, Calzarolum, quod ab hostibus tenebatur, oppugnare adortus, primo impetu irrupit: hic triginta equites, qui praesidio erant relicti, capiuntur: oppidanorum opes direptae sunt, corpora illaesa liberaque permansere. Altero deinde die, Castitionum, quod erat finitimum castellum, eodem impetu capit. Ranerius Perusinus, cum quinquaginta equitibus praesidio collocatus, a BRACHIO dimissus, a Ludovico, pro re male gesta, in vincula coniicitur. Continuo proximum castellum, Montem altum vocant incolae, situ egregie munitum, expugnavit. Huic Rodulfus Perusinus cum triginta millibus praesidebat: capti ad unum:

Eos ab obsidione liberat.

Calzarolum,

Castitionum,

Montem altum capit.

quibus redimendi facultas esset, in vincula coniecti sunt: ceteri, sine armis, sine equis, dimissi. Quatuor continuis diebus quadruplici victoria potitus, hoc modo paulatim fundatum imperium proferebat. Interea Ludovicus, subita suorum defectione atque expugnatione permotus, proxima castella munire, praesidium disponere, turres murosque reficere, fossa valloque moenia praecingere, iter variis locis interrumpere, ramis truncisque impedire, denique cuncta, quae ad reprimendum hostilem impetum conducerent, parare, festinat. Sed, ubi omnia vi superari videt, veritus, ne subito hostis adventu inire praelium cogeretur, in extremos Picenos refugiendum constituit, sibi diffisus ipsi, si forte manus conferere, aut in apertum certamen universis copiis venire, contenderet. Igitur, praefectis militum ad se vocatis, quid sibi faciendum videretur, aperuit, adiecitque, munita esse vicina oppida, occlusos hosti aditus, angustias proximorum montium occupatas: quo diutius illic cum reliquo exercitu moraretur, hoc plus rei frumentariae consumturos: satius esse, frumenti quod superesset, relinqui oppidanis, quam milites nequidquam absumere; BRACHII impetum perbrevem fore, frumentum illi & commeatus brevi defecturos; suis vero, si in fide manerent, se aliunde subministraturum, omniaque belli adiumenta suppeditaturum. Plena desperationis videbatur oratio. Angelus Per-

Quibus rebus valde perterritus Ludovicus Firmanus,

in extremos Picenos refugiendum constituit,

Quod consilium praefectis militum detectum,

Pergulensis, Perius Navarinus, reliquique praefecti militares, uno consensu dehortari, consilio abeundi damnato, coeperunt, si hostibus cederet, non oppida solum, sed etiam illa ipsa praesidia, quae imposuisset, in eorum ventura potestatem. Quae proxima castella non defectura, si fugientem aspexissent illum? in quo retentura spem auxilii, si ab eodem deserantur? Plurimum interesse, fugere quisquam, an timere, videatur: illud temere desperantis esse, hoc consulte providentis. Quanquam ne timorem quidem praeferendum esse bella gerenti. Probum imperatorem aut spe, aut spei simulatione, plenum esse oportere. Eius frontem atque oculos intueri ceteros, eo animo exercitum esse, quem praestari ab imperatore suo videant, si timidum, si haesitantem, si denique rebus diffidentem suis, aspexerint, ne boum paria detinere fugientes: sin ducem alacrem & magna spe plenum, circumeuntem & hortantem suos, viderint, ne in magno quidem periculo pertimescere: saepe dubiis in rebus spem profuisse, metum ne in secundis quidem iuvare. BRACHIVM hominem esse novum, non suis opibus, non alieno stipendio, sed sola virtute, nitentem. Pecunias perpaucas, quas vi & rapinis coegisset, iam omnes consumtas, conductos milites, ubi stipendio fraudentur, turmatim transfugituros: proinde resisteret statim intermoriturae procellae. Nam, si hunc fugeret,

ab iis omnibus damnatur.

ret, quid iudicaturos finitimos populos? quos porro in amicitia, quos in societate mansuros? Quod si nec se fortunae committere, bellique discrimen adire statuisset, commodius tamen videri, hostes a rapinis excursionibusque prohibere, obsistere, a fronte semper infesto agmine, nec tamen pugnandi praebere facultatem: non illos palantes populaturos agrum, non segetem succisuros, non in oppidanorum oculis aedificia & villas incensuros. Sin praelio certare mallet, se copiis superiorem fore, praestare numero exercitum suum: tum suis in agris, suis in domibus, ante suorum oculos pugnaturum. Magnum id esse virtutis incitamentum, nec minus terroris incutere hostibus, quam animi suis addere. Multa in eam sententiam profecti adiecere: sed timiditatem animi vix unquam verborum attollit oratio. Ludovicus, multis ultro citroque dictis, Angelo Pergulensi oppidis praesidiisque praeposito, in ultima Picentum loca fugienti similis proficiscitur. Remansere in exercitu equites mille & quingenti, pedites fere totidem. Sed Angelo ut minus autoritatis, ita plus industriae atque animi, erat. Itaque aut vi propellere hostem decreverat, aut belli dilatione fatigare. Per hos dies BRACHIVS, cui iam non exercitus solum, sed etiam oppidi, cura habenda erat, forte ad subterfluentem rivum descenderat. Causae descendendi fuere oppidanorum preces, quibus

Spretis tamen eorum rationibus, exercitum relinquit Ludovicus.

bus, diuturna obſidione vexatis, frumentarias etiam molas hoſtes eripuerant, caſamque diruerant. Illi, reficere cupientes, quod hoſtium exercitus prope eſſet, deſcendere ſine magno praeſidio non audebant. Secuti erant BRACHIVM centum equites, ex omnibus, quos haberet, delectiſſimi, non tam ſtudio pugnandi, quam ne hoſtes furtim excurrentes in ſe incederent: quippe incognitam hoſtibus eam profectionem arbitrabantur. Angelo, ut ſunt prava hominum ingenia, per transfugas nuntiatum eſt, BRACHIVM prima ſtatim aurora cum paucis ad rivum profecturum. Sic, ubi primum illuxit dies, cum ſeptingentis equitibus, ad eum locum contendit. Prior tamen BRACHIVS ad rivum pervenerat. Qui, conſpecta appropinquantium hoſtium acie, magno in ſe clamore atque impetu venientium, equum conſcendit, converſusque ad ſuos, in magno, inquit, periculo aut fugiendum eſt nobis, aut fortiter reſiſtendum: indecorum illud & ignavi militis opus, hoc vero magni eſt animi & praeclara cupientis. Poſſumus nos quidem tute fugere, ſed quid aliud optare hoſtem putatis, quam fugientium terga reſpicere? Non inſcius ad hoc diſcrimen veni, ſciebam, hoſtes impetum in nos eſſe facturos, eamque ob rem ex omni vos exercitu delegi, ut hic dies & virtutem noſtram, & hoſtium ignaviam, teſtaretur. Scio enim, non opus eſſe hortationibus, nec ſtrenui

Brachii ad ſuos adhortatoria oratio.

nui militis eſt, plus de aliena multitudine, quam de ſua virtute, cogitare. Totius vos exercitus noſtri robur obtinetis; ſi reliquis copiis decertarem, milites, iam dudum de fuga ſtatuiſſem. Gladios veſtros non magis ipſe hoc bello vidi, quam hoſtes ſenſere. Soli vos in acie dimicaſtis, ſoli in caſtella impetum irruptionemque feciſtis. Reliqui milites, niſi quod ornamento ſunt, impedimento nobis, non auxilio, fuere. Plura dicerem, niſi hoſtis appropinquaret. State animo praeſenti, & venientium impetum ſuſtinete, magnam hodie reportaturi gloriam. Haec cum dixiſſet, milite in ordinem atque agmen diſpoſito, collem proximum paululum editum occupavit. Putabat enim, univerſum hoſtium adeſſe exercitum. Nam & ingens venientium ſtrepitus exaudiebatur, & pulvis late ſurgens, quo minus omnes eorum cerneret copias, impediebat. Suos deinde, iuſſos expectare hoſtem, in collis radicibus collocavit. Collis autem non praeruptus atque aſper, ſed molli acclivique iugo ſurgebat, ut, ſi multis pauci reſiſtere non poſſent, in ſupremum recipere iugum ſeſe equites potuiſſent. Haec agentem magno cum impetu hoſtes adoriuntur. Armati milites, ſuperiore pugnantes loco, venientium agmen exceperunt, fortiſſimeque reſtiterunt. Hoſtes, nunc paululum regreſſi, nunc recentem ſubmittentes turmam, quaſi murum ariete percuterent, aſſiduos in BRACHIVM impetus

Cum Angelo pugna.

petus faciebant. Ille ſuos, ut ordinem ſervarent, nec locum, niſi dato ſigno, deſererent, admonebat. Ipſe nunc eminus haſta, nunc cominus gladio, venientium adverſa ora feriebat: mox laſſatos hoſtium ordines conſpicatus, ſignum manu dat, ut apertos inordinatosque adoriantur. Illi, imperata facientes, in adverſam efferuntur aciem. Mox, multa edita caede, ne circumventi a multitudine, receptu prohiberentur, colligunt ſeſe, multisque acceptis illatisque vulneribus, ad tumulum revertuntur. Hoſtes inſtaurant praelium, & recentes feſſis, vulneratis integri, ſuccedunt. Brachivs, ne laſſitudine milites afficerentur, omnes quidem in acie eſſe, ſed a fatigatis tutiore loco dimicari, iubet, obſervataque occaſione erumpendi, hoſtes primos in fugam convertit, reliqui ad ſubveniendum excitantur. Hoc modo quatuor continuis horis pugnatum eſt: demum hoſtes, multis cohortibus unum in agmen acceptis, delectam peditum manum, in duo cornua partiuntur: his praecipiunt, ut, dum equeſtre agmen ad radices totis decertarent viribus, ipſi dextra laevaque in interiora colliculi iuga penetrarent. Hac re cognita, Brachivs quindecim equitibus deſcendendum ab equis, &, ne pedeſtris acies pugnantes a tergo ſuperne adoriretur, ordinemque perturbaret, iugum mature occupandum, demonſtrat. Pedites, quorum pauci ad medium iam evaſerant collem, ab equitibus

tibus multis cum vulneribus repelluntur. Interea conferti hoſtium cunei ad radices uno totius agminis impetu dimicabant. BRACHIVS primum in multam deſcenderat planitiem, mox paulatim cedendo pro tumuli radicibus decertabat. Hoſtes victoriam conceperant animis, &, ſpreta paucitate, acerrime praeliabantur. BRACHIANI, qui, quanto numero vincebantur, tanto animis & virtute vincebant, ordinum laſſationem expectabant, intentique ad ducis nutum, uno momento & recipiebant ſeſe, &, ubi aperta hoſtium latera viderent, adverſam in aciem erumpebant. Hoc modo reſiſtendo, invadendo, ad noctem usque traxere praelium. Nox pugnam diremit. Nec deſunt, qui affirment, hoc praelium, ſi numerus utrinque ſpectetur, omnia, quaecunque in Italia geſta ſunt, periculo & magnitudine ſuperaſſe. Caeſi ex hoſtibus duodecim equi, confoſſi fere omnes BRACHIANI, omnes vulnerati; inter quos Spinta quidam, qui ſub BRACHIO iam inde a puero militaverat, una cum equo, centum & quinque confoſſus vulneribus, Gulielmus Mecha, duobus & ſeptuaginta. Res omni poſteritate memorabilis. Hac pugna perterriti hoſtes, nihil minus, quam aequo loco, iuſtaque dimicare acie, cupiebant. Quo praelio omnium finitimorum animi, ut alienati ab hoſtibus, ſic BRACHIO conciliati ſunt, fortunam belli magis, quam fidem, ſecuti. Proxima caſtella non

Brachii ſingularis in reſiſtendo virtus.

Felices eius in dimicando ſucceſſus.

non modo non expectabant obſidionem, ſed, ultro miſſis legatis, praeſidiisque hoſtium direptis, portas aperiebant. Intra paucos dies capti ex praeſidiis equites trecenti, qui armis equisque ſpoliati, atque una veſte dimiſſi, ceteris incuſſere terrorem. Angelum quoque, tanti modo exercitus ducem, milites deſeruere, atque ad BRACHIVM, aſſidua bella molientem, ſe contulerunt. Ille cum paucis Firmum conceſſit. Per id tempus Tudertini, orta ſeditione, qui civitate eiecti ſunt, cum BRACHIO ſocietatem iniere. Rebus proſpere geſtis, BRACHIVS, cui nihil otio & quiete moleſtius erat, cum omnibus copiis in maritimam agri Piceni oram impetum facit. Anconitanis pecora erepta, frumenta deportata, agri villaeque vaſtatae ſunt, agreſtes multi capti, denique ingens rerum omnium coacta praeda. Ergo ſuo magno incommodo prudentes facti, legatos, qui & captivos redimerent, &, quanto commodius fieri poſſet, de pace tractarent, ad BRACHIVM miſerunt. Legatis perbenigne acceptis, data pace, captivos, quod legati ipſi ſtatuiſſent, pretio reſtituit. Qui, magnas agentes gratias, ſeptem millia nummum pro captivis & reliqua praeda promiſerunt. Stetit inde cum Anconitanis amicitia. Paucis poſt diebus educto in expeditionem exercitu, Montem Conſcium, munitum ſitu oppidum, vi cepit. Inter haec, Ludovicus omnes Italiae Duces ſolicitare, ſpe, promiſſis,

missis, pecunia, allicere, copias undique comparare, & omni conatu hostem, quem venientem arcere non poterat, iam prementem submovere conabatur. Adscitis deinde sibi Martino Faventino, & Carrariae Comite, equitibusque ad tria millia comparatis, adversus BRACHIVM, qui ad Montem Conscium, paucis ante diebus captum, stativa habebat, cum omni exercitu proficiscitur.

Pugna Brachii cum Ludovico,

Eorum adventu cognito, BRACHIVS, ne detrectare pugnam crederetur, passuum duo millia processerat. Ibi parva in planitie structis utrinque ordinibus, quod erat reliquum diei, pugna consumtum est. Pugnatum est aliquot continuis horis: hostium equi attriti multi, capti etiam nonnulli: belli finis repulsi duces fuere: qui, magna vi reiecti, in proxima se castella receperunt.

& victoria.

BRACHIVS haud dubie victorem exercitum in castra reduxit. Fama invicti ducis iam undique per finitimos vagabatur. Sed, cum ceteri pacem postularent, soli Fanenses non misere legatos, vel quod maritimam incolentes oram, multo intervallo ab inimicis distare se crederent, vel quod Ludovici praesidio tenerentur. At BRACHIVS, qui omnem eam regionem aut vi subegerat, aut societate coniunxerat, cum parte copiarum, expeditisque militibus, Fanum contendit, finesque depopulatus, aliquot non satis munitis castellis expugnatis, petentibus pacem dedit. Hac fama belli ingens ad eum militum

tum multitudo praedae cupida confluebat. Ludovicus, cum videret nunquam ſine ſuo detrimento, & ſuorum pernicie contendiſſe, oppida praeterea alia vi expugnata, alia ſua ſponte ſecuta victorem, &, quae in fide manſiſſent (quae pauca erant), vectigalia tardius pendere, pleraque etiam omnino recuſare, milites (quod liberior praedandi eſſet occaſio) quotidie ad hoſtes tranſire, animos popularium, aut repentinis rebus perterritos, aut more ſuo cupidos novarum rerum, odio & ſatietate eſſe mutatos, conſulendum rebus ſuis, nec omnium defectionem expectandam, decrevit. Mittuntur igitur legati, qui cum BRACHIO pacem atque amicitiam facerent, initaque ſocietate, foedus aequo iure percuterent, dicerentque, placere Ludovico, ad colloquium venire, velle ſe cum BRACHIO multis de rebus agere, ipſe diem locumque conſtitueret, ſe eius fidei ſalutem ſuam crediturum. Legati, pace impetrata, de colloquio retulerunt. Placuit ea res BRACHIO: ſequens dictus eſt dies, quo in agrum Cingulanum dux uterque conveniret. Ludovicus cum quindecim equitibus, ſine telis, ſine armis, ultra eum locum proceſſerat, BRACHIVS etiam cum paucis inermibus obviam profectus eſt. Complexi mutuo ſeſe, multa in eam ſententiam dixere: non de ſanguine & vita inter ſe, verum de gloria atque imperio, eſſe certatum: conſuluiſſe tandem

Conveniunt Brachius & Ludovicus,

 utri-

utrique fortunam, quae, omni ſublata contentione, inceptum bellum victi ac victoris amicitia compoſuiſſet. Sperare, ſempiternam eam fore benevolentiam, modo alter acceptas bello iniurias oblivìſceretur, alter illatas oblivioni traditas non dubitaret. Profecto nihil mortalium animis, cum furore ſtultitiaque armantur, pertinacius: inde caedes, inde, quae ſedari ſaepe nullo modo poſſunt, odia & ſimultates, oriuntur. Contra quum humanitatem & rationem induerunt, nihil mollius flexibiliusque reperies. Paucis verbis, uno nutu, uno officio, ardentiſſima quaeque odia reſtinguuntur. Duo duces, paulo ante infenſiſſimi, non prius ex eo loco diſceſſere, quam ex inimicis atque hoſtibus ſocii atque amici facti, omnia inter ſe pollicerentur: ſaepe inde alter alterius uſi opera. Quibus diebus haec facta ſunt, ex caſtris Ludovici quingenti equites transfugerunt, atque Aſculum conceſſerunt. Opinio eſt, ſolicitatos ab Aſculanis, qui paulo poſt rebellionem fecerunt, & pecunia eſſe corruptos. Ludovicus, Aſculi defectione audita, ingenti dolore affectus, quod urbs erat ſitu munitiſſima, & a ſuis etiam militibus, qui transfugerant, defendebatur, odio atque ira incenſus, ut alteros fugae, alteros rebellionis crimine punire poſſet, conſilium capiebat. Placuit tandem mittere, qui a BRACHIO peterent auxilium, periculum facturo, an verbis facta reſponderent. BRACHIUS

& foedus pacis pangunt.

CHIUS

CHIVS statim, ut & amici & socii ulcisceretur iniurias, simulque ut suis militibus praedandi occasionem non denegaret, exercitum in expeditionem eduxit. Iunctis copiis, Rogerium ac Fabricium, suae factionis viros, qui & ipsi Perusia exulabant, exercitumque mille & quingentorum equitum comparaverant, vocandos per literas adiungendosque constituit. *Illi*, *acceptis literis*, cum omnibus copiis ad BRACHIVM convenerunt. Paratis, quae ad expugnationem erant paranda, Asculum, qua parte adiri expugnarique posset, tanto impetu sui milites irruperunt, ut, qui in moenibus erant collocati, omnibus deiecti propugnaculis, BRACHIANORVM impetum sustinere non possent: transfugis omnibus equi armaque erepta sunt, fugae autores trucidati, urbem diuturna pace opulentam milites diripuere, autores rebellionis capitali supplicio damnati, alii in crucem sublati sunt, alii securi percussi. Ludovicus, Asculo recepto, BRACHIANIS quidem militibus dona distribuit, BRACHIO autem ingentes egit gratias, expertus & hostem perniciosum, & socium fidelem sibi utilemque fuisse. Dum haec ad Asculum geruntur, Carolus Malatesta, qui Ariminensibus imperabat, bellum contra Camertes suscepit. Causa suscipiendi non satis certa, nisi quod aviditas imperii, quo plura habet, hoc maiora concupiscit, nec ulla re tam facile potest, quam aliena calamitate, satiari. Camerini

Auxilium fert Brachius Ludovico contra Asculanos,

eosque ad obsequium redigit.

rini imperium duo fratres obtinebant: ii suis diffidentes viribus, auxilium a BRACHIO atque opem per legatos imploraverunt. Iam hostes castellum Ramunni, quod erat in Camerti agro, expugnaverant, proximumque agrum strage atque praeda late populati, quae asportare non poterant, incendendo villas, aedificia diruendo, cuncta vastabant. BRACHIVS, omni cunctatione abiecta, cum omnibus copiis in Camertium fines pervenit. Eius adventu perterriti hostes, primum praeda rapinisque abstinuerunt. Mox, illuc adducto exercitu, nec pugnam facere, nec obsidionem expectare, sunt ausi. Itaque fuga praecipites acti, castellum, quod vi ceperant, metu reliquerunt. Tuti celeritate hostes fuere. Vix enim quinque passuum millia BRACHIVS appropinquaverat, cum illi non prius consuluere de conflictu, quam de fuga statuerunt, ac Fabrianum, finitimum Camertibus oppidum, quam celerrime confugerunt. BRACHIVS, ne milites longo itinere lassos nimio studio insequendi fatigaret, ingressus castellum, unius diei quietem concessit. Omnibus deinde corpora curare iussis, ad insequendum hostem profligandumque contendit. Ipse de tertia vigilia delecto equitatu antecedens, subsequi reliquos iussit. Id eo consilio factum, ut paucitatem despicientes hostes, in certamen venire, & multi cum paucis manus conserere non dubitarent: quod si facerent,

Carolum Malatestam ex finibus Camertium pellit.

rent, facile interventu reliquarum copiarum opprimi posse existimabat: sin vero intra moenia se illi continerent, totum se agrum ante eorum oculos vastaturum. Oppidanorum oculis triste spectaculum. Hostes primum non ausi sunt ad praelium descendere: mox per exploratores de eorum adventu ac numero certiores facti, quadrato agmine, ut redeuntes cum praeda, graves impeditosque invaderent, duo millia passuum processerunt. Quippe aut fugituros BRACHIANOS putabant, aut, si praelium inire vellent, praedam esse dimissuros. Praelium aliquandiu de industria tractum, donec reliquae cohortes, quas subsequi iussas ostenderam, advenire potuissent. Illae, praedae cupiditate adductae, diverso itinere per hostium agrum fusae palantesque vagabantur. Quae res ubi per suos BRACHIO est nuntiata, veritus, ne, si ipse pugna discederet, cohortes ab hostium equitatu diriperentur: simul ipse bellum fortissime sustinet, simul mittendos curat, qui reliquas copias a praeda revocarent, aut, si egissent praedam, reducerent. Milites statim dicto audientes fuere. Hostes, ubi ingentem conspexere praedam, greges atque armenta abduci, agrestes vinctis trahi manibus, tabulas, ligones, sarras, asportari, magno pudore atque ira perciti, impetum in dissipatos facere voluerunt. Conversos BRACHIUS a tergo adoritur, ordines perturbat, &, qui recupe-

 rare

rare praedam volebant, praeda & ipsi efficiuntur. Capti sunt equites ducenti, reliqui Fabrianum praecipiti fuga delati. Ibi collectae reliquiae confirmatique ad resistendum animi, maxime omnium ad iniquitatem loci cogi hostem atque opprimi posse arbitrabantur: & BRACHIANI aeque recenti praelio, & longo discursu fagitati, deficiebant. Iam ad Apennini radices pervenerat, cum non procul a tergo Fabrianensium ingentem sub armis manum conspicatur, modico intervallo a dextra properantium. Horum consilium erat instare ad montis usque suprema iuga, eaque, si possent, priores occupare, hostemque adscensu prohibere. BRACHIUM multa impediebant, nox iam imminens, loca salebrosa atque ardua, & hostibus quam sibi notiora: maxime omnium lassitudine equorum promovebatur: non illi urgeri calcaribus, non virgis excitari poterant: singulo quoque gradu subsistere, ac spiritu, ac spuma & sudore laborare. Milites periculi magnitudine attoniti esse, plerique munienda vallo & fossa castra censere: quae res ut prope necessaria videbatur, ita plus periculi, nihil cibariorum, nihil pabuli habentibus afferebat. BRACHIUS primum anceps animi, mox omnibus ultro citroque agitatis, ex omni praeda equas ante mittit, atque iis equos alios intermisceri, alios haerere vestigiis, permittit. Illae recentes stimulis actae, magno

magno cursu ad montis iugum evadunt. Equi, natura (ut fit) libidine incitati, fortius subsequuntur, cursum quamvis fatigati adaequant. Hac celeritate effectum, ut prior ipse occuparet cacumen, atque equi lassitudinem, quasi natura ita iubente, deponerent. His rebus gestis, BRACHIVS, adventu brumae, militem ad hyemandum dimittit: nec multis post diebus, cum apud Rocham hybernaret, nuntiatum est, trecentos Martini equites oppidum Lepirum, quod situm est non longe a Cingulanorum finibus, occupasse. Qua re nuntiata, BRACHIVS, omnibus copiis ex hybernis deductis, illuc noctu agmine infesto proficiscitur, oppidumque egregie munitum aggressus, oppidanos se dedere volentes non audivit. Captum oppidum, atque direptum est: trecenti Martini equites, rebus omnibus spoliati, dimittuntur. His rebus permoti Cingulani, quod nimis vicinum haberent bellicosum hostem, agri vastationem causati, quinque millia nummum, si agro discederet, oppidumque traderet, obtulerunt. Accepta conditione, stipendium ex ea pecunia militibus datum est, exercitus iterum ad hyberna reductus. Quieturus iam BRACHIVS videbatur, cum Cingulani, Lepiro oppido in potestatem recepto, timere de fortunis suis coeperunt, veriti, ne, vere adveniente, hostes, meliorem nacti tempestatem, aliquam belli causam occasionemque perquirerent: nunc

Lepirum capit & diripit.

Cingulanorum cum Martino Faventino contra Brachium conspiratio.

demum, priusquam periculum incumberent, providendum esse rati. Consilio inter se inito, legatos ad Martinum Faventinum mittunt, petentes, quantum praesidii opus esset, ad hostium excursiones rapinasque coercendas: malle se affirmantes eius copias suis rebus alere, quam hostibus diripiendas vexandasque praebere. Faventinus, probato consilio, gratias egit, quod in se fidem habuissent, mittitque sexcentos equites, ex iis, quos haberet, delectissimos. His, iubet, ut Cingulanorum fines ab hostium populationibus tueantur, simulque ne temere praelium cum hoste committant: satis habere dicens, si a rapinis atque incendiis prohiberent. BRACHIUS datam sibi occasionem suscipiendi belli non putavit negligendam. Confirmatis suorum animis, nos, inquit, bella, o milites, saepe quaesivimus; at, illa nunc sua sponte cum sese offerant nobis, eamus, quo pavor hostium longa quiete sopitos excitavit. Satius est inferre bellum, quam propulsare. Augeamus sane terrorem, ne otio nostro confidentes, erigantur animi. Facilius enim opprimuntur, qui de fuga & calamitate, quam qui de victoria & praeda cogitaverint. Iis dictis, per omnes stationes militum edici iubet, postridie in armis essent, &, quae ad profectionem multorum dierum necessaria forent, compararent: paucos deinde praemisit, qui a proximis oppidis peterent commea-

Huius ad suos adhortatio.

Proficiscitur hinc Brachius

meatus, negantibus bellum indicerent, ipsi cogendo frumento, in primis hostium finibus eius adventum expectarent. Quod eo consilio faciebat, ut, si diutius in Cingulanorum agro morandum esset, magna frumenti suppeteret copia. Nam asperitate hyemis rara pabula reperiebantur, & hostes omnia, quae exercitum alere possent, aut in oppidum ex agris contulisse, aut, quae supportari nequiverant, incendisse, ferebantur. Circiter Calendas Martias cum omnibus copiis in Cingulanorum fines profectus, haud procul ab oppido duum millium intervallo consedit. Vix castra erant munita, cum per exploratores, quibus ille, militari more, etiam minimis in rebus utebatur, nuntiatum est, Cingulanum populum armatum occurrere: esse equitum septingentos, peditum duo millia. BRACHIUS, quod equitatu praevalebat, in patentem processit campum, atque ibi, structa acie, hostium adventum expectabat. Oppidani, magna spe destituti, quod speraverant de improviso castra munientem adoriri, pugnam eo in loco committendam non putaverunt, ne, si quid adversi accidisset, recipiendi sui in oppidum, quod procul certaretur, facultas esset erepta. Hac de causa, paulatim cedendo, ne ordines perturbarentur, ad oppidi muros pervenerunt, parati expectare hostem, si manu decernere statuisset, eum locum peropportunum fore, nec oppidanos ab equitatu hostium circumveniri


In agrum Cingulanorum.

D 5 veniri

veniri posse arbitrabantur, &, si acrius premerentur, facilem in oppidum esse receptum. Contra BRACHIANOS aut nullam victoriam, aut insignem calamitatem, reportaturos. Si vincerent, paratum esse victis perfugium in oppidum: si vincerentur, quo se reciperent, non habituros. BRACHIVS, etsi cognoscebat hostium consilium, confisus tamen militum virtute bellique peritia, quadrato & ipse agmine incedebat, ratus, oppidanos, ubi moenibus appropinquassent, conversos in se praelium inituros: fieri posse, ut freti vicinitate oppidi, ab ordine discederent, dissipatos facile opprimi posse. Nec sua eum consilia fefellissent, nisi, qui praesidio erant relicti, assueti bello viri, in ordine continuissent populum, &, quid, si non parerent, futurum esset periculi, ostendissent, iubentes, ut extra moenia belli exitum expectantes, sinerent militem cum milite, equitatum cum equitatu, contendere: tunc se oppidanorum opera usuros, cum praelii ratio postularet. Quod si omnino aliquid & ipsi facere voluissent, contenti essent procul confertum in hostem coniicere tela, & pugnantem saxo sagittaque propellere. Inito bello, acriter utrinque pugnatum est: hostes saepe repulsi intra portas se recipiebant: mox, maioribus resumtis viribus, in BRACHIANOS magno cum impetu eruptionem faciebant, quos cum rursus intra portas agerent, ab oppi-

Eiusdem cum his pugna.

oppidanorum telis confodiebantur. Perdurante ad noctem praelio, tribus continuis nocturnis horis, facibus lychnisque accenſis, & per oppidi moenia diſpoſitis, tanto utriusque ſtudio pugnatum eſt. Nam & oppidani victoriam ex fatigato hoſte ſuperabant, & BRACHIANI bellandi ſtudio tenebantur. Haec duo praelia, Cingulanum, & quod apud Rocham geſtum eſt, maxime omnium, quae geſſerat, illuſtria & periculoſiſſima fuiſſe memorantur. Milites ex utraque acie vulnerati fere omnes, equi plerique eviſcerati caeſique traduntur. Pugnatum eſt, quamdiu pugnandi facultatem hoſtes fecerunt. BRACHIVS, inſigni & illata & accepta calamitate, victorem exercitum, quod hoſtem intra moenia compuliſſet, pro concione laudavit. Medici ex proximis urbibus acciti, qui vulneratos diligentiſſime curarent. In ipſo reditu, Fabrianenſi depopulato agro, Saxiferrati Tyrannum in ſocietatem recepit. & victoria.



IOAN-

IOANNIS ANTONII, EPISCOPI APRVTINI, DE VITA ET GESTIS ANDREAE BRACHII, PERVSINI, ITALICAE MILITIAE IMPERATORIS OLIM STRENVISSIMI,

LIBER SECVNDVS.

Ladislaus, Rex Neapolitanus, mittit legatos ad Brachium.

Dum haec in Picentis geruntur, Ladislaus, Rex Neapolitanorum, magnis ex Italia coactis copiis, quum Hetruscis inferre bellum, Romamque occupare, statuisset, legatos ad Brachium misit, Ottinium Neapolitanum, summae autoritatis virum, & Matthiam Perusinum, qui nobilitatem secutus, in exilium cum ceteris optimatibus eiectus, aliquot annos sub Rege ipso militaverat. Legati, magnifice accepti, Regis mandata exposuerunt: nunc tempus esse recuperandae patriae, non negligendam eam occasionem, Regem modo sequeretur, haud defuturum exulibus auxilium: Regem ad paucos dies in Hetruriam magnas traiecturum copias, atque ipsum in expeditionem esse venturum: comparasse equitum viginti millia, quibus non modo Perusiam oppugnare posse, sed omnem Italiam brevi esse subacturum. Proinde sequeretur invi-

victi Regis auspicia, nec offerenti sese fortunae deesset: exules si nunc in tanta rerum opportunitate negligerent, non semper eam occasionem habituros. Polliceri Regem stipendii quantum ipse copiarum coegisset, non equitibus, non peditibus pecuniam defuturam. Haud difficile fuit persuadere cupientem; tamen, ne quid inconsulte facere videretur, legatis respondit: se quidem tanto Regi immortales habere gratias, velle tamen cum militibus consultare, postero die quam plenissime responsurum. Omnibus igitur equitatus peditatusque ductoribus ad se venire iussis, primum Regis mandata aperuit, mox etiam a minimis postulata sententia, cum adiecisset, nihil se sine militum consilio statuere voluisse, ingens omnium clamor est subsecutus: eius esse consilium capere, utrum statueret, in eius arbitrio & potestate esse. Quod ad se pertineret, nunquam deserturos imperatorem suum, maxima quaeque adituros pericula: duceret, mitteret, quo videretur, se, quoties opus esset, omnes pro eius dignitate morituros, illum ducem, illum parentem esse. Multis animi studio excussae lacrymae, vocem ferre prohibebant. Constat enim, omnium aetatum imperatorum neminem suis militibus fuisse cariorem. Nam animi magnitudinem in admirationem conversam, insita a natura linguae suavitas adornaverat: nemo blandius appellare milites, nemo nec lenius

Huius responsio.

erra-

errata castigare, nec ardentius ad bellum excitare, consuevit: tum milites in summa discrimina non mittere, sed ducere, labori, vigiliis, inediae, non magis, quam ceteri, succumbere, praedam reliquam militis facere, sibi solum imperium quaerere: hinc amor exercitus, hinc illa ingens militum benevolentia conflata est. Igitur Calendis Aprilis, quatuordecim millibus nummum acceptis a Rege, stipendioque militibus distributo, cum omnibus copiis Romam versus contendit. Erant in exercitu equites ad mille & ducentos, pedites circiter mille, pauci Picentum praesidio relicti. Iter erat per Fulgineatem agrum. Cives eius, transitum aegre ferentes, frumentum & commeatus exercitui praebere noluerunt. Qua re permotus BRACHIVS, agri parte infesta populatione vastata, oppidum Verchianum, decem millibus passuum procul ab urbe, praecipiti atque edito in colle situm, expugnavit, diripiendumque militibus dedit. Plenum erat oppidum frumenti, quo agrestes ex omni agro, veluti ad munitum & commune horreum, comportaverant. Post haec, in Tudertinorum fines castris permotis, secundum Tyberim aliquot dierum stativa habuit, quoad reliquae copiae, quas undique acciverat, convenirent: quum nec legati quidem ipsi, quod Regis literas expectabant, profectionem accelerarent. Dum in Tudertino moram traheret, ne milites continenti bello

Brachius cum copiis Romam versus contendit.

In quo itinere Verchianum capit.

Collem medium occupat.

bello assueti otio torpescerent, Collem medium, Tudertinorum oppidum, quod non longe a Perusinorum finibus aberat, durissima oppugnatione aggressus, in Regis ditionem subegit. Hac re permoti Perusini, quibus iam pridem eius potentia suspecta erat, Ruffum Aquilanum & Ciccholinum Michilotum, plebeae factionis principem, ad proxima tuenda castella miserunt, qui, cum apud Derutam, munitissimum situ oppidum, cum suis copiis morarentur, Collis medii oppugnatione audita, inconditum BRACHII exercitum, & capiendo oppido intentum, de improviso adoriri, hostesque aut caedere, aut oppugnatione prohibere, statuerunt. Itaque, vix coepta oppugnatione, Ruffus Aquilanus & Guido Perusinus cum quadringentis equitibus a tergo sese ostenderunt. Hos subsidiarii equites quingenti, quibus Ciccholinus praeerat, cum magna agrestium multitudine, quanto intervallo cerni ab hostibus non possent, subsequebantur. BRACHIVS, hostium adventu per speculatores cognito, Gulielmum Mecham cum duabus cohortibus procedere, & praelium committere quam aequissimo loco, iubet. Eius impetum hostes sustinere non potuerunt. In fugam terga vertentibus, Ciccholinus, quem subsidio suis venire monstraveram, infesto occurrit agmine, factoque in persequentes impetu, BRACHIANI multitudinis vim non sustinuerunt. Tum

Perusinos fugat.

BRA-

BRACHIVS centum delectos atque hastatos immittit equites, iussos, hostem, suis imminentem, quanto maximo possent, conatu adorirentur. Ii tanto impetu in adversam se intulere hostium aciem, ut, plerisque equo excussis, reliqui in fugam verterentur, non prius fine fugiendi facto, quam Derutam fusi conterritique pevenissent. BRACHIVS victum ac dissipatum hostem persequendum militibus demonstrat, qui, imperata facientes, vulneribus tardatos corripuere: pedites aegre fugam molientes ad unum capti vinctique in castra retrahuntur. Gulielmus, cum duabus illis cohortibus reliquisque hastatis equitibus persecutus hostem, ad Derutae portas pervenit. Deruta, in colliculo paulo editiore sita, planitiem habet ad portas late iacentem, in qua cum alia quaedam aedificia, tum meritoriae tabernae plurimae, viam, qua Romam itur, hinc atque hinc cingunt. Hic cum omnes hostium copiae, quae ex conflictu evaserant, colligere sese, ac instaurare bellum coepissent, auxiliantibus oppidanis, & in BRACHIANVM militem superiore loco tela ac saxa iacientibus, pugnatum est aliquamdiu acerrime. Sed hostes, priore calamitate perterriti, plerique intra oppidum refugere: capti equites ducenti quadraginta, inter quos & Ruffus Aquilanus, paulo ante exercitus ductor, victoriam insigniorem fecit: aedificia illa, quae diximus, direpta atque incensa omnia.

omnia. Interea BRACHIVS oppugnationem oppidi non prius dimiserat, quam intra moenia milites, plurimis circum erectis scalis, irrupissent. Igitur, duplicata victoria, utrumque militem, & qui profligaverat hostes, & qui oppidum expugnaverat, pro concione laudavit. Haec in Tudertino gerenti, Regis literae perferuntur, quibus significabatur, captam esse Romam ad aedem Hadriani, & praeterea fanum divi Petri obsessum habere, aditus undique esse praeclusos, venturum se cum omnibus copiis in Hetruriam, nec opus esse obsidionem suo praesidio firmare: Romanos ipsos urbano exercitu & arcem & templum obsessuros, se nullo pacto exercitum distrahere statuisse, habere in armis equitum viginti millia, peditatum dimidio minorem: maturaturum, ut quam primum totum bellum in Hetruriam transferretur: orare BRACHIVM, quas coegisset, copias, ut cuique opus esset, equis atque armis communiret, expectaretque eius adventum: interea augeret, quoad posset, exercitum, &, quot posset, pedites undique & sagittarios compararet, iis maxime opus esse oppida atque urbes oppugnaturo. His literis acceptis, BRACHIVS, quod existimabat, Regem non ita statim venturum, munitis ad medium collem castris, saepe nunc Tudertinum, nunc Perusinum excurrens agrum, finitimis magno erat terrori. Fama erat, Regem nul-

& Derutam expugnat.

Literae Regis Ladislai ad Brachium.

Variae huius excursiones.

la humana vi contentum, regna atque imperia subversum venire, eiecturum eos, qui regnarent, atque exules, quorum postea fide uteretur, in suas urbes, atque in suam quemque patriam reducturum. Perusini, iam pridem hac fama perterriti, ubi, capta Roma, tantas Regis copias adventare ad invadendum Hetruriae imperium acceperunt, consulendum rebus suis, nec tantam belli molem expectandam, statuerunt. Itaque, publico inito consilio, Legatos, qui, nisi de reducendis exulibus, nullam pacis conditionem recusarent, commeatus auxiliaque promitterent, postremo, si aliter omnino non possent, civitatem atque imperium dederent, ad Regem mittere decreverunt. Legati Romam profecti, de pace primum agere coeperunt: sed, Rege in exules propensiore, multum diuque nequidquam peractum est. Illi, pace non impetrata, societatem facere contendebant: quem ille imperasset, eundem Perusinos vel amicum, vel hostem, habituros esse, affirmantes: transitum, arma, tela, frumentum, militem, praebituros. Nec hanc quidem conditionem accepit Rex, ratus, constantius in fide mansuros exules, qui sua opera civitatem recuperassent. Hac re animadversa, legati frangendum Regis animum imperii cupiditate tentaverunt. Aditu itaque * rerum ad Regem postulato, nova interposita conditione, civitatem atque imperium obtulere, si modo exules omnes pro ho-

Perusinorum Legati ad Ladislaum, primum de pace cum eo agunt,

post civitatem atque imperium ipsi offerunt.

* *iterum.*

hoſtibus haberi, & regio exercitu ac regno decedere, iuberentur. Rex tantam invadendae Hetruriae occaſionem non putavit repudiandam, eam unam eſſe urbem, bello, quam paci, commodiorem: nec frumentum ſolum (cuius eſt feraciſſima) ſuppeditare: ſed viros bello aſſuetos, ſed arma etiam, ſubminiſtrare poſſe. Utraque enim re Peruſini abundare ferebantur: quippe factiones iam inveteratae, crebraeque ſeditiones, & populariumanimos ad bellum aſſuefecerant, & omnis generis invexerant arma: tum ſaepe ex multis audierat gentem eſſe ſua quadam natura bellicoſam. Haec Regem movere. Sunt, qui fuerint opinati, inter ceteras conditiones rem ſceleſtam ac nefariam adiectam eſſe: promiſiſſe Regem, cum primum BRACHIVS ad ſe veniſſet, ſtatim in vincula coniecturum, receptaque deinde civitate, aut ſuorum manu necaturum, aut Peruſinis necandum traditurum. Quam perfidiam, etſi a regia dignitate alieniſſima cenſenda eſt, tamen, quae ſecuta ſunt, veriſimilem effeciſſe indicantur. Et Rex ille, ſanguinis, quam gloriae, avidior, multis cladem intuliſſe ferebatur, atque aliis inedia, aliis ferro, vitam ademiſſe. Poſt Legatorum diſceſſum, Rex, priusquam traiiceret copias, ad BRACHIVM ſcribit, ut, quam maturiſſime fieri poſſet, cum omni exercitu contenderet Romam: ſtatuiſſe, non ante movere caſtra, quam cum eo de ratione moven-

Perfidia Regis in Brachium.

Illius ad hunc literae.

di belli communicaret, exercitumque coniungeret. Cum literae essent redditae, consuetudine sua, BRACHIUS, omnibus ductoribus ad se vocari iussis, Regis imperata ostendit, simulque edicit, ut equos atque arma in parato habeant, prima luce iter ingrediendum esse. Haec dicenti literae Ottinii, regii Legati (quem diximus), afferuntur; is erat longe acceptissimus Regi, & eam ipsam ob rem omnium particeps consiliorum, quem BRACHIUS, cum Legatus ad se venerat, magnifice acceptum honoratumque remiserat: pollicitationes quoque multae cum intercessissent, utriusque animum summa (ut fit) benevolentia & singulari amore devinxerant. Igitur Ottinius amici magis, quam Legati, officio functus, BRACHIUM de Regis consilio certiorem faciendum putavit.

Epistola Ottinii.

Literae fuere eiusmodi: Cum Rex Legatum me misisset ad te solicitandum; nihil feci reliquum, quo minus eius tibi societatem persuaderem. Sperabam, vestram amicitiam Regi quidem usui, tibi vero & usui & ornamento, fore, nec existimavi, ut, cuius foedus atque amicitiam postulabant, ei cladem atque exitium importarem. Maiores mei, cum opibus & potentia claruissent, magis tamen fide & vitae integritate claruerunt. Habeo proposita mihi exempla maiorum, malle cum fide oppetere mortem, quam perfidam vitam agere. Sic mei me parentes edocuerunt, non aliter serviendum esse Regibus, quam

quam honeste, & cum nullius calamitate, serviendum. Eam ob rem, cuius ego curavi dignitatem, eius indignissimam mortem sustinere non potui. Proinde cave, ne in Regis devenias manus; video, illum magis alieni commodi, quam sui decoris, habere rationem. Cave, cuiquam te credas, ne ad eum profectus, nimis bona fide capiare. Quid ille paraverit, ne quaeras. Nihil tam honeste sileri, quam scelus, potest. Vale, & tui curam habe. His literis acceptis, BRACHIVS, suspensus aliquamdiu & attonito similis, non modo sermone abstinuit, sed vultum coloremque variat m admirati milites sunt. Tabernaculum deinde ingressus, ostio obserari iusso, lectaque iterum epistola, animum in diversa consilia agitabat: non posse credere, tantum Regem dolo eum petere, a quo nulla in re esset offensus, id ne tyranni quidem esset: tum Ottinium Legatum haud temere in suspicionem se coniecisse. Repetere deinde altius coepit, iussisse primum Regem, ut ipse cum suo exercitu in Hetruria remaneret, expectaretque eius adventum: mox, ubi Perusinorum Legati ad eum venissent, statim mutasse sententiam, & pacem cum Perusinis factam audiebat, etsi nihil certi de deditione referebatur: quid eius equitatu Regi opus esse Roma capta? non hostes prope adesse, non illic geri bellum. Ubi commodius, quam in hostium finibus, copias iungi posse?

Maxime hinc perturbatur animo Brachius.

 Nam,

Nam, si consulere de bello velit, quid euntem militem fatigare, paulo post rediturum? Si Hetruscos bello petere decrevisset, quid Romam in Hetruria bella gerentem exercitum revocaret? Cum multa ad suspicionem concurrerent, inprimis tamen Ottinii literis movebatur, hominis fama & nobilitate clari. Sed, ne fraudem odio incenderet, ad Regem misit, qui dicerent, adversa teneri valetudine, eamque ob rem statim literis parere non potuisse, ceterum, quam primum cessaret morbus, cum equitatu profecturum Romam, &, quae essent imperata, facturum omnia. Eam rem moleste tulit Rex, cum quod verebatur, detecta fraude, ingentem regio splendori maculam profusam, tum quod Perusia quam maturissime potiri cupiebat, cui rei maxime obstare putabat BRACHII salutem. Sed, quo celeriter incepta perficeret, sex millia delectorum equitum in Hetruriam quam ocyssime traiecit, ducemque his Troiae comitem praefecit, eique imperavit, ut celeriter ad BRACHII castra contendens, direpto exercitu, ipsum in vincula coniiceret, nec cuiquam profectionis suae causam, nisi re perfecta, patefaceret. BRACHIVS, cum esset nuntiatum, tantum copiarum Regem praemittere, crebros speculatores in venientium castra mittendos curavit, qui omni via atque studio tam subiti adventus causam certam ad eum exploratamque referrent. Et, cum Tudertinum ingressi

Optime se excusat Ladisleo.

Huius consilium de capiendo Brachio.

si agrum, & decem millia passuum appropinquasset, Gulielmum Mecham ad eorum ducem cum muneribus mittit, eique imperat, ut Ottinium, quem una venire intellexerat, quam occultissime posset, conveniret. Ille, ut erat imperatum, ad castra profectus, hominem conventum per fidem atque amicitiam orat, ut, si quid BRACHIO impendeat periculi, certiorem facere eum velit: sua opera in Regis amicitiam venisse, sua opera insidiis non esse circumventum, nunc accumulandum beneficium esse. Ille rem omnem, ut se haberet, edocuit: promisisse Regem Perusinorum legatis, ceteros quidem exules perinde atque hostes habiturum, BRACHIUM vero aut necare, aut tradere necandum: ea conditione Perusinos civitatem atque imperium esse pollicitos. His rebus cognitis, BRACHIUS, haud amplius expectandum ratus, trecentis equitibus Tudertinorum praesidio relictis, ipse cum cetero exercitu in agrum Picenum concessit, primaque habuit stativa inter Senogalliam & montem Alboddi. Mox, Esi urbe recepta in potestatem, Regis copiae, quas adventare monstraveram, ad urbem oppugnandam venerunt, munitamque situ & armis obsidione cinxerunt. Hic, BRACHIO eruptionem faciente, saepe acriter pugnatum est. Hostes, post aliquot praelia, multis acceptis vulneribus, discesserunt. Interea Rex cum reliquis copiis, modico Romae praesidio relicto,

De quo certior factus Brachius,

a copiis regis oppugnatur,

sed sua virtute liberatur.

licto, Senas, placidissimam Hetruriae urbem, contendit, quod sperabat, inita prius Senensibus societate, oportere bellum Florentinis movere posse, quod agrum Senenses haberent finitimum, & commeatus abunde suppeditare possent, tum ex altera parte ad inferum mare pertinerent. Qua spe adductus, complures onerarias naves aedificandas curaverat, ut, quae res bello usui forent, sagittae, tormenta, & alia machinarum armorumque varia genera, mari celerius, quam terra, vectarentur. Florentinorum opes ea tempestate haud satis magnae erant, sed angustos imperii terminos insita genti calliditas tuebatur. Iis nullae gentes neque animo ad res magnas gerendas, neque consilio, praestant. Saepe cum finitimis populis rem gessere, cum aut ipsi ultro inferrent bella, aut ab aliis illata propulsarent; nunquam tamen succubuisse, sed latius semper propagasse imperii fines traduntur: non satis bellicosi illi quidem, (ut plane possit intelligi, bella ipsa non magis vi corporis, quam animi consilio, procedere,) sed industria rerum gerendarum mirifice praediti: tum lautitiis & domesticarum rerum magnificentia clari. Templa, fora, parietes, privata atque publica aedificia, cuncta, sublimia. Multo spatio circum urbem altissime surgunt villae, nec pressius agrestes casae, quam urbanae domus, erectae conspiciuntur. Florentinum ingressus agrum, alium quendam censeas patere orbem:

Paratur a Rege bellum contra Florentinos.

Quorum res describuntur.

orbem: ubi urbem intraveris, alterius orbis domicilium videas. Hanc civitatem multi Reges, multi populi, bello petiere. Sed tanta in libertate defendenda vis fuit, ut saepe, necessitate inveniente consilium, Regum ac populorum incepta conatusque perfregerint, &,ubi bellum a potentioribus esset illatum, uno statim momento concitarent finitima bella, & tum semper Italiam, tum plerumque magnam orbis partem, ad arma impellerent,Reges atque auxilia ex alio quodam accirent orbe. Iam nunc reliquae Italiae non tam viribus, quamquam & illae supra modum auctae sunt, quam consilio atque astu, metuendi. Ergo, ubi tanti exercitus adventum acceperunt, peritos rei militaris ad conducendum ex omni Italia exercitum dimisere: ad BRACHIVM quoque, quem iam pridem suspectum Regi atque infensum audiverant, eorum venere Legati, petentes, ne peregrinum & incognitum Hetruscae genti Regem patrium atque avitum regnum occupare permitteret: nunc ulciscendas esse acceptas iniurias, non solum deceptum esse a Rege, sed etiam proditum esse, hoc ipse sibi persuaderet. Florentinos non ante libertatem, quam vitam, amissuros, nec ulla re alia, quam Regis aut discessu, aut fuga, desstituros a bello. Iam pecuniarum tantum exactum esse, ut totum biennium exercitum,quantum opus foret, queant conducere: illos in patria, Regem in alieno solo,

Mittunt Legatos ad Brachium.

lo, inter ignotas atque ideo infirmas gentes, dimicaturum: sperare, ultorem affuturum Deum: nullis illum lacessitum iniuriis, nulla in re offensum a populo Florentino, quietis & nihil ad sua iura pertinentibus inferre bellum. Quid facturum putaret Hetruria subacta? quibus insidiis eius caput petiturum, cuius nunc, violata fide, sanguinem vendere ausus esset? Proinde resisteret inimici nefario sceleratoque furori, &, ut ceteri Hetrusci, auxilio veniret: Regem, etiam si esset amicus, unum esse & multis periculis expositum hominem, brevi, aut suorum insidiis, aut hostili vi, aut (quod necesse esset) aetatis maturitate, occisurum. Populum Florentinum immortalem fore: nec libidine legere amicos, sed fide atque officio tueri, solitum. Nunc illi & persequendi inimici, quod etiam ignavi cupiunt, & invicti populi beneficio devinciendi occasionem datam. BRACHIVS, haec cuncta quam verissima reputans, simulque suorum omnium hortatu in castra Florentinorum, quae non procul ab Aretio erant posita, cum omni exercitu proficiscitur. Eius adventu ingens totis castris laetitia est exorta. Vix equo descenderat, cum iidem illi Florentinorum Legati mille & quingentorum equitum stipendium dinumeravere. Interea Rex, motis ad Aretium castris, urbem muro fossaque munitam, nec oppugnari facilem, obsidere constituit. Qua re praevisa, Florentini Sfortiam, non parvi

Huius in eorum castra cum exercitu adventus.

exer-

exercitus ducem, urbi praesidio collocaverant. Qui cum se obsideri videret, priusquam arctius ab hostium copiis clauderetur, emittit clam, qui BRACHIVM consulerent, quid in tanto discrimine faciendum putaret. BRACHIVS postridie eius diei ex superiore parte urbis erumpendum censet, atque in hostes subitum & improvisum impetum faciendum, daturum se signum erumpendi, atque statim hostibus a tergo incubiturum: proinde venientem se & tuba canere iubentem observaret, statimque extra murum composito educto agmine, prior explicaret aciem, quo ipse facilius a tergo pugnantis & altero praelio intenti hostis ordines perturbaret: facile hoc modo praeclarum aliquod facinus praelio esse facturos. Ille, ut erat imperatum, postero die intra murum componit agmen, acceptoque signo, extra portas instructam paratamque aciem educit. Apud hostes undique ad arma est concursum, paucisque oppositis turmis, quae erumpentium impetum morarentur, utrinque egregie pugnabatur. Cum hostes, armandi sui spatium nacti, undique vi magna confluerent, BRACHIVS, qui non procul inde ad fluminis ripam sese contulerat, inconditum & temere concurrentem hostem a tergo invadit. Tantus terror Regi est iniectus, ut, repulsis longo intervallo suis, ipse de fuga cogitaverit. Ceterum multitudine fretus, inter resistendi fugiendique consilium, trium millium pas-

Consilium Brachii.

Florentinorum cum regiis pugna,

horumque fuga.

suum

ſuum intervallo reiectus eſt. Equi, arma, tela, & reliqua belli inſtrumenta, paſſim iacentia videbantur, cecidereque ex hoſtibus multi, capti etiam fuere nonnulli. Hac inſperata calamitate perterritus magis, quam attritus, Rex, Cortonam viginti paſſuum millia recepit, confeſſus, nunc primum ſcire, aliud eſſe magni, aliud ſtrenui exercitus ducem eſſe: quippe fuſa fugataque viginti millia equitum, decem peditum, a paucis, non prius conſiſtere auſa eſſe, quam perſequendi finem hoſtis feciſſet. Cortonae regnabant tres fratres, qui, quod Aretinis multisque aliis Florentinorum municipiis finitimi erant, eorum ſocietatem atque amicitiam ſequebantur. Rex montanam urbem & muro egregie munitam obſidere coepit, ſperans, quos vi non poſſet, aquarum penuria domiturum. Nec multis poſt diebus cives, facta conſpiratione, & urbem, & dominos, Regi prodiderunt. Hoc primum peregrini atque externi militis receptaculum in Hetruria fuit. Nam Peruſinos, quod remotiores a finibus hoſtium erant, nondum adierat Rex. BRACHIVS, tantae urbis defectione audita, ne hoſtes, novo imperio exultantes, vaſtando & populando latius vagarentur, proximaque oppida rebellionem Cortonenſium exemplo facerent, defendente nemine, ad Caſtellum Aretinum, regiis copiis mature occurrendum decrevit. Oppidum erat procul ab hoſtium caſtris millia paſſuum

Cortona obſidetur,

Regique ipſis a civibus proditur.

Cui Brachius occurrit.

ſuum quinque: hic licentius vagantem & excurrentem hoſtem diu in caſtris continuit. Sed nec faciebat cum univerſis copiis pugnandi facultatem, & diſſipatos mira cum celeritate paulatim carpendo profligabat, ut, quoniam aperto non auderet bello, arte atque inſidiis cum hoſte contenderet. Tum Florentini, nihil aliud, quam dilationem, quaerentes, iam ab initio ipſius belli, ne collatis ſignis in pugnam deſcenderet, inhibuerant: ut quibus ſatis foret, ſi ab expugnationibus & vaſtatione agrorum arceret hoſtem, paulo poſt fame confectum abiturum. Multa ſecunda praelia a BRACHIO facta. Nam interdiu, ſi qui hoſtium frumentatum pabulatumque exirent, intercipiebat, & noctu ad caſtra usque magno cum impetu delatus, non arma exuere, non dormire, ſinebat Regem, qui ſaepe, quos in primis ſtationibus & vigiliis diſpoſuiſſent, capi atque abduci, nonnunquam extremis caſtris ignem iniectum, audiebat. Itaque pudore atque ira percitus, ſaepe BRACHIVM ad apertam pugnam provocare tentavit. Quod cum parum procederet, & hic quoque confeſſus eſt, non ſe vi atque armis, ſed celeritate atque induſtria, eſſe ſuperatum. Tandem, re frumentaria deficiente, Cortonae praeſidio relicto, Peruſiam proficiſcitur. BRACHIVS, iuſſus a tergo inſectari hoſtem, Regis audito diſceſſu, quod exiſtimabat, aliunde bellum eſſe motum, Tyfernum urbem, nunc Caſtellum vocant,

Variae cum regiis velitationes.

Occupat Brachius Caſtellum.

cant, cum omnibus copiis pergit. Cuius profectione cognita, Rex, hortatu Perusinorum, duo millia equitum, quibus Iulium Caesarem quendam, nomine, quam factis, illustriorem, praefecerat, ad oppidum Fractam dimisit. His statim ingressus oppidum, caduceatorem ad BRACHIUM mittit, qui (ut est hominum vana iactantia) ad coenam cum omnibus suis copiis invitaret. Quod si forte recusaret, diceret, se cum suo ad eum exercitu coenatum venturum, atque ante Castelli moenia pulcherrime coenaturum. BRACHIUS tam lepide invitatus ad bellum, abito, inquit, quam primum, & isti tuo imperatori sic dicito: me quidem ita consuesse, vocatum in convivia recusare nunquam, ceterum raro mea sponte quenquam invitare, si qui ultro me appellent, accipio equidem opipare. Quanquam non adeo demens sum, ut velim meae domi Caesarem expectare; dignus est, quem suae conveniam. Illic, si me invitabit, sentiet, spero, non parum edacem convivam invitatum, & qui apparitoribus ne ipsa quidem ossa relinquet. Haec ultro citroque delata, utrumque ducem ad pugnam irritavere. Ergo postridie eius diei BRACHIUS, ducentis equitibus Castelli praesidio relictis, orto iam sole, exercitum tuba in expeditionem eductum ita componit, ut, quacunque occurrat hostis, parata atque instructa sit acies. Toto itinere quadrato agmine incessum est.

Invitatur cum omnibus suis copiis ad coenam a Iulio Caesare, praefecto regio Fractae.

Cui eleganter respondet.

Suos in aciem educit.

Hostis,

Hostis, verbis, quam factis, magnificentior, nihil interea, nec de coena, nec de belli apparatu, cogitaverat. Ubi, BRACHIUM non longe a portis infesto agmine instare, vigiles retulerunt, partem copiarum praemisit, quae venientis retardaret impetum, ipse interea partem reliquam, ut quisque celerrime se armaverat, ita primum portis emissum, in praelium accendit: postremo, omnibus eductis copiis, ipse pauco stipatus equitatu, fugientibus suis subsidio venit, trepidos ac fuga salutem sibi petere contendentes excipere, tardos excitare, omnes pristinae virtutis suae, egregiae dignitatis, admonere. Sed BRACHIANI militis tanta vis fuit, ut perturbati hostes, & plerique ipsis excussi equis, impetum sustinere non possent. BRACHIUS, insecutus hostem, cum fugientem in oppidi moenia compulisset, dixisse fertur: se quidem venisse ad convivium, sed Caesarem convivas suos bona fronte adspicere noluisse. Capti ex hostibus equites quinquaginta, quos dum hostes abscedente BRACHIO liberare contenderent, facto a tergo magno impetu, Siniducium, BRACHII nepotem, vagantem extra ordines, & longo intervallo subsequentem, ceperunt, statimque, non expectato BRACHIANORUM impetu, in propinquum sese oppidum receperunt. Ea res minus laetam victoriam fecit. BRACHIUS, agro vastato, Tysernum cum victoria revertitur; Regem interea multis diebus Perusiae commora-

Caesarianos fugat.

moratum, Tudertini, Perusinis finitimi, vocaverunt. Illo profectus, post aliquot dies, compositis Tudertinorum rebus, Romam pergit. Hunc exitum habuit Hetruscum bellum, longe maiore apparatu, quam robore, gestum. Inter haec Florentini, qui, consuetudine sua, iam inde ab initio belli aliunde opem excogitaverant, Ludovicum, ex nobilissima Gallorum familia, in Italiam acciverant, spe quadam iniecta Neapolitani Regni recuperandi, (quod a maioribus suis longa vetustate obtentum, patrium atque avitum, ad se quoque haereditario iure pertineret) facile perpulerunt avidum imperii animum, ut, cum copias ea spe paulo post ad ipsos in Italiam traiecisset, cum Florentino exexcitu coniungeret: communem esse hostem asserentes, alterius occupasse regnum, alterius occupare voluisse. Populum Florentinum, ubi suis finibus expulisset Regem, in regnum iniecturum manus, & pro Ludovico bellum suscepturum. Ergo Florentini, magna Gallorum accessione facta, paribus copiis Regem insequi decreverunt. Tum Roma magni motus afferebantur, Paulum Ursinum a Rege defecisse, & eam urbis obtinere partem, quae trans Tyberim pertinebat: Regem vero Capitolium & reliquam urbem habere in potestate. Magnos fieri apparatus bellicos, Regem a suo regno integras accire copias, Paulum ab Hetruscis auxilia petere, munitiones & propugnacula in utraque Tyberis ripa construi. BRACHIUS,

Belli Hetrusci fines.

Ludovici, Galli, in Italiam vocati, traiectus.

Turbae Romanae.

CHIVS, Florentini exercitus imperator, Romam profectus, copias cum Paulo coniunxit. Saepe gravissime pugnatum est; flumine tamen altissimo duos exercitus interfluente, magis eminus tormentis, sagittis, ceterisque missilibus, quam cominus hasta gladioque, certabatur. Bruma iam adveniente, BRACHIVS, caritate annonae Roma abiens, in Tudertinum hyemandi gratia concessit, captoque oppido Fractula, tota hyeme in hybernis habuit exercitum. Fractula expugnata, Perusinis novus metus iniectus est. Neque enim Regem praesidio habebant, & Florentinos, quorum animos superiore Hetrusco bello vehementer offenderant, ne quid ipsi quoque alia parte concitarent belli, metuebant: sed, trepidatione in solicitudinem versa, cogere novum exercitum, stipendia maiora decernere, vectigalia iusta atque iniusta exigere, coeperunt. Mox, satis magnis pro tempore conductis copiis, Tartaliam, egregium bello virum, exercitui praefecerunt. Hic ad opposita inimicis oppida traducere exercitum iussus, BRACHIO, quocunque proficiscenti, sese a fronte, montosis & situ munitis locis ostendebat, nec tamen descendere audebat in pugnam. Qua re animadversa, BRACHIVS, ne tempus otio tereret, Clusina arva, pecorum atque agrestium plena, excurrere decrevit. Ea Thrasimenum lacum claudunt ad occidentem solem, Perusini tunc agri, nunc etiam im-

Ad quas sedandas Romam profectus Brachius, saepius cum regiis conflixit.

Inde in hyberna concessit.

Interea parant bellum Perusini.

Excursiones Brachii.

imperii, terminus, late sane & vaste patentia loca, tota herbida, partim nemorosa, cuncta pecori pascendo accommodata. Ex altera parte Thrasimeno, ex altera Clusinis paludibus, concluduntur. Proxima etiam castella lignatum illo pabulatumque accedunt. Perusini semper alias opportunitate loci, nunc etiam belli metu, pecora cuncta, ex oppidis castellisque deducta, eadem in arva universa compulerant. Igitur BRACHIVS magnam partem equitatus, cum paucis peditibus, hosti, montana saltuosaque petenti loca, opponit. Ipse cum quadringentis equitibus, totidemque peditibus, per medios hostium fines, nihil hostiliter agens, transitum fecit. Cum iam viginti millia passuum processisset, tantum enim spatii intercedebat, in patentes diffunditur campos. Tum vero pastores, nihil tale metuentes, omnes vertuntur in fugam: greges atque armenta passim errantia in praedam abiguntur: agrestes, lignatores, pabulatores, capti sunt omnes: omnium maximum fuit, octoginta captivos, decem millia minutorum pecorum, boum quinque millia, mille equas, per media hostium oppida, a tam paucis agi potuisse. Erant in illo duce multae praeclaraeque virtutes, consilium rerum gerendarum, magnitudo animi, gratia militum: omnia tamen perficiendi celeritas superabat. Perusini, audita hostium profectione, Cicholinum, quem parti copiarum praeposuerant,

Opima praeda.

rant,

rant, ad occupanda munita loca, reditusque intercludendos, misere, qui magna cum celeritate profectus, non procul a Thrasimeno editissimum collem, cuius radicibus BRACHIVS transitum facturus erat, occupavit: angusta sane & salebrosa via, nec solum ingentibus impedita saxis, sed nunc praeceps ad infimam ducebat vallem, nunc ardua atque aspera, etiam recentem atque inermem militem fatigatura surgebat: tum hinc atque hinc praerupti atque altissimi impendebant limites, ut facile multi a paucis vel gleba, si lapides deessent, nedum armis, opprimi potuissent. BRACHIVS per exploratores, quos omni sua profectione praemittere consueverat, insidiis cognitis, militibus omnibus, praeter paucos, qui pecora agerent, equis descendere iussis, utrumque viae superiorem limitem, atque angustias, maxime qua collis radices attollebantur, occupare contendit. Interea, qui equis vehebantur pauci, pars strictis mucronibus, pars intentis hastis, pecora praecedebant: reliqui, agentes praedam, greges atque armenta subsequebantur. Hostes, qui peditatu superiores se fore putaverant, tantam peditum multitudinem conspicati, non ausi sunt in pugnam descendere. Sed, BRACHIO in superiorem evadente viam, illi in suprema collis iuga se collegerunt. Iam milites conscenderant equos, cum hostes equitatu pro peditatu usum BRACHIVM cognoverunt, tum se, tum fortunam accusare,

F 2 quod

quod graves atque impeditos armis leviter armati fatigare, opprimereque subiecta atque angusta in valle potuissent. In reliquo autem itinere secuti a tergo saepe praedam eripere, &, cum loci opportunitas affuisset, manus conserere, tentaverunt. At BRACHIVS, qui omnia, quae evenire possent, eventura cogitaverat, aptaque insidiis notaverat loca, equitatum omnem in geminam partitum aciem, medium recipere praedam iubet: peditatum non longo intervallo ad occupanda gradatim loca praemittebat: hostibus plerumque a tergo adorientibus, levia fiebant certamina, cum nec illi BRACHII impetum expectare, nec BRACHIVS praedam relinquere statuisset. Militibus in castra reductis, praedam viritim distribuit. Singulis militibus dena circiter contigerant pecora. Postero die, illis unoquoque sua pecora pascentibus, dixisse per iocum fertur: secum quidem actum esse praeclare, qui ex militibus pastores effecisset. His rebus a BRACHIO gestis, Perusinis, qui paulo ante quieturi sub Regis tutela videbantur, nova solicitudo est iniecta, quippe infensis ceteris finitimis, quod incognitum & externum secuti Regem, bellum ipsi suae genti vel intulissent, vel illatum commeatu, frumento, armis, adiuvissent, soliciti, ne reliqua Hetruria, ob recentem offensionem, facta cum BRACHIO societate, magnum aliquod & periculosum bellum excitaret, exercitum,

Perusinorum solicitudo.

quan-

quantum maximum possent, conducendum, & praesidia per omnia castella disponenda, curaverunt, maxime qua arcendi & excursionibus hostes prohibendi erant. Inter haec BRACHIVS, a Pontifice accersitus, omnibus relictis copiis, iisque Iacobo Archipresbytero, magnae inter optimates autoritatis, atque ex illustri familia viro, praefecto, Bononiam proficiscitur. Iacobus, post multa praeclara facinora, a Tartalia, quem Perusini Marsiano oppido praesidii causa imposuerant, captus atque in vincula coniectus est. Igitur exercitus, & imperatore absente, & rectore capto spoliatus, cum intra moenia se contineret, Gulielmus Mecha, accusata timiditate, animisque militum accensis, Collazonum, asperum situ & montosum oppidum, oppugnare adortus est. Prodita per quendam arce, captum statim reliquum oppidum, diripiendum militibus est datum. BRACHIVS, non multis post diebus Bononia reversus, adscito sibi Sfortia, bellicosissimo viro, Torsianum, Perusinorum oppidum, non procul ab urbe passuum millia quinque situm, capere cupiebat. Igitur milites ad se vocatos, primum magnam vim scalarum cogere, deinde corpora ante noctem curare, nocte incipiente itineri paratos esse, iubet. Deinde, postquam eundi tempus visum, milites levi armatura scalis oneratos, incertos, quo profecturi, aut quid molituri essent, nocturnum iter ingressus, sequi se iubet: paucis-

Brachius Bononiam proficiscitur.

Eius exercitus Collazonum expugnat.

ctam, ingressu atque aspectu urbis abstinere nequivisse, suburbanaque ingressum aedificia, magnam asperrimamque gessisse pugnam. Sed, quoniam res admonuit, ut de suburbanis dicerem, pauca de situ eius urbis dicenda constitui. Perusia, nisi quod Tyberim flumen ad orientem relinquit, media inter Hetruriae atque Umbriae fines, editissimis in collibus proiecta vaste magis, quam sita, est. Urbis ambitus paulo eminentior, & veluti cellsam in arcem exsurgens, vetustissimo & quadratis lapidibus erecto cingitur muro. Ad eius muri radices, quinque in longitudinem porrecta suburbia exoriuntur: tria paulo longiora, recto planoque iacent tractu: duo sub ipsum urbis caput, ad Occidentem & Septentrionem paulum recurve excurrentia: tertium in meridiem vergens, pari longitudine, in urbis veluti caudam extenditur: reliqua duo, angustiora contractioraque ceteris, per collium pendentia iuga descendunt. Universa deinde perpetuus ac latior concludit murus. Igitur urbs in medio atque in edito sita, prospectus habet omnem in partem late pulcherrimos, &, nisi quod altitudine praestat, suburbia veluti stella, minores maioresve radios, circumfundit. Tria, quae diximus, ut planiora porrectioraque reliquis, ita maiora celebratioraque sunt, angustioraque reliqua contractioraque magis, veluti minores radii ab urbis gremio recesserunt. Quinque sub-

Descriptio Perusiae.

ſuburbiis quinque magnifice erectae portae, totidemque extra portas opera ſtructiſſimi fontes adſpiciuntur. Urbem leni clivo pendentes excipiunt colles, hinc vineta olivetaque dorſis late conſita, cum ipſis collibus delabuntur: mira omnium rerum fertilitas, nec minor facies atque amoenitas. Haec omnia paulatim ad Orientem & Meridiem in amoeniſſimam deſinunt planitiem. Eam quoque Tyberis fluvius mediam praeterlabitur, qui alveo lato magis, quam alto, perpetuis ad Chiaſium usque tranſit vadis, inde maiores incipiens moliri undas, altioreque fluens gurgite, rara praeſtat & profunda vada. Nihil hac ipſa Tyberis ora felicius, nihil proximis a planitie ſurgentibus clivis laetius. Qua enim parte Peruſia ad Meridiem ſpectat, perpetui quidem illi, ſed non multum editi, ſtant colles. Eorum collium magna fertilitatis cum amoenitate certatio: quippe duodecim millia paſſuum (tantum enim ſe porrigunt) duodecim caſtella, pari intervallo diſtantia, recto per iuga viſuntur tractu, quae in laevam leniſſimo deſcenſu, nec diſſimili cultu, ad Thraſimenum Occidentem verſus proferuntur, tanta ſoli aequabilitate, ut, colles ſint, an campi, non facile dignoſcas. Thraſimeni ora nulla beatior, veluti ubi multum terrae peragraveris, in maritimam plagam tepentiorem amoenioremque deſinatur. Igitur, qui benignius ſentiunt, agrum Peruſinum totius

 Italiae

Italiae censent cultu & amoenitate pulcherrimum: qui vero patriae suae studio quidquam detrahunt, hoc affirmant, nullam montanam Italiae regionem huic esse, neque adspectu, neque ubertate, comparandam. Sed, qua inter Septentrionem & Occidentem vergit, loca sunt paulo vastiora, quibus rata, & ea ipsa aspera atque montosa, prominent castella, ut nec lignandi quidem pabulandique copia desit. Sed iam ad BRACHIVM redeamus, qui, cum ad constitutum venisset locum, magnamque partem noctis in occulto consedisset, ubi vigilias civium in armis agi, & urbem, diligentius munitam, strepitu nocturno resonare, surrectae aures captavere, desperata proditione, vel desiderio patrii soli adspiciendi, vel (quod verisimilius est) belli cupiditate incensus, impetum in meridionale suburbium facit, civitatis portas effringit, immissoque celeriter equitatu, ad interiorem urbis murum pugnando vastandoque pervenit. Cives, partim qui pro stationibus vigilabant, partim ingenti clamore excitati, undique ad arma concurrunt: qui superiore loco pugnantes, hostium equitatum summa vi repellere conabantur, tela saxaque deiicientes: mulieres quoque aliae cinerem fervidamque aquam suggerebant, aliae fenestris nutu, manu, voce, viros ad pugnam cohortabantur. Inter haec Tartalia, quem ad urbis atque agri defensionem superiore mense conductum ostenderam, cum omni

In quam irrumpit quidem Brachius cum suis;

omni equitatu delatus in hostes, tantum conatum in subiectos milites fecit, ut perturbati statim, atque extra portam repulsi, eius impetum sustinere non possent. Ubi ad portas est ventum, BRACHIO incendente militum animos, & iam manifestam sistente fugam, tum vero acerrime pugnari coeptum. Tartaliam, primo impetu, quam reliqua pugna, ferociorem, intra portas BRACHIANAE acies compulerunt: quem insecutus est statim omnis equitatus. Erat res admiratione dignissima, inter tot civium millia, nunc fugere, nunc acrius instaurare praelium, nec quemquam nisi armatum gladio hastaque ferire, etsi ingentem telorum ac lapidum vim circumfusa inermium turba in BRACHIANVM militem coniiciebat. Dum haec ab equitatu gererentur, pedites, praedae magis, quam praelio, intenti, per suburbium late excurrere coeperunt: tum vero ianuas excidere, diripere atque incendere cuncta, videbantur. Iam Tartalia, suis equitibus fatigatis, intra urbis moenia se recipiebat, cum subito ingens armatorum civium multitudo, quibus arma capiendi temporis satis fuerat, confluere undique, & in subiectas turmas facere impetum, coepit. BRACHIVS, ubi nimis augeri hostium copias videt, veritus, ne a multitudine circumventus caperetur, signum receptui dedit, tamdiu hostibus incumbens, donec dissipati & praeda onusti pedites colligendi sui tempus habe-

Spe vero eius expugnandae excidit.

habere potuissent: mox quadrato agmine paulatim praelio excedendo, portas egreditur, praemisso equitatu, ne hostes praecipiti lapsu descendentem adorirentur, peditatum omnem obsistere prementibus iubet, qui & concitatius accurrere, & firmius praerupto iugo consistere possent, &, cum opus esset, donec in aequiorem locum equites devenissent, pro equitatu dimicarent. Atque ita, ne urgente quidem hoste, incolumem exercitum reduxit. Dum haec ad Perusiam geruntur, Ludovicus, quem Pisas venisse ostendi, & Pontifex, qui per id tempus Bononiae morabatur, Florentinum in agrum cum omnibus copiis convenerunt. Florentini quoque suum commisere exercitum. BRACHIVS, a Pontifice accersitus Hetruriam, cum suis & ipse copiis in Florentinorum fines pervenit, eique statim omnium copiarum summa delata est, Gallorum Italorumque consensu. Tanto coacto exercitu, primum Viterbium, mox, relictis impedimentis, Romam, ad opprimendum Regem proficiscuntur. Cum Viterbium esset perventum, BRACHIVS, statim de suo hospite percontatus, cum magnitudine aeris alieni coniectum in catenas audivisset, primum creditoribus satisfecit, mox vinculis exemtum, secum in exercitu postea habuisse traditur, & liberaliter magnificeque tractasse. Rex interea, omnibus, quaecunque bello usui erant, comparatis, certior de Pontificis adventu

Tum praeficitur maximo Gallorum Italorumque exercitui.

Singulare gratae mentis specimen.

Rex occupat Ianiculum.

tu factus, per Transtyberim ad Ianiculum penetraverat, Ianiculoque occupato, praesidium firmissimum imposuerat: ipse ad arcem Hadriani, quae Pontificis fidem sequebatur, venientes hostes infesto expectabat agmine. Omnem Pontificis exercitum BRACHIVS in frequentia partiverat agmina, unicuique cohorti sua signa, suus dux praeerat: nec tamen universo exercitu, sed uno gradatim agmine, certabatur. Primo congressu duorum exercituum, Galli, qui primum cum suo Rege locum obtinebant, ante omnes praelium susceperunt. Pugnatum est aliquamdiu atrociter, Gallis pro gloria bellicae laudis in hostium ruentibus tela: Neapolitanis, qui sub Rege militabant, nobilitate atque aemulatione praeliantibus: utrique autem, quod de regno certari dicebatur, pro dignitate sui Regis fortiter mori, quam turpiter fugere, malebant. Aderant praelio fortissimi Reges: illi militis, illi imperatoris officium gerere: illi infesto se adspectare lumine, & alter in alterum pertinacius magis, quam fortius tela dirigere, manu quidem dimicare, ac ferro locum sibi in acie facere, voce autem incendere militum animos, atque in suum uterque hostem irritare, adspiciebantur. Nusquam certatum est ardentius, nusquam aetate nostra tot milites praelio desiderati. Galli, pugnae diuturnitate fatigati, enses dimittere, levissimos incutere ictus, paulatimque sudore simul ac labore defi-

Gravissima inter hunc & Brachium pugna.

deficere, cernebantur. Ludovicus quoque, nimii laboris impatiens, cum deficere suos videret, terga vertit. At BRACHIUS, qui subsidiariam cohortem in parato habebat, ubi victum Gallum praelio excedere cognovit, partem copiarum urgenti obiicit Regi. Ipse cum delectissima manu modico intervallo regressus, in angustum atque inflexum penetrat vicum. Interea Neapolitanus, ne a fessis cum integris pugnaretur, recenti producto equitatu, pugnam fortissime instauraverat: & iam subsidiariae quoque cohortes inclinare, perturbarique ordines, coeperant, cum repente BRACHIUS a tergo adortus hostem, tanta in praeliantem Regem concitatione fertur, ut subito statim dissipati ordines, & milites incerti, a fronte, an a tergo, se defenderent, nihil nisi de fuga cogitantes, perturbarentur. Tum vero reliquae Pontificis acies, ubi aperta hostium latera prospexere, omnibus simul cohortibus aggrediuntur. Earum adventu hostes, cum iam dudum impetum sustinere non potuissent, fusi fugatique per Ianiculum, in alterum fluminis ripam evaserunt. Praesidia, quae Ianiculo erant relicta, diripiuntnr. Haec pugna adeo Regis attrivit animum, ut statim post conflictum munitionem pro pontibus faceret, fossam, latissime productam, vallo atque aggere praecingeret. Quae omnia, una nocte mira cum celeritate confecta, ingenti praesidio firmavit. Postridie eius diei,

diei, cum varia belli consilia agitarentur, BRACHIVS, antequam Rex novas acciret copias, tentandam eius munitionis expugnationem censuit: eam si perrumperent, facile, Tyberi amne traiecto, Regem reliqua urbe posse depelli. Galli, cum superiore die parum feliciter pugnatum meminissent, quo pristinam belli gloriam vindicarent, primum sibi certamen impetravere: sed patentis belli, quam oppugnationum, peritiores, a regiis militibus multis cum vulneribus repelluntur. Hos postridie secutus Paulus Ursinus, diu atque acriter nequidquam ad hostium munimenta pugnavit. Eius milites magno impetu reiecti, & a regiis sagittariis vulnerati, recesserunt. Tertii diei oppugnatione, Laurentius Cutignolanus, & Rosarii milites, collecta nullo duce manus, aggressi sunt impetu, quam unquam antea, maiore. Sed hi quoque post multa accepta vulnera aut victi, aut fatigati, praelio excesserunt. Sic Malatesta Ariminensis, qui Pontificem erat secutus, sic Sfortia, suo quisque die munitionem frustra oppugnaverunt. Nam & Rex ipse primo pontis aditu obsistebat, &, praeter incredibilem multitudinem sagittariorum, machinae varii generis intendebantur. Sexta iam aderat dies, cum reliqui duces nihil profecissent. BRACHIVS, ad quem ultima vel gloriae, vel periculi, restabant discrimina, praeter ceteros bellicarum rerum apparatus, magnam vim aggerum totam noctem

Oppugnatur Ianiculum.

Cohortatur Brachius suos ad fortiter pugnandum.

ctem comportari iubet. Prima deinde luce, vocatos ad se milites, nunc magnum illis datam ostendit occasionem, qua totius Italiae milites gloria superarent, meminissent pristinae virtutis, non dubitare, quin primo, aut ad summum altero impetu, intra hostium munitionem irrumperent, atque intra vallum prosilirent: Gallos inscitia & insuetudine belli esse reiectos, ceteros duces nimis temere atque incaute suum militem hostium telis obiecisse, atque ideo & ipsos esse superatos. Se vero levi expedita manu fossam aggere completurum, lectissimosque milites, & armis munitissimos, contra hostes immissurum. Non diffidere, si militum virtuti, si modo ipsi ducis prudentiae, confidant: proinde eant in praelium bono felicique auspicio: hunc illum illuxisse diem, in quo si acri fuerint animo, flos atque robur totius Italiae reputentur. Ex brevi periculo perpetuam gloriam parari oportere. Nec segnius hostes, quae superioribus diebus excussa erant, propugnacula mira cum celeritate refecerant. Putabant enim, quoniam continuis superioribus praeliis nihil hostes profecissent, maximum atque ultimum conatum esse facturos. Vallum altissime munierant, turres & tabulata erexerant, atque haec omnia solida compleverant terra: saxa, tela, calcem, cinerem, in turres & tabulata convexerant. Tormenta praeterea, & omnium generum machinae a fronte oppositae mi-

minabantur. Hac re animadversa, BRACHIVS, veritus, ne temeritas in periculum verteretur, militem tam diu continuit, donec duae ligneae turres impositae atque enixae rotis conficerentur, opportunissimum factu ratus, si pari loco, nec alter altero superior, dimicarent. Turribus confectis,& omnibus rebus atque armamentis importatis, graviter armatis militibus, praelium capere,& in munitionem facere impetum, iubet. Hostes, superiore loco pugnantes, ingentia saxa praecipitabant, tormentis quoque a fronte directis plerique traiiciebantur. Virtus militum, quod iniquo loco praelium committeret, in irritum recidebat. Ducis tamen hortatu non prius ab oppugnatione destitere, quam propugnacula quadam ex parte labefactata deiicerent. Tum vero, dato signo, qui rotas agebant in munitionem, quanto maximo fieri potuit, clamore atque impetu confertas militibus turres admoverunt. Hostes, nihil tale cogitantes, quod lapidibus se certaturos existimaverant, eamque ob rem paucas convexerant hastas & tormenta, ad inferiora feriebant, telis atqne hastis confodiebantur. Iam ipsis excussi propugnaculis, vix intra vallum se continebant. Tum BRACHIVS leviter armatis militibus imperat, ut fossam mediam inter duas acies compleant aggeribus, atque intra munitionem irrumpant. Brevi fossa aequata solo, BRACHIANI milites in pontem summa vi prosiliunt. Rex

Ianiculumque capit.

G ipse

ipſe inter primos pugnabat, ſed pontis anguſtiae, quo minus toto exercitu decerneret, fuere impedimento: vix enim centum aut ad ſummum ducentos milites capiebant. Pulſus tandem Rex, omnibus deiectis munimentis, & ponte ab hoſtibus occupato, in interiorem ſe recepit urbem, veritusque, ne libero aditu hoſtes ſe adorirentur, proxima nocte cum omnibus copiis effugit in regnum. Ea res mirifice BRACHIVM conciliavit Pontifici, cui, vocari ad ſe iuſſo, per laetitiam dixiſſe fertur: eius milites brachio, ceteros pede, duce dimicare. Eam ob rem illos pede fugam moliri, ſuos brachio pugnam facere, conſueſſe. Placuit deinde, Roma capta, fugientem perſequi Regem. Igitur, biduo ad quietem militibus dato, magnis itineribus in Sorianorum fines, quo fugiſſe Regem audiebant, cum omnibus copiis pervenerunt. Rex, ubi adventare hoſtem intellexit, ſperans, victoria exultantem ad loci iniquitatem adduci poſſe, aciem ad montis radicem explicavit. BRACHIVS, mira gerendi belli ſolertia praeditus, cum manus cum hoſte conſerere, & paulatim de induſtria in planiciem cedere, coepiſſet, ſignum reliquo exercitui dedit, ut inter montem & planitiem ad hoſtium terga penetrarent. Regii milites duplici malo circumventi, veriti, ne, ſi terga verterent, a BRACHIO caederentur, ſin acrius praelio inſtarent, reliquae hoſtium copiae a tergo invade-

Inſecuta Regis fuga.

Quem perſequitur Brachius.

vaderent. Hoc periculo perterriti, quod propinquum habebant receptum, manifesta fuga se in oppidum receperunt: paucisque post horis, Rex, per aversam egressus portam, in intimum regnum concessit. Soram, statim expugnatam, milites diripuerunt. Romam deinde rediens, BRACHIUS cum Pontifice egit, ut, facta sibi potestate abeundi, Torsianum, quod eius tenebatur praesidio, petere liceret. Pontifex, ample magnificeque locutus, memorare coepit, quicquid ille pro sua dignitate atque imperio gessisset: eius manu atque opera devictum & profligatum Regem, recuperatam Romam, attritum paulo ante & pene extinctum Romanum imperium restitutum: quod ad se pertineret, non immemorem futurum tantarum rerum. Bono animo esset, virtutem ac fidem, duo mortalibus maxima bona, aditum illi ad amplissima quaeque patefacere: acciperet suarum copiarum quantum vellet, non se pecuniis, non exercitu, defuturum. Inter haec literae BRACHIO redduntur, ut, quam maturissime fieri posset, Torsianum contenderet, oppidanos, & qui praesidio erant relicti, ad summam rei frumentariae egestatem atque inopiam esse redactos: segetem omnem ab hostibus esse succisam, agros undique incensos, nec portas egredi audere, continuas incursiones pati. His literis acceptis, BRACHIUS, maturandum sibi quam ocyssime, constituit, ne hostes

Domumque redire cogit.

Laus virtutis Brachianae.

Huius reditus Torsianum.

ſtes munito & finitimo oppido, quod vi capere non poſſent, fame atque inopia potirentur. Igitur altero die continuis diuturnis nocturnisque itineribus Torſianum pervenit. Quod ubi Peruſiae eſt nuntiatum, perinde quaſi inermem hoſtem eſſent invaſuri, ad arma concurritur. Ciccholinus & Tartalia, qui Peruſinorum copiis praeerant, omnem peditatum equitatumque in expeditionem eduxerunt: hos quinque millia armatorum civium, nullo habito delectu, ſed utcunque libido inceſſerat, ſecuta traduntur, qui tanta multitudine aut ſtatim profligare BRACHIUM, aut intra oppidum obſidere, ſtatuebant. BRACHIUS, ubi eorum adventum cognovit, ſimul de numero hoſtium certior factus, ſimulato de induſtria metu, exercitum intra moenia reduxit, ubi parata atque inſtructa acie frequens agmen componit, &, quem primum, quem ultimum, egredi velit, oſtendit. Cohortibus per hunc modum ordinatis, primum viginti equites, qui praelium caperent, extra portas emittit. Quos cum adorti hoſtes circumvenire conarentur, centum ſtatim deinde haſtatis, ſubſidio ſuis ut eant, imperat: qui uno veluti globo collecti ſtrictique in confertiſſimos hoſtes incurrerunt. At Peruſinorum, tanquam de laude & gloria, non de ſalute & victoria, certaretur, univerſa agmina in paucos undique temere corruunt. BRACHIANI, dum acerrime ſe defenderent, hoſtium ordines diſſi-

Praelium inter Brachianos & Peruſinos.

dissiparunt, qui, paululum secedendo, partim sese capere permittebant, partim veluti desperato auxilio simulata trepidatione in diversa fugiebant. Iam hostes, insequendo & capiendo sparsim fuseque, sine modo, sine ordine ferebantur. Tum vero BRACHIVS, signo erumpendi dato, universa acie per duas oppidi partes educta, infestis in hostem telis impetum facit, tanto quidem conatu, ut non oculos illi aut vultum intueri, nedum impetum sustinere, potuerint. Fusi fugatique alii, ex altissima Tyberis ripa se deiicientes, ad alteram fluminis oram evadebant: alii in propinqua se recipiebant oppida: nonnulli, dum fugere, armis impediti, non possent, passim ab hostium exercitu capiebantur. Capti sunt equites sexcenti, desiderati * nulli referuntur. Civium, qui arma ferre potuerunt, ingens capta multitudo, qui in vincula coniecti, multis millibus nummum, quibus stipendium militibus datum, se redemerunt. Hac calamitate mirum in modum attriti sunt Perusinorum animi. Per hos dies, Paulus Ursinus & Sfortia, de quibus supra feci mentionem, superiore Romano bello societate facta, ad BRACHIVM venerunt. Coniunctis castris, exercituque lustrato, inventa sunt equitum circiter quatuor millia, peditum numerum perexiguum fuisse, comperio. Tantis unum in locum coactis copiis, BRACHIVS, ne tempus otio tereret, Nonis Augusti, Torsiano, ingenti relicto

Horum clades atque fuga.

* *mille.*

praesidio, exercitum movit. Ea die amplius, quam duo millia passuum, progressus, inter Tyberim & Bucarellum, nunc dirutum oppidum, posuit castra. Postero deinde die, prima statim luce signo expeditionis dato, per ripam Tyberis, itinere celeriter facto, ad Pontem Patulum contendit. Oppidum ad Occidentem flumine abluitur Tyberi, qua vero in campos liberos ad Orientem exit, latissimo cinctum muro, fossa etiam valloque munitur. Multis aliis de causis eo potiri oppido BRACHIVS cupiebat, maxime tamen omnium, quod pontis aditum ad traiiciendum flumen necessarium cognoscebat. Ubi ad locum pervenit, oppidanis improvisis, concitatissimo impetu pluribus simul admotis scalis, (quae consuetudine sua a leviter armatis militibus ferebantur,) oppidum cepit, eademque celeritate, traiecto statim ponte, in superiora & monticulis posita castella percurrit. Plurimis direptis atque incensis villis, & praeda, quanta nunquam antea, abacta, illo ipso impetu & celeritate, ad civitatis portas se ostendit. Hac de re tantus civium animos invasit pavor, ut cum superiore calamitate, tum hac subita incursione, perterriti, nemo arma capere, aut urbem exire, ausus sit. Quarta die post captum Pontem, inferiorem agrum, qua Tyberis interfluebat, cum leviter armatis militibus depopulatus, Praetulam, quae in fluminis ripa sita est, direptam milites incenderunt.

Capitur deinceps Pons Patulus,

Praetula,

Plu-

Plures eo die molae frumentariae effractae atque disiectae. Ceterum, quod cives pecora atque armenta subduxerant, parum praedae est actum. Villae atque aedificia passim igni ferroque vastata. Paucis post diebus ad superiorem fluminis oram castris permotis, multa castella sua sponte venere in potestatem. Petramelina, magnum & munitum oppidum, ut expugnata atque direpta est, Paulus Ursinus, cum proximum quoddam castellum oppugnaretur, telo per alterum oculum traiecto, confoditur. Ea de re statim est ab oppugnatione cessatum. His rebus in Perusino gestis, BRACHIVS, ad Pontem & reliqua castella duabus cohortibus praesidio relictis, quo liberius copia frumenti & commeatus suppeditari posset, in Tudertinum concessit, commodiorem eum arbitratus excurrendi ac praedandi futurum locum. Nam Perusini, qua parte Tyberis praeterlabitur, pecora intra moenia & munitissima quaeque proximaque urbi castella compulerant. Postridie quam in Tudertinum est accessum, Perusinum agrum ex adverso latere cepit excurrere, sed, qua parte Perusia ad Derutam pertinet, Tyberis, confluente Chiasio atque undas intermiscente, minus frequentia habet vada. Transeuntibus iter est per pontem, quem novum appellant, nunc quidem totum pene collapsum pontem, tunc vero etiam hominibus habitatum, & arce munitum, oppidum.

Petramelina.

Hinc contendit Brachius in Tudertinum.

praesidio, exercitum movit. Ea die amplius, quam duo millia passuum, progressus, inter Tyberim & Bucarellum, nunc dirutum oppidum, posuit castra. Postero deinde die, prima statim luce signo expeditionis dato, per ripam Tyberis, itinere celeriter facto, ad Pontem Patulum contendit. Oppidum ad Occidentem flumine abluitur Tyberi, qua vero in campos liberos ad Orientem exit, latissimo cinctum muro, fossa etiam valloque munitur. Multis aliis de causis eo potiri oppido BRACHIUS cupiebat, maxime tamen omnium, quod pontis aditum ad traiiciendum flumen necessarium cognoscebat. Ubi ad locum pervenit, oppidanis improvisis, concitatissimo impetu pluribus simul admotis scalis, (quae consuetudine sua a leviter armatis militibus ferebantur,) oppidum cepit, eademque celeritate, traiecto statim ponte, in superiora & monticulis posita castella percurrit. Plurimis direptis atque incensis villis, & praeda, quanta nunquam antea, abacta, illo ipso impetu & celeritate, ad civitatis portas se ostendit. Hac de re tantus civium animos invasit pavor, ut cum superiore calamitate, tum hac subita incursione, perterriti, nemo arma capere, aut urbem exire, ausus sit. Quarta die post captum Pontem, inferiorem agrum, qua Tyberis interfluebat, cum leviter armatis militibus depopulatus, Praetulam, quae in fluminis ripa sita est, direptam milites incenderunt.

Capitur deinceps Pons Patulus,

Praetula,

Plu-

Plures eo die molae frumentariae effractae atque disiectae. Ceterum, quod cives pecora atque armenta subduxerant, parum praedae est actum. Villae atque aedificia passim igni ferroque vastata. Paucis post diebus ad superiorem fluminis oram castris permotis, multa castella sua sponte venere in potestatem. Petramelina, magnum & munitum oppidum, ut expugnata atque direpta est, Paulus Ursinus, cum proximum quoddam castellum oppugnaretur, telo per alterum oculum traiecto, confoditur. Ea de re statim est ab oppugnatione cessatum. His rebus in Perusino gestis, BRACHIVS, ad Pontem & reliqua castella duabus cohortibus praesidio relictis, quo liberius copia frumenti & commeatus suppeditari posset, in Tudertinum concessit, commodiorem eum arbitratus excurrendi ac praedandi futurum locum. Nam Perusini, qua parte Tyberis praeterlabitur, pecora intra moenia & munitissima quaeque proximaque urbi castella compulerant. Postridie quam in Tudertinum est accessum, Perusinum agrum ex adverso latere cepit excurrere, sed, qua parte Perusia ad Derutam pertinet, Tyberis, confluente Chiasio atque undas intermiscente, minus frequentia habet vada. Transeuntibus iter est per pontem, quem novum appellant, nunc quidem totum pene collapsum pontem, tunc vero etiam hominibus habitatum, & arce munitum, oppidum.

Petramelina.

Hinc contendit Brachius in Tudertinum.

Ibique expugnat Pontem.

BRACHIVS, traiecto per superiora vada flumine, Pontem ex utroque latere oppugnare aggressus, duabus continuis horis praelio consumtis, expugnavit. Hac re mirum in modum elati sunt militum animi, quod videbant, etiam si pluviis crevisset flumen, libere iam in hostium fines excursuros. Nec multis post diebus agro undique vastato, BRACHIVS ad lacum Thrasimenum cum duobus millibus equitum proficiscitur. Causa fuit spes potiundi Montis, situ & natura muniti loci. Oppidum est in Thrasimeni littore positum, a quo tribus fere lateribus abluitur, reliquo latere lato & eminenti cingitur muro, tum crebrae per eius moenia erectae turres, mediam adspiciunt & tuentur arcem, undique foris eminentia alte assurgunt propugnacula. Quidam ex oppidanis factiosi homines, & ipsi, dum res optimatium stetit, domi potentes, prodendi oppidi consilio habito, BRACHIVM in suos fines vocaverunt. Thrasimenus, duabus pulcherrimis & cultissimis interiectis insulis, tertia deserta adornatur. Earum incolae, ut ceteri, qui extrema incolunt littora, multis variisque navigiis utuntur. Aliquo exorto bello, navigia omnia in insulas subducunt. Quod eo faciunt consilio, ut & ipsi succurrere finitimis queant, &, si quod forte oppidum hostes capiant, navigandi ad insulas facultas eripiatur. Igitur, cognito BRACHII adventu, ingens accolarum

Montis vero occupandae spe excidit.

larum multitudo ad oppidum Montem lacu terraque confluxit. Quocirca, qui oppidum statuerant prodere, perterriti multitudine, signum non dedere. BRACHIVS, cum multis horis non longe ab oppido consedisset, ubi rem minime procedere intellexit, omni vastato agro, re infecta reduxit exercitum. Nec multum procul inde Castilionum & Monticellum, duo exigua oppida, modico impetu expugnata, diripiuntur. Praesidio relicti ducenti pedites, qui finitimum agrum vexarent. Aliquot post diebus ex omni parte infestaturus hostem, oppidum Casilinum oppugnare aggressus, iam vallum atque pontem transilierat, iam undique scalis muro admotis, milites hostium compleverant moenia, cum ex adverso excussa bombarda Gulielmum Mecham altero crure corripuit. Casu tanti viri non tam ab oppugnatione destitere milites, quam manifestam dimisere victoriam. Ille, exceptus a suis, pridie Calendas Septembres moritur, vir manu strenuus, & suo duci fide atque consilio inprimis carus. Huius mortem BRACHIVM molestissime tulisse ferunt. Nam, citra dignitatem & magnitudinem animi, temperare lachrymis nequivisse, & magnificentius, quam opus esset, iussisse sepeliri, mortuum etiam, in castris pro concione laudatum, non minus sibi, quam omnibus militibus, excussisse lachrymarum: multisque diebus incessisse squalidum,

Interea tamen Castilionum & Monticellum capit.

Casilinum quidem oppugnat.

Sed casu Gulielmi Mechae re infecta inde recedit.

& illum in coena, illum in sermone, appellare auditum. Sed, ubi videt dolorem atque incommodum nihil aliud, quam incommodum, adiicere, accusata hominum fragilitate, & instabilitate fortunae, animum ad bellum convertit. Interea Perusini, tanta belli mole oppressi, proximis castellis partim expugnatis ac direptis, partim, vastato incensoque agro, bellum sustinere nequeuntibus, ultimum conatum ad excutiendum hostem facere decreverunt. Plurimis ad conducendum per omnem Italiam exercitum cum pecunia dimissis, domi ingentes apparatus, machinas, arma, tela, faciebant. Castella, quae nondum in hostium venissent potestatem omnia, praesidio, & frumento muniebant: quae defendi moenium imbecillitate non possent, ipsi incendebant. Agri finitimi, hostibus ne pabula suppeditare possent, ferro atque igni vastabantur. Denique, quacunque hostes aditum sibi armis facturi, quacunque agrum depopulaturi viderentur, quae in urbem subduci non poterant, omnia corrumpebant: saevire in se ipsos crederes, cum universum populum, pari consensu, sua quemque prata exurere, incendere, aedificia demoliri, villas casasque, videres. BRACHIVS per vastatum & exinanitum agrum iter sibi ad interiora proximaque urbi armis facere, pecoris, quod fuerat reliquum, in praedam agere. Iam Perusiae magnae copiae convenerant, ut obsistere ho-

Perusinorum apparatus bellicus.

hosti, & bellum non modo propulsare, sed etiam inferre, posse viderentur. Albericus Babianeus, sub quo BRACHIVS aliquot ante annos militaverat, equitum duxerat duo millia & quingentos, Comes Carrariae quingentos, Ciccholinus sexcentos. Tantis coactis copiis, coniunctoque trium ducum exercitu, milites, qui in hybernis passim per arva morabantur, plerique Fractulae ad BRACHIVM convenere. Hostes, ne frustra tantum exercitum coegisse viderentur, simul ne paulatim copiae deficerent, Fractulam obsidere statuerunt. Itaque, eo traducto exercitu, non procul ab oppido stationes & castra muniebant. At BRACHIVS, veritus, ne, si hostes munimenta perficerent, prohiberi commeatibus, &, cum vellet, exitu incercludi posset, repente capere arma milites iubet, ordinibusque intra moenia dispositis, quadrato agmine, & veluti uno globo consertis, sibique instantibus, cohortibus, aliquot leviter armatos, qui fugam simularent, ex inferiore porta dimittit, ordine quam longissimo, veluti copiae omnes ex oppido demigrarent. Hostes, qui superiorem occupaverant locum, dimissis munimentis, in fugientem militem dissipantur. Ille, ad inferiora de industria tendens, spem capiendi sui faciebat. Haec cum essent BRACHIO cognita, per superiorem portam educto agmine, vacua praesidio ac prope derelicta hostium castra nullo cepit negotio: duces

Fractula obsidetur.

ces deinde persecutus, quod in editum evaserant locum, profligare non potuit. Illi, soluta obsidione, omnibusque amissis impedimentis, in proxima se castella receperunt. Postridie, reliquis copiis, quae superiori praelio non interfuerant, ex hybernis deductis, BRACHIVS in hostium fines contendit, sperans, duces ipsos, multitudine fretos, praebita facultate pugnandi, ad praelium esse venturos: tum, quo magis hostium irritaret animos, per ipsas oppidorum portas transitum faciebat, occurrente nemine. Marsianum eodem die profectus, quod de prodendo agebatur, non procul a moenibus in ripa fluminis consedit. Sed, signo diu nequidquam expectato, ratus, rem detectam, per Collinam, frequentibus castellis cultissimam regionem, Querquetum pervenit. Magna hic hostium convenerat manus ad oppidum defendendum, & praeter innumeros pedites, & eos, qui confluxerant, Comes Carrariae cum aliquot cohortibus delectorum equitum eius loci praesidio erat impositus. BRACHIVS quadrato agmine ante oppidi portas transitum fecit. Ille, parata atque instructa acie, eduxit quidem extra portam exercitum, sed pugnam magnifice detrectans, suos munito & sublimi loco, nec multum procul a moenibus, continebat. BRACHIVS, ubi videt, metu laborare hostem, levis armaturae milites geminas dimittit in partes: alteros, ut in oppidanorum oculis sub-

Statim vero a Brachio liberatur.

Pugna cum Querquetensibus.

ſubiectum depopularentur agrum, alteros, ut intra hoſtium frequentem aciem tela coniicerent. Ipſe cum delectis equitibus, denſo & glomerato agmine paratus ſubſidio, intentis haſtis expectabat. Tum Comes, metu diſſimulato, ſignum dat extra munimenta proſiliendi, ratus, id quod erat futurum, BRACHIANVM militem, dimiſſa populatione, ad praelium recurſurum. Interea oppidanos, qui in agros pabulatum lignatumque exierant, colligendi ſui facultatem habituros. Hic, praelio a paucis leviter commiſſo, BRACHIVS, paulatim loco cedens, patentes in campos eliciebat hoſtem; qui, quamquam ſuorum confidebat virtuti, non tamen iniquo loco pugnam committendam putabat. Ubi in campos eſt ventum, aciem, paulo ante, ne hoſti terrori eſſet, confertam, quantum opus viſum eſt, explicavit, atque, magno facto in hoſtem impetu, ordinibusque late perturbatis, mira celeritate convertit in fugam. Capti praeter agreſtes, quos laevis armaturae milites interceperant, equites octoginta, ceteri, quod proximum erat, in oppidum refugerunt. Hac celeritate non intermiſſa, BRACHIVS per proxima quaeque caſtella excurrens, ad urbis usque portas progreſſus, praeda, quanta nunquam antea, coacta, Fractulam exercitum reduxit. Haec uno die, uno curſu, geſta ſunt omnia, ut, ſi iter, ſi praelia, ſi intervalla, conſideres, ultra humanam vim putes, mil-

Maxima praeda coacta.

millia passuum circiter quadraginta decursa, Marsiani consessum in insidiis, Querqueti cum victoria pugnatum, ventum ad portam urbis, praedam maiorem, quam superioribus bellis, peractam, exercitum cum praeda reductum. Haec omnia uno die geri potuisse, vix ipse credo, qui scribo, etsi omnia certa a nobis explorataque scribuntur. His rebus in Perusino gestis, cogitare coepit, si quo pacto Montonum recuperare posset, paternum atque avitum oppidum: sed, quod erat natura atque opera egregie munitum, ut vi expugnari non posset, agere cum oppidanis coepit, qui ei plurimum afficiebantur. De tradenda arce dictum tempus, dicta dies est. Qua die proditio convenerat, in agrum Montonensem cum omnibus copiis sub occasum solis profectus, tota nocte militem in armis habuit. Fertur, paterna in sylva consedisse exercitum, sed, militibus ignes nimium late facientibus, reliqui oppidani, cognito hostis adventu, vigilias duplicavere: custodes arcis plerique mutati: excubiae circum moenia tota nocte in armis habitae. Re per hunc modum patefacta, milites sylvam omnem, & pastoria quaedam tuguria, latissimo incendio vastavere. Quos cum BRACHIVS per iocum increparet, quod in se bellum convertissent, paterno vastato praedio; respondisse nonnullos ferunt: immo vero tu tibi inferebas bellum, cum tuis hostibus belli alimenta praeberes.

Montonum vult per proditionem capere.

Omni-

Omnibus deinde populatis finitimis locis, ad ripam fluminis Tyberis castra promovere, nec procul ab oppido Fracta, quod Perusinorum praesidio tenebatur, agere praedam, coeperunt. Oppidani, nihil hostile metuentes, in agros pecora deduxerant, passimque toto agro suis intenti studiis aratores adspiciebantur. Ingens pecorum atque agrestium captus numerus. Ciccholinum, qui Fractae praesidii causa morabatur, milites ad pugnam concitavere: sed primo impetu repulsus, aliquot amissis equis, in editum & oppido finitimum collem effusissima fuga se recepit. BRACHIVS, omni fluminis ora vexata, ad Pontem Patulum exercitum perduxit. Inter haec Ciccholinus, ex proximis castellis accito milite, Perusiam primum, deinde, ut hostem anteverteret, Brusam, contendit, iniquo loco hostem invasurus, hostem, sperans, inter fluminis montiumque angustias, aut oppressurum transeuntem exercitum, aut, si id non posset, praedam erepturum, aut, si ne id quidem daretur, incursionibus atque reliqui agri vastatione prohibiturum. Nec BRACHIO quidem consilium defuit. Composito enim procedens agmine, praedam omnem in medio collocaverat: tum, ubi ad angustias est ventum, leviter armatos milites ad occupandum supremum montis iugum praemittit. Qua re cognita, hostes, veriti ne de superiore loco invaderentur, non solum absti-

Proditione vero detecta, totam regionem vastat.

abſtinuere praelio, ſed etiam loco excedentes, liberum iter militibus reliquerunt. Sed anguſtias celeriter praetergreſſi, proximisque Bruſae collibus occupatis, ſuperiores a latere praedam atque hoſtem inſequebantur, tam modico intervallo, ut duorum agminum ſeſe ad praelium irritantum verba exaudirentur, telaque utrinque coniicerentur. Quae res BRACHIANVM militem, ne latius praedari poſſet, in ordine continuit, hoſte nec facultatem pugnandi, nec excurrendi poteſtatem, faciente. BRACHIVS, continuo itinere per medium hoſtilem agrum facto, ad oppidum Fractulam cum exercitu incolumi revertitur. Illic laudatis pro concione militibus praedam diſtribuit: continuos deinde complures dies excurſionibus factis, locupletatum aſſidua praeda militem ad ſua quemque hyberna dimiſit. Peruſini, ex omnibus partibus infeſtante hoſte, iam non ſolum ad bellum acrius ſentire, ſed manifeſta premi obſidione, videbantur: quippe ſuperiorem agrum, vergentem ad Septentrionem, aſperum & montoſum, qui ad Pontem Patulum praeſidio erant relicti, late * pabulabantur, inferiorem, qui Torſiano praeerant, quique Fractulae, diripiebant. Qua vero pertinet ad Occidentem ſolem, Caſtilionum & Monticellum, ſuperioribus diebus expugnata, finitimos duriſſime laceſſebant. Parva quidem illa oppida, ſed libero patentia tractu, & pedi-

Omnique exercitu incolumi, ingenti praeda coacta, Fractulam revertitur.

* *populabantur.*

ditum praesidio egregie munita. Cum igitur tantis undique excursionum quasi stimulis vexarentur, non portas egredi, non suburbanos agros visere audebant: omnia pavore atque metu haesitantia. Urbs magna, munita, populosa, semper noctu, nonnunquam interdiu, portas claudere, totas noctes vigiliae in armis fieri, plerumque incerti tumulus citari, concurri undique in forum cum armis. Urgebat praeterea inimica plebi fames, quam exusti agri, succisa frumenta, maiorem in dies acerbioremque promittebant, &, quo minus aderat spei, hoc plus formidinis invadebat: murmura erant varia Reipublicae miseriam deplorantium, cives inter se diversa sentire, principes qui erant civitatis, reliquo populo non satisfacere, ipsis frumentum abunde esse, ceteros, quorum maior esset numerus, egere, aut carnis sanguine constare: a paucis de industria trahi bellum, qui pacem possent vel pecunia, vel aliqua pacis conditione, redimere. Conductum exercitum magis augere famem, quam agrum defendere, quas non villas incensas, quae castella, quos agros non ab hostibus esse direptos dicere. Duces omnes esse superatos, seque in oppidis timidius, quam ipsos oppidanos, continere, eosque ipsos rapinis intolerabiliores, quam hostes, esse. Illos aperte gerere bellum, ut caveri posset, hos, quo nihil esset remedii, clam furtis latrociniisque vexare, & se magis, quam hostes, la-

Perusinorum terror atque querelae.

 cesse-

cessere, tum non modo pecunias publici aerarii, sed sanguinem populi, stipendiis exhaustum esse. Haec palam publiceque iactabantur, & prope erat, ut, nisi alia res avertisset hostem, seditio in civitate fieret. Per id tempus Camertes, quibus Berardus imperabat, cum varia inter se agitarent consilia, magnam domino seditionis suae suspicionem iniecerant. Nam illi quoque factionibus acerrime laborabant, quorum plerique, vel quod servire domino non poterant, vel quod aliis imperare cupiebant, eiiciendi Berardi consilium cepisse dicebantur. Quam suspicionem augebant permulta: iussi venire ad curiam non parebant: noctu per forum armati atque inermes, ut cuique erat libido, grassabantur. Nocturnos coetus, turbulentas conciones facere, denique omnia insolenter superbeque agitare, domini autoritas contemtui habebatur. Veritus igitur Berardus, ne qua tumultuosior orta seditio, imperium ac civitatem, & fortasse vitam, eriperet, BRACHIUM accivit veteri familiaritate officioque devinctum, ut est devinctus, qui non referre magis, quam accumulare, debet beneficium, quem BRACHIUS a Ludovico Firmano, quem a Martino Faventino, quem a Fabrianensibus paulo ante defenderat. Cum omnibus igitur copiis profectus in Camertes, ut, si gratia sedare non posset seditionem, autores vi civita-

Turbae Camertinae.

ate depelleret: urbem placide amiceque
gressus est, ac postridie primum singulos
ocutus, deinde universos vocatos in con-
nem, paucis benigne modiceque castiga-
. Cuius mihi digna visa est Oratio, quam
s gestis insererem. Equidem, inquit, vi-
Camertes, non tam Berardi gratia, quam
iculo permotus vestro, huc veni. Nam
saepe alias prodesse poteram, vobis, si
ic defuissem, amplius non poteram. Im-
ium, ubi est amissum, recuperari potest
uando. Ubi civium animos intestinae
des invasere, perpetuum est malum. Nec
le sedatur odium, quod per vim atque
riam hominum animos inflammavit:
d in filiorum, illud in nepotum penetrat
ites, nec ulla potest extingui vetustate,
semel gladii vis incubuit: nequidquam
stas verbis, aut moriendum est tibi, aut,
d aeque miserum est, civium tuorum
e vincendum. Utrunque sane calamito-
& miserabile. Nam pelli civitate, spo-
i vita, fortunis, liberis, quid hoc tandem
st esse miserius? Cives autem tuos fer-
nterimere, quid hoc magis calamitosum
ie nefarium? Praetereo amicos, affines,
pinquos, quos, ubi offenderis, metuas, ne-
e est: nec tui erat arbitrii, quos potissi-
n offendas, diversam factionem secutu-
Et parentes a liberis civili bello saepe
entiunt. Atque ideo civile dissidium ce-
bella immanitate vincit, quod non bar-

Oratio Brachii ad Camertes.

H 2 bari,

bari, non incogniti aut alieni virtute atque robore, ſed tui propinqui, ſed, quod neſcio an arctius eſt vinculum, cives tui erunt offendendi ſcelere atque iniuria. Praetereo illorum ipſorum umbras, quos occideritis, quae continue verſari vobis ante oculos, & magnas in vos concitare furias videbuntur. Quid dicam ultorem Deum, qui cogitato, nedum perfecto, ſcelere, poenas petit. Ille vobis unas aedes, una templa, una ſepulchra eſſe voluit, vos veſtros cives ſuis in domibus quieſcere non ſinetis? Ruitis in factiones, perpetuum & perniciosum, etiam validis urbibus, malum. Quid agitatis, Camertes? veſtramne vultis exinanire civitatem? an, quoniam veſtrum non capitis, alieno populo moenia complere ſtatuiſtis? an & hoc quoque non cernitis, graviora eſſe arboribus aliena poma, quam ſua? ſi, qui eodem coelo nati, iisdem orti progénitoribus, iisdem moribus inſtructi ſunt, ferre non poteſtis, quo pacto feretis incognitos? Quid exiſtimatis, ſi factiones & civilia excitaveritis bella, num putatis liberos veſtros, num etiam nepotes eſſe quieturos? Saepe in matris utero latuit, qui paternas iniurias perſecutus eſt. Nunc etiam, cum haec agitatis, in matrum viſceribus ad inimicitias ſimultatesque veſtras armantur. Sugitur enim atque ebibitur cum ipſo lacte civile odium &, ubi ſemel eſt deguſtatum, ſanguine atque caedibus ſatiari nunquam poteſt. Turpe eſt, praedia

dia quidem liberis vestris thesaurosque relinquere, quos amittere illi varia fortuna possint: odiis autem & inimicitiis, quae deponi non possint, vacuos non relinquere. Ponite vobis ante oculos civilis belli incommoda, caedes civium, eiectiones liberorum, domorum incendia, spoliationes agrorum, opum fortunarumque direptiones, nocturnos diurnosque tumultus: tot metus, tot pericula, tantas & tam continuas clades, cuncta libidine, nulla legibus moderanda. Haec etiam ei possunt displicere, qui fecerit, & tamen in incerto est, cui belli fortuna arriserit, quae, etiam si secundam se ostendat, non poterit esse diuturna: veluti concussa domus, cuius altera pars prior labefactata concidit, altera diutius constare non potest: nisi quod altius cadunt urbes, quam domus. Maiores mei civitate fuere eiecti, & me quoque eadem fortuna vexavit, quid facere putatis illos ipsos, quorum nos maiores eiecerunt? Non somnum, non quietem capere possunt, accusant parentes atque avos suos, qui ad haec se discrimina periculaque genuerunt: &, quae ipsi non conceperunt, odia atque inimicitias, ea nunc alere inviti exercereque coguntur: qui si etiam dormirent, si quiescerent, si nihil timerent periculi, humanius tamen putarent, nos domi esse, quam foris. Sed quid haec commemoro? Ego multos annos continuum bellum gero, ut cives mei domi esse possint: vos vestros

ſua, & vos ipſos veſtra tentatis eiicere. Non haec agimus, dicetis. Ego quoque ſcio, vos iſta non agere. Habent enim ſumma mala, levia atque infirma, nonnunquam etiam honeſta principia: & parvae radices in magnas arbores paulatim excreverunt. Nondum eo ventum eſt, at ſerpit occulte hoc malum, &, ubi ſemel mentem invaſit, recidi nullo modo poteſt: profert ſeſe latius, & cuncta civitatis viſcera pervagatur. Nunc enitendum eſt vobis extirpare nondum corroboratam peſtem, nequidquam paulo poſt, ubi omnium animos occupaverit, extirpaturi. Nam quid per Deum immortalem vobis habetis, quid quaeritis, niſi veſtra vos nimia bona corrumpant? Civitatem habetis inprimis opulentam, dominum iuſtum, clementem, magnificum, liberalem. Quid ab illo concupiſtis unquam, quod non ſtatim impetraveritis? Sed haec omnia perinde ſunt, ut quisque utitur. Nam, ubi neque tuis rebus contentus ſis, neque ei pareas, cui leges parere te iubeant, quid tandem remedii erit, Camertes? Copia in faſtidium vobis, liberalitas in contemtum verſa eſt, nec iuſtitiam in vobis pati vultis, nec eadem in aliis carere poteſtis. Omnium malorum origo veſtra ſimultas eſt, quam niſi hodie depoſueritis, vereor, ne mihi quoque dolendum ſit, qui iam pridem afficior vobis. Superiore bello, quod cum Ariminenſium Duce geſſiſtis, quod opem ferre potui, nihil equi-

quidem cessavi: implorantibus vobis auxilium, domestico intermisso bello, cum omni exercitu praesto fui: hostem vestrum aut vici, aut fugavi. Satis mihi tunc quieti esse videmini: otio corruptis, & in factionem euntibus, vereor, ne opem ferre non possim: veluti intemperanti aegro nulla possunt medicamenta conferre. Qua enim in urbe civium studia voluntatesque dissentiunt, eam nulla arma, nulla moenia, tuebuntur. Dicerem, hoc mihi satis futurum solatii, quod, quoties de calamitate vestra cogitarem, toties huc me venisse, praemonuisse, futura haec vobis dixisse, recordarer. Magnum etiam in parente, nedum in amico, solatium. Sed propensior est animus meus in civitatem vestram, quam ab hostium prope manibus eripui, eam a domesticis factionibus defendere, utinam sic possim, ut cupio. Cum vestra moenia, cum vos ipsos intuerer, videbam, nonnulla beneficii mei extare vestigia: cum vero, muliercularum more de domestica venustate contendere vos, audirem, interponendam putavi & gratiam, & autoritatem meam, ne priora beneficia vestra internecione delerentur. Si quid unquam egi pro vobis fortiter, viri Camertes, si hostem vestrum iam vobis ad portas imminentem a cervicibus vestris repuli, si, quae illi oppida expugnaverant, ea ego in fidem vestram potestatemque revocavi, oro vos, obtestorque, ut ista odia, simultates, dissidia, si non

saluti vestrae, meae saltem gratiae, condonetis: ut, quos ego ab hostili servitute liberavi, gloriari possim a domestica caede intestinoque dissidio defendisse. Haec cum dixisset, ingens populi secutus est clamor, illum amicum, illum dominum, illum civitatis parentem esse: se vero indignos esse, quos ipse cum olim bello, tum nunc etiam in pace servasset. Iam eo superbiae ventum a paucis, ut nullum sui modum rationemque haberent, & domino aequari velle, quos multi civium dignitate anteirent: ceterum daret veniam omnibus, sperare nunquam posthac in eam dementiam redituros: componeret rem, dominum civibus, cives domino reconciliaret: sperare, hunc diem civitati populoque Camerti felicem faustumque futurum. Multis admixtae verbis lachrymae profluebant. BRACHIVS, utendum occasione ratus, dum civium animi recenti persuasione tenerentur, totum triduum commoratus, omnes privatas publicasque contentiones sustulit. Erat in BRACHIO non ficta & simulata calliditas orationis, sed gravis nudaque in dicendo suavitas: non arte, sed natura, nonnihil etiam industria, comparata. Nemo iratos hominum animos remissius demulcere, nemo hortari vehementius, ardentiusque excitare: in milites blandus, nec tamen rigidus aut tristis in ceteros. Admixta praeterea ingens quaedam cum bellica severitate civilis atque urbana modestia,

Horum Responsio.

ut

ut non magis belli militiaeque versatus esse, quam domi egisse aetatem, videretur. His rebus Camerini confectis, ad oppidum Fractulam revertitur, productoque, ut erat, in aciem exercitu, novas excursiones quotidie facere, hostes, qui eius discessu respirasse aliquantulum putabantur, multo acrius atque infestius, quam antea, vexare, ne unus quidem, aut ad summum alter, praeterire dies, quo non ille ad urbis sese portas cum praeda, cum exercitu, ostentaret. Cum ad Fractulam stativae haberentur, BRACHIO nuntiatum est, Gualdum, quod vocant Cataniae, opulentum ac munitum Ciccholini oppidum, seditionem fecisse. Repente igitur expeditis cohortibus, Gualdum summa cum celeritate est profectus: captoque subita atque improvisa oppugnatione oppido, equites quinquaginta, qui praesidio erant relicti, praedae militibus dati, oppidum a direptione servatum. Nec multo post, Fulginensium tyranno, quatuor millibus nummum acceptis, traditum. Interea hostes, audita BRACHII profectione, speculatores ad Fractulam misere: quod ubi nullo teneri praesidio est nuntiatum, parva & expedita manu expugnatum ire statuerunt. Ducenti equites erant, quos Perusini ad Papianum oppidum tuendum reliquerant, quorum ductor, Antonius Neapolitanus, animo, quam ingenio, vastior. Ergo pulcherrimum gesturi facinus, ad Fractulae moenia pervenerunt.

Continuae Brachianorum excursiones.

Gualdum occupatum.

Fractula a Perusinis oppugnata.

Forte BRACHIVS, paulo ante Gualdo reversus, vix equo descenderat, cum, cognito hostium adventu, claudi portas iussit, metum ab oppidanis simulari. Ipse interea, expeditissimo milite in cohortes distributo, agmina levissimae armaturae non procul a porta disponit. Hostes, rati oppidanos metu liberare, iam scalas admoverant muris, turbarique a stationibus oppidanos conabantur. Tum vero apertis portis, subitaque militum facta magno cum impetu eruptione, hostes ingenti terrore perculsi, per oppidi fossas sese praecipites dare, fugere, scalas equosque deserere, sed a leviter armatis militibus plerique invasi, capiuntur. Antonius cum quinquaginta equitibus in proximam Tudertinorum confugit arcem, sed a custode in interiorem turrim non receptus, inter extrema & levi fossa tenuique muro praecincta munimenta se coniecit, robustioribus duntaxat equis in arcem subductis. Hunc cum paucis insecutus BRACHIVS, cetero exercitu paulatim confluente, totam noctem munimenta oppugnavit, pauloque ante primam lucem, Antonius, desperata salute, hosti se permisit. Custos arcis cum dedere, quos subduxerat, equos recusaret, BRACHII iussu emissa clam sagitta traiicitur. Quo paulo post mortuo, & turris, & equi, venere in potestatem. Capti ea profectione equites quinque & sexaginta. Postero die BRACHIVS, nulla quiete militibus data, Tyberis

Hi vero ab oppidanis dissipati pluresque capti.

Inter quos ipse dux Antonius.

ris pontem, qua iter eſt ad Aſiſium, impoſitamque ponti turrim, occupavit, propius iam infeſtaturus haeſitantem hoſtem. Nec enim amplius duobus millibus paſſuum, diſtabat ab urbe. Quatuor deinde intermiſſis diebus, duo parva caſtella, proxima Torſiano, in fidem recepit. Marſianum armata manu proficiſcenti, oppidani portas ſtatim aperuere. Haec tanta celeritate conficiebantur, ut hoſtes neque conſilium capere, neque, qua parte magis tueri ſe oporteret, ſcire poſſent, adeo cuncta BRACHII celeritate praeveniebantur. Civitatem interea varii metus variaeque formidines agitabant, ſive propior, ſive paulo remotior eſſet hoſtis, plus ſemper periculi incumbere, plus detrimenti capere querebantur. Itaque, publico inito conſilio, Legatos, qui ſignificarent, quo in ſtatu eſſent eorum res, quamque in periculo verſarentur, ſimulque ut ſubſidium implorarent, mittendos ad Regem decreverunt. Acres fuere Legatorum querelae: poſt Hetruſcum bellum, ſolos fuiſſe, quos undique bella, rapinae, incendiaque, vexaſſent: finitimos, quod cum Rege ſenſiſſent, infeſtos eſſe, magnis hoſtium conatibus eripi imperium, nec tam periculoſum ipſis, quam Regi turpe, eſſe, ſuam ſecutos fidem, ſuo deditos imperio, non defendere. BRACHIVM non iam agro, quem totum aut ſubegerat, aut vaſtaverat, ſed ipſis urbis moenibus imminere. Quod ſi cum finitimis de regno aut finibus

Legati Peruſinorum ad Ladislaum.

nibus certarent, omnia fuiſſe paſſuros, potuiſſe ſe urbano tueri praeſidio, nunc cum his bellum eſſe, adverſus quos nihil magis, quam cives, extimeſcerent. Nec de agro & laude bellica, ſed de vita ſanguineque, dimicari: nec quaeri, ut novo pareant imperio, ſed ut omnibus affecti malis, domo & civitate pellantur, ut praebeant iugulum, denique ut perpetuo patria & vita careant. Rex, legatione accepta, quod de inferendo iterum Hetruſcis bello conſilium teneret, ſimul ne deſeruiſſe vectigales ſociosque videretur, Sfortiam, qui paulo ante ſub ſe ſtipendium facere coeperat, cum aliquot cohortibus, Peruſinis auxilio mittit. Sed ante Sfortiae adventum aliquantum temporis atque belli intercurrit. BRACHIVS, in ditionem accepto Marſiano, commodiorem belli locum nactus, cuncta hoſti difficiliora faciebat. Nam fertile ac munitum oppidum, intra primos Peruſinorum fines ſitum, pabulationis frumentationisque magnam copiam ſuggerebat, &, quod praeterlabente abluitur Neſtore flumine, late hoſtibus minabatur. Inter haec Carrariae Comes, quem Querqueti praeſidio diximus impoſitum, ut ipſe quoque egregium aliquod moliri facinus videretur, Marſianenſium agrum excurſurus, quo tutior procederet res, magnam & bene armatam equitum manum, ante oppidi moenia, de tertia vigilia, ſub ripa fluminis collocavit, ſperans, BRACHIVM, parva manu occurſum praedato-

Huius auxilium.

Duae inter Comitem Carrariae & Brachium pugnae.

datoribus venturum, casurumque in insidias. Si, reliquis copiis late agrum depopulari iussis, ipse cum paucis rei eventum expectabat, aut subsidio venturus suis, aut palantem effusumque militem a praeda revocaturus. Igitur prima luce agrestes, qui partim pecora agebant, partim colebant agros, cum BRACHII stativis tutos se esse arbitrarentur, late diffusi per agrum, ab hostibus invaduntur. Tolluntur undique ad coelum clamores. Nam, hostes ut terrori essent, oppidani ut auxilium accirent, altissimis vocibus conclamabant. BRACHIVS, non temere profectum hostem arbitratus, repente omnibus militibus arma capere iussis, duas cohortes ad occupandum reditum praemittit, ipse cum ceteris copiis in palantes effusissime facit impetum. Qui ad ripam fluminis consederant, BRACHIANIS cohortibus a fronte sese ostenderunt, factoque in eas incursu, manus conserere coeperunt. Comes, ubi consertam aciem est conspicatus, ratus, eo praelio BRACHIVM implicitum, de superiore statim occurrens loco, suorum confirmabat animos: sed, interea cohortibus acri animo se defendentibus, milites, qui praedatum ierant, vim BRACHIANORVM ferre nequiverunt, dimissa praeda conversique in fugam, pars capti sunt, pars sese ad Comitem receperunt. Ille, cum incolumi exercitu se recipere potuisset, quod BRACHIVM praelio adesse existimabat, sperans, capere eum

posse,

posse, ultimum belli discrimen adeundum constituit. BRACHIVS, cognita suorum pugna, partem militum mittit ad occupandum transitum, quo pervenire duae priores cohortes non poterant, ipse cum reliqua parte copiarum suis iam fessis subsidio venit, tanto cursu & clamore, ut hostes, non expectato impetu, statim in fugam converterentur. Fugientibus praemissae cohortes occurrerunt, magnumque ex his numerum confoderunt. Comes, equi pernicitate per medium hostem praetervectus, incognitus evasit. Centum quinquaginta equites capti eo praelio referuntur, inter quos Obetium, Comitis filium, BRACHIVS magnifice donatum, postero die remisit ad patrem. Perusini, qui iam spe regii auxilii animos erexerant, confirmato exercitu, ad defendendam Derutam, simulque ad arcendum hoste exercitum miserunt, oppidum magis situ, sed tamen etiam opera, munitum. Huic proximum erat castellum, Collempepum vocant incolae, quod in monte situm BRACHIVS initio belli Perusini ceperat, praesidiumque imposuerat. Comes, in spem potiundi oppidi adductus, sperans, incognitam profectionem suam hosti futuram, cum omni exercitu ad Collem oppugnandum contendit: quod ubi BRACHIO per exploratores est nuntiatum, Tybri magna cum celeritate traiecto, Comitem, oppugnationi intentum, a fronte, a tergo, a latere simul adortus, gravi

vi commissa pugna, profligavit. Capti equites galeati centum, duo praeterea Comitis filii, Obetius, quem superioribus diebus captum dicebamus, & Ardicio, natu grandior, quos statim cum muneribus remisit. Post hanc pugnam adeo fuere attritae Comitis copiae, ut nunquam amplius eo bello, nisi aliis adscitis ducibus, in aciem prodierint. Dum haec geruntur, Sfortia, Perusinis auxilio missus, tertio Calendas Maias in eorum fines pervenit, iunctisque cum ceteris ducibus copiis, ac hostium spreta paucitate, Marsianum obsidione cinxerunt. BRACHIVS, veritus, ne hostium potentia conterriti, oppidani a se deficerent, omnibus copiis, quae in agro Tudertino hyemaverant, ex hybernis deductis, non procul ab oppido posuit castra, aut obsidione prohibiturus hostem, aut totis viribus belli discrimen aditurus. Ducibus inter se dissentientibus, alii praelium ineundum, alii solvendam obsidionem censebant. Inter haec BRACHIVS parata atque instructa acie, ne hosti pugnandi facultas deesset, quam aequissimo loco se ostendit. Duces & ipsi composito agmine ad ripam Tyberis recesserunt, quos ubi fugam magis, quam pugnam, ornare cognovit, quadrato agmine a tergo insecutus, paucos ex ultimis cecidit. Eodemque servato ordine, cum hostes ad alteram fluminis ripam evasissent, ipse Marsianum cum victore exercitu revertitur. Haec dum ad Perusiam geruntur, post tantas rerum

Marsianum a Sfortia obsessum,

& a Brachio liberatum.

Pax inter Pontificem & Ladislaum.

rum fluctuationes, inter summum Pontificem & Ladislaum Regem confecta tandem pax est, haud sane multum duratura. Haec res Perusinos aliquamdiu quietiores habuit, sublata bella sunt, sublatae offensiones, cum Perusini sub Regis essent imperio, & BRACHIVS Pontificem pacis bellique autorem sequeretur. Nihil exulibus quidem incommodius accidere potuisset, civibus autem nihil magis in tempore atque utilius evenire. Duces victi, exercitus profligati, vastatus ager, incensae villae, oppida partim sua sponte dedita, partim vi expugnata: cives publice privatimque pecuniis exinaniti, annonae ingens caritas, ingentior fames, atque ex hoc ipso bello nata diffidia. Haec omnia invaserant civitatem, nisi subita pax intervenisset, paulo post perituram. Per id tempus Pontifex, Romae compositis rebus, Bononiam recipiendae urbis gratia proficiscitur. BRACHIVS, sequi Pontificem iussus, Fractulae ceterisque castellis, quantum satis esset praesidii, disposuit. Ad Pontem Patulum Iacobum Archipresbyterum, clarum domi ac militiae virum, praesidio reliquit, cetera oppida sub Berardi, Camertium Tyranni, tutela atque imperio iussit: ipse cum octingentis equitibus, paucisque peditibus, qui praesidiis disponendis superfuerant, Bononiam versus contendit. Ariminenses & Faventini, Camertium bello lacessiti, transitum per suos fines facere prohibituri, quingentos equi-

equites & tria peditum millia, collectam agris & insuetam bello manum, ad iter atque aditus omnes intercludendos, transeunti opposuere: iussos, si arcere aliter non possent, manu belloque decernerent. Ventum erat ad Faventinorum amnem, Canalem accolae vocant, cum ex adversa fluminis parte crebrae militum stationes secundum ripam dispositae videbantur. Post ubi paulum progressum est, pontem quoque inveniunt occupatum. Iam hostes non solum infesta direxerant tela, sed, ad impediendum pontem, ingentem vim trabium tabularumque convexerant. Hic BRACHIANI equites, novo exorto bello, indignabundi, cum impetum facere in pontem vellent, plerique confodiuntur, peditesque, temere invadentes hostem, pars, multis acceptis vulneribus, repelluntur, pars, in ipso ponte iniectis quam latissime catenis interclusi, capiuntur. Andreas Campanus, peditum centurio, cum quinque & viginti militibus ab hoste correptus. BRACHIVS, ubi videt, iniquitatem loci nihil aliud suis, quam cladem, afferre posse, milites a pugna revocavit, eosque, leviter increpatos, docet, nihil praeliantibus incommodius esse, quam iniquo loco praeliari. Nocte interveniente, ad proximas villas reduxit exercitum, militibus deinde imperat, ut noctis usi beneficio, alii, quam longissimas possent, trabes roboraque succiderent, alii succisa ad superiorem fluminis

Praelium cum Faventinis,

 nis

nis ripam comportarent: duo millia passuum procul a ponte ipse cum paucis, ne quid hostes perciperent, longo atque obliquo intervallo segressus, quasi aliud acturus, quo materiam comportaverunt milites, proficiscitur, latissimoque structo ponte, supra Canalem ex adverso extendi iubet. Mox reversus ad suos, fortissimum quemque praemittit equitem, qui, ponte occupato, totius militis adventum expectaret. Quos ubi eo pervenisse cognovit, vix prima expectata luce, signum militibus dat, per fluminis ripam incedendi. Hostes, ubi moveri copias, ac sursum tendere, viderunt, ipsi quoque per adversam ripam quadrato agmine insequebantur: et BRACHIVS, quod prior in expeditionem moverat exercitum, cum hostes vix medium confecissent iter, flumen cum omni equitatu peditatuque traiecerat: gravissimo commisso praelio, Faventini dedere terga. Haec pugna aliquanto cruentior est habita, quam quibus aetate nostra uti solent. Causam quidem fuisse ferunt militum iram, indignantium, transitu se ad alienas terras ne belli quidem tempore esse prohibitos. Ego vero, non parum causae fuisse, arbitror, inermium hostium stolidum conatum. Agrestes erant imperiti militaris rei, quos non virtus bellica, aut animi magnitudo, sed temeraria multitudinis aemulatio, domo ad bellum excivisset. Itaque passim aut inermes, aut ad summum loricati,

cati,

cati, caedebantur, nec tamen, militis iram auxisse caedem, negaverim, quem tradunt agrestium sanguine perfusum, vix inhibente Imperatore contineri a strage potuisse. Cecidere pedites centum quinquaginta, trecenti capti, equites caesi perpauci, capti ducenti referuntur. His rebus ad Faventiam gestis, BRACHIVS magnis itineribus Bononiam contendebat: eunti Michilectus Cotignolanus pari equitatu, peditatu multo maiore, processit obviam, animo militis ducisque diripiendi. BRACHIVS, veritus, ne miles re improvisa moveretur, paucis hortatus est, ut pristinae virtutis meminissent, neque hostium magnitudo terreret animos, quorum plerosque imperitos esse rei militaris, magnamque partem ex proximis castellis ad se diripiendos concitatam, plus illam praedae, quam belli importaturam. Pugnarent acri animo, & primum quemque invaderent, perrumperent magna vi in hostium equitatum, non dubitare, pedites primo statim impetu fugituros. Hostis quoque hortabatur suos, ingentem gloriam atque praedam esse paratam, BRACHIANVM militem recenti & diuturno bello locupletatum, praeda onustum esse, facile paucos, itinere defessos, a pluribus integris circumveniri ac vinci posse. Haec & similia, quae utrique duci ad hortandos suos occurrere, dicebantur. Igitur inter Imolam & castellum Bononiense congressi, praelium collatis signis inierunt. Pugnatum est

cumque Michilecto Cotignolano.

 ali-

aliquot continuis horis. Neque enim de controversia ducum, sed de militum praeda, communique gloria, certabatur. Tandem, instante BRACHIO, & ardentissime excitante militem, hostes se in fugam perturbatis ordinibus converterunt. Captus dux, capti equites quadringenti, multum gloriae, nec minus praedae, victoribus attulerunt. BRACHIVS, duplici victoria praedaque potitus, Bononiam pervenit. Eius adventu Pontifex, quod satis iam videretur habere virium, multa de constituenda civitate ac confirmandis civium animis agere coepit. Nam ante id tempus factiosos & diuturna licentia corruptos attingere ausus non erat, veritus, ne quid seditionis aut tumultus excitaretur, quod futurum necesse erat, ubi diuturna licentia summam impatientiam peperisset. BRACHIO urbem ingresso, cives magis vereri Pontificem, modestiam & aequitatem tueri, denique boni libertatem cognoscere, improbi detrectatum diu subire iugum coeperunt. Haec dum ad Bononiam geruntur, Paulus Ursinus, Romanae defectionis autor, cum & ipse a Rege defecisset, Sfortia & Malatesta ad eum persequendum missis, a Rege ad Roccham Contractam perfugit: receptum in arcem, Regis exercitus obsidebat. Oppidum editissimo in monte situm, adscensu perdifficili atque arduo, ab omni erat oppugnatione tutissimum, quod ut primum omnium in BRACHII venerat potestatem, ita in eius fide quam longissi-

Bononia in ordinem reducta.

Roccha Contracta a Rege obsidetur.

gissime mansit. Tres menses obsidio processerat, oppidani obsessi, longe minus, quam qui obsidebant, defatigati, assiduam immanium saxorum molem deiiciebant, quibus praecipiti saltu decurrentibus, plerique hostium conterebantur. Nec iam ipsis montis radicibus stationes tute habere poterant, sed, aliquo interiecto spatio, tendere ad multam planitiem tentoria erant coacti. Quippe tum superne devoluta saxa, cum suo decursu, tum praerupti montis asperis praecipitiis, concitata, non statim sistebant impetum, sed, ubi ad planitiem erant delapsa, ingenti per campos saltu rapiebantur. BRACHIVS, obsidione audita, succurrendum suis, omni abiecta cunctatione, decrevit, nec invito quidem Pontifice. Igitur, quanto maximo poterat, coacto exercitu, primum ad Cesenae portum procurrit. Hic, omni excurso populatoque agro, surgentem medio in portu arcem expugnavit, capta Caroli Malatestae concubina, quam ille, tyrannicae libidinis diversorium, clam uxore in arcem abduxerat. Diruta statim atque incensa arce, omnem maritimam oram excurrit: tantum pecorum atque hominum in praedam actum, ut, nisi, qui ea die atque his rebus interfuere, alii crederem nemini. Pro omni praeda octoginta millia nummum accepta, pecunia pleraque viritim militibus distributa, reliqua imperatoris fuit. BRACHIVS magnitudine praedae * demoratus, Bononiensem in agrum reduxit exercitum.

Cesenae Portus a Brachio occupatur.

* *dictatus.*

IOANNIS ANTONII, EPISCOPI APRVTINI, DE VITA ET GESTIS ANDREAE BRACHII, PERVSINI, ITALICAE MILITIAE IMPERATORIS OLIM STRENVISSIMI,

LIBER TERTIVS.

Bellum Hetruscum.

Secutum est deinde Hetruscum bellum, primum cum Rege, mox adversus Perusinos, gestum. Sed mihi, eam tempestatem, qualem a patribus accepi, cogitanti, omnia divina atque humana promiscue tunc exercita vexataque videntur. Rex potentissimus, animo vasto magis, quam magno, Italiae cunctae imminebat, nec tam, quid ad sua spectaret iura, quam quid rapere posset, versabat animo. Pontificem sacratissima domo expulerat, ipse nefaria manu Romanum invaserat imperium, Senenses lacessiverat, Florentinis totis viribus moverat bellum, Cortonenses fraude subegerat, Perusinos receperat in potestatem, Roma pulsus, victo profligatoque exercitu, ad intima Regni sui refugerat. Facta deinde pace, novos apparatus bellicos moliri, rursus immortalium numinum sedibus inhiare, denique iure atque iniuria cuncta infestatum direptumque venire, nuntiabatur. Ergo novo & maiore com-

Accusatur Regis improbitas.

comparato exercitu, rupto foedere, contra Dei Optimi Maximi fana simulachraque gesturus bellum, Romam iterum invadit. Urbe sibi atque imperio extorto, non desunt, qui pavisse ad altaria sacrarum aedium equos tradant. Mox Viterbium eodem illo exercitu nefario contendens, civitate est potitus. Sed,ne cum solis numinibus gerere bellum videretur, Fabricium Campanum cum parte copiarum in fines Perusinorum praemittit, eique imperat, ut,quae oppida ad BRACHIVM defecissent, ea in Perusinorum redigeret potestatem. Ille, ut erat imperatum, primum Torsianum expugnare aggressus, oppidanos, praelium non expectantes,recepit in fidem. Proxima deinde castella, pars vi expugnata direptaque sunt, pars situ munitiora sua sponte deditionem fecere. Ultimum restabat omnium longe difficillimum, ut Pontem Patulum, quod validissimo fidissimoque tenebatur praesidio,& praeterea Marsianum, reciperet. His captis, nihil fuisset reliquum, quo minus omnem agrum civium imperio subegisset. Igitur, omni ad Pontem traducto exercitu, magnoque civium habito delectu, oppidum obsidere ex utraque ripa fluminis statuerunt. Haec ubi BRACHIO sunt nuntiata, veritus, ne,qui praesidio erant relicti, diuturna obsidione frumentique egestate fatigati, ab hostibus caperentur, tum quod obsideri adhuc Paulum Ursinum intelligebat, Bononia

Qui Pontem Patulum obsidet.

Varia Brachii itinera.

discedens, magnis factis itineribus, pervenit ad Burgum. Nocte sequenti cum parte copiarum profectus ad Montonum, arce per oppidanos prodita, oppidum cepit. Inde suum adventum Paulo significat, &, quid uterque facturus sit, ostendit. Dicta dies, dicta hora, qua eruptionem Paulus faceret. Addit, se Eugubium non procul ab illo decem millia passuum profecturum, existimare tamen, hostes, cognito eius adventu, obviam ituros, quod si facerent, nihil ipse amplius post aversum hostem solutamque obsidionem expectaret, sed, data evadendi occasione, in sua castra concederet: sin hostes in obsidione persisterent, se eorum castra invasurum, praeliumque commissurum: ipse superne cum suis impetum in subiectos faceret. Sed, cum hostes, audito BRACHII adventu, obviam profecti, ab obsidione discessissent, Paulus, ut erat monstratum, aspero saltuosoque itinere ad BRACHII castra penetravit. Post iunctas duorum ducum copias, hostibus visum est, novum consilium capiendum, qui, etsi militum numero superiores erant, plus tamen ex virtute aliena terroris, quam ex suorum multitudine animi, capiebant. Eorum exercitus erant duo, alter ad obsidendum Pontem aliquot iam nequidquam triverat menses, alter, quem primum Paulum obsedisse, deinde in BRACHIVM conversum, dicebamus. Sed veriti, ne partitae copiae opprimi ac deleri possent,

ſent, ad Pontem altero ducto exercitu, copias & ipſi coniunxere. Fuere in hoſtium exercitu equitum quatuor millia, pedites octingenti. BRACHIVS duo millia equitum paucosque pedites in caſtris habebat, qui quanto numero erat inferior, tanto militum virtute praeſtabat: hoſtium plerique tirones. BRACHIANI veterani omnes: illi ornatu equorum, hi armorum nitore, fulgebant: illos regia purpura, auro atque argento diſtincta, venerandos, hos ingentes haſtae, praeacuta expeditaque tela, formidandos faciebant. Denique illis emolliti domeſticis deliciis, animi ferri aciem expaveſcebant. BRACHIANIS durata ſole ventoque & aſſueta vulneribus corpora ne ictus quidem gladiorum formidabant. Hoc milite non dubitabat vel iniquo loco pugnam maiore cum hoſte committere. Ille ad nutum ducis uno momento currere, recipere ſeſe, nunc a fronte invadere hoſtem, nunc a tergo cedere, perdidicerat, &, quo ducis oculi non perveniſſent, ipſe ſibi moderari, ſervare ordinem, locum aequum iniquumque dignoſcere, imperatoris gloriae, quam ſuae praedae, avidior. Nam illud quoque conſtat, in militibus deligendis ſingulari uſum diligentia, nec magnos aut proceros, ne, quod dicere ſolebat, equos nimio fatigarent pondere, ſed breves & infra mediocres, robuſtos tamen ac bonae habitudinis, conducere libentius conſueſſe, maxime omnium

quos adversa fronte cicatrices, & deformata plagis ac vulneribus membra insignia, bellicae virtutis notarent. Igitur, hostibus in Ponte obsidione praestantibus, BRACHIVS saepe cum Paulo egisse dicitur, ut incautos improvisosque aggrederentur. Quem cum suam in sententiam flectere non potuisset, Tudertum una profecti, agrum Perusinum, saepe alias vastatum, novo bello diripere vexareque coeperunt. Nec multis post diebus, Paulus ad urbem veterem cum suis copiis est profectus. BRACHIVS in agro Tudertino stativa cum haberet, Castellum Leonis, quod ad hostes paulo ante defecerat, subita vi expugnatum, militi diripiendum concessit. Mox deinde, quo propinquiore metu solicitaret hostem, Marsianum, quod in fide permansisse dicebamus, contendit. Hic novi belli telis veteres Perusinorum cicatrices exulcerari coeptae, ager longe populari, oppida pleraque diurna vi, quaedam etiam nocturna fraude, debellari: denique ex omnibus locis praedae agebantur. His rebus perterriti Perusini, soluta Pontis obsidione, ad finitimum hostis agrum exercitum promoverunt, ut vel multi cum paucis aperto decernerent bello, vel ut clam depopulatores (ut fit) interceptos, rapinis excursionibusque prohiberent. Adventu hostium, BRACHIVS, quod eius copias Pauli discessu, plus, quam dimidio, impares videbat, intra oppidum militem continebat, nihil magis, quam

Variaeque excursiones.

quam apertum fugiens bellum: hostes quoque, nisi quam aequissimo loco, magnifice detrectabant pugnam, quorum nimis cauto metu cognito, paulatim lassare militem coepit, & nunc a laeva, nunc a dextra, per occultos tramites subitas excursiones facere, tanta celeritate nonnunquam, ut intra primas hostium stationes irrumperent, & prius, quam arma capere illi possent, sese incolumes cum praeda reciperent. Adventu deinde hyemis, utrinque ad hyherna subductus exercitus, sed nec hyeme semper quies militibus fuit. Plerumque levia commissa praelia, nonnunquam peditum factae excursiones civitatem solicitam habuere. Interea Perusini, veriti, ne adventu aestatis hostium copiae augerentur, militem undique conducere, novasque auctiones facere, decreverunt. Paulus Ursinus, magnis promissis solicitatus a Rege, partem exercitus auxilio his misit, ipse, Regis adventu expectato, saepe BRACHIVM clam aperteve magis, quam hostem, lacessebat, adeo statim tam praeclarum exciderat beneficium. Dum tot belli apparatus agerentur, profectus in Tudertinos BRACHIVS, militibus novi anni stipendium dedit, non expectato Regis adventu, quem mira fama praecesserat, viginti equitum, octo peditum millia in exercitu habere, tanta mole belli Pontificem invasurum, quanta nuper Hetrusco bello reiectum. Tudertini, qui Pontificis fidem sequebantur, quanquam situ

situ & loci natura muniti, tamen, quod civitas est factiosa, BRACHIO cum omni exercitu in urbem recepto, Regis ingentem procellam expectabant, rati, quod erat futurum, magnos illum facturum conatus, ut media inter Romam Perusiamque urbe potiretur. Igitur Rex, adventu suo proximis urbi collibus ac vallibus occupatis, urbem cinxit obsidione, si ferro expugnare non possent, fame domiturus. BRACHIUS, quanquam superiore loco facere potuisset in subiectos impetum, cognita tamen suorum paucitate, primum intra moenia se continebat, mox, crebra facta eruptione, sic infestabat hostem, ut non tam obsidio illa, quam pugna, videretur. Iam & militibus creverant animi, ut nonnunquam, facto impetu, ad Regis usque tentorium penetrarent, & hostes procul ab oppido stationes ponere, ac sese vallo munire, cogerentur: sed multitudine freti, alii excurrebant agrum, alii villas incendebant, alii aedificia suburbana diruebant. Erant, qui vineta olivetaque succiderent. Quae cum ante civium fierent oculos, unumquemque sua tangebant incommoda: sed, cum proximas urbi plantulas passim arbustis evelli conspicarentur, tunc demum maximo affecti desiderio, consilium dedendae urbis inierunt. Mittuntur ad Regem civitatis principes, qui pacis conditionem deditionisque deferrent. Inprimis Legati postulavere, ut BRACHIO cum omni exercitu, quo videretur,

Tudertum a Rege obsessum;

retur, abeundi poteſtas eſſet. Eam conditionem libenter repudiaſſet Rex, ſed, inſtantibus Legatis, & regiam fidem ac dextram implorantibus, vix quidem, ſed tandem, eſt recepta. Statim ad urbem recipiendam quingenti pedites miſſi ſunt. BRACHIVS, facta poteſtate abeundi cum exercitu, ad oppidum Fractulam ſe contulit. Sed, cum pedites, a Rege miſſi, civitatem furtis rapinisque vexarent, additaque temeritati licentia, domus alienas clam noctu diriperent, cunctaque more militari libidine ac vi vulgo miſcerentur, cives, poenitentia adducti, rurſus ad Pontificem defecere, vocatoque ad defendendam urbem BRACHIO, regiis deiectis ſignis, Pontificis vexilla ſuſtulere. Cinguntur ergo nova obſidione Tudertini. Qua die haec acta ſunt, Rex, miſſa ſuorum manu, aliquot equites BRACHIANOS, qui pabulatum in ſubiecta prata exierant, ducentos praeterea, qui erant in pabulis, equos corripuit. Proxima nocte BRACHIVS, militibus arma capere iuſſis, de prima vigilia egreſſus urbem, tanto impetu hoſtem invaſit, ut munitionem effractis repagulis, deturbatisque ſtatione vigilibus, vallum tranſiliret. Milites, ſomno excitati, cum ad arma concurrerent, extra munimenta capti vinctique trahebantur. Quatuor equeſtris ordinis viri, qui regiis praeerant ſignis, dum ad Regis tabernaculum armati feſtinarent, capti atque in urbem ſubducti ſunt. BRACHIVS, ubi hoſtes,

tandemque ipſi deditum.

A quo Tudertini rurſus ad Pontificem deficiunt.

Nova eorum obſeſſio.

Eruptio Brachii mire compenſata.

hostes, armandi sui spatium nactos, prodire in aciem videt, veritus, ne multitudine circumventus caperetur, signum receptui dedit. Nihil hac eruptione inter tot gesta magnificentius. Rex ipse, ad urbis portas insecutus, signariorum, suam opem implorantium, audiebat vocem, qui tamen tanto impetu per collium iuga trahebantur, ut, cum Rex ad eos se crederet pervenisse, multo intervallo reclamantes exaudiret. In urbem subductos, spoliare iam coeperat in obscuro miles, mox admoto lumine reverentia retardavit. Vestes erant multo intertextae auro, calcaria quoque aurea pedibus internitebant, loricae galeaeque aureis limbis cristatae adspiciebantur, nec equi quidem humilius erant adornati: phalerae, sellae, lora, densissimo & ipsa interlucebant auro. BRACHIUS signarios, ad se venire iussos, perbenigne humaneque accepit. Postero die, quos redimere belli iure potuisset, prima statim luce remisit ad Regem. Detracti sunt ea nocte ex hostium stationibus equi septuaginta. Fertur, Regem a signariis saepe de BRACHIO diligentissime percontatum, cuius cum illi mirum in modum commendassent & humanitatem & magnitudinem animi, misisse statim caduceatorem, qui gratias ageret Regis nomine. Postero die, levi commisso praelio, cum captus esset a regio comitatu BRACHIANUS miles, suo duci inprimis carus, purpurea veste donatum, remi-

misisse, dixisseque, cupere se vehementer cum BRACHIO colloqui. Erant inter duas acies, praeter vallum & fossam, intexta frequenti trabe munimenta. Hinc atque hinc armati milites occurrentibus inter se gladiis ac telis consistebant, alteri perrumpere trabium obstacula, defendere alteri, atque hostem arcere, conantes. Hic miles, ducem proxime accedens, Regis pertulit mandata, ipsumque ex altera valli parte dimicantem ostendit. Tum BRACHIVS, i tu, inquit, & Regi, si quid me vult, hic esse, dicito. Illo ad munitionem appropinquante, BRACHIVS, galea statim sublata, detecto capite, gladioque procul abiecto, equo descendit, deflexoque ad terram poplite, regio more salutavit. Tum ambo, ad laevam secedentes, militibus non procul inde pugnantibus, collocuti sunt: loquentes interiecta & trabibus munita fossa dirimebat. Rex, si secum stipendia facere vellet, trecenta millia nummum & totius exercitus imperium obtulit. Adiecit, praeter unam Neapolim, quam mallet, urbem suo in regno deligeret, nihil se denegaturum. Hoc per suam dextram, per regiam fidem maiestatemque, polliceri. BRACHIVS primum gratias egit Regi, qui se privatum atque infimae fortunae hominem alloqui esset dignatus. Adiecit deinde, sic se institutum esse, quibus parendum fuisset, quorum sequeretur stipendia, ei se fidem pure integreque servare didicisse: nunc sub Pontifi-

Colloquium inter Brachium & Regem.

ce ſtipendium facere, perdurante, etiamſi moriendum eſſet, in fide manſurum: non pretio, non amore, non metu aut periculo, defecturum. Nihil ſibi fide eſſe praeſtantius. Ceterum, ſi privato officio conferre quidquam regio poſſet faſtigio, eò demum pacto * reſtiturum eſſe, ſi nulla in re offenderet Pontificis dignitatem. Eius completo ſtipendio, ſi Regi ac ſibi commodum videretur, illius maieſtati eadem fide, qua nunc Pontifici, pariturum. His utrinque dictis, Rex, eius laudato propoſito, amiceque multa pollicitus, colloquio diſceſſit. Praelium fortius eſt inſtauratum, utroque ardentius ſuum militem excitante. Sed nec perrumpere munimenta potuit Rex, popularibus etiam crebra ſagitta repellentibus. Sic, quatuor & viginti diebus nequidquam in obſidione conſumtis, exercitum movit. Nec multis poſt diebus, pace cum Florentinis facta, capto Paulo Urſino, atque in vincula coniecto, Romam primum, mox in regnum, reverſus, moritur. Rege mortuo, magnae per omnem Italiam ſublatae formidines, quietiora tempora ſecuta ſunt. * Habere ſe iam Hetruria coepit, tam recidiva & diuturna belli peſte vexata. Inter haec Pontifex, ad conſilium vocatus, ne vacuam praeſidio provinciam relinqueret, BRACHIO per literas edicit, ut mature cum omnibus copiis Bononiam pergat. Ille, ut erat imperatum, biduo ad ſeſe parandos militibus dato,

* *praeſtiturum ſe.*

Inſecuta Regis mors.

* *Melius.*

Contendit Brachius Bononiam.

to, profectionem quam ocyssime accelerandam curat. Lustrato militari more exercitu, per agrum Clusinum iter facit. Omni agro Cocchus Senensis, vir domi nobilis, imperabat. Hunc ferunt anno ante eam profectionem, cum ne suspicio quidem belli intercessisset, quadraginta equos, qui per suos fines iter faciebant, BRACHIO, nihil tale metuenti, eripuisse: eam ob rem BRACHIVM, vastato agro, aliquot etiam direptis castellis, non prius finibus discessisse, quam triginta millia nummum extorsisset a Coccho. Ubi Bononiam est ventum, relicto procul ab urbe exercitu, ad Pontificem salutandi gratia concessit. Duplex est hic, & quidem diversa, fama: alii Pontificem de capiendo BRACHIO cogitasse dicunt, causas vero capiendi fuisse duas, alteram Pontificis avaritiam, qui cum octoginta millia nummum BRACHIO e merito stipendio deberet, ne pecuniam solvere cogeretur, interficiendum curasse, alteram imperii aviditatem: quippe Perusini, mortuo Rege, cum de statu atque imperio dubitarent, Pontificem in rem dictu nefariam solicitasse ferebantur, polliciti, si BRACHIVM interimeret, civitatem daturos. Quam rem cum ex Pontificis quaestore rescivisset, veritum, ne, si palam cum omni comitatu portas urbis egredi properasset, a praefectis vigilum prohibitus caperetur, aliquot praemisisse milites, qui exeuntem exciperent, praestoque cum

Cuius vitae Pontifex insidiatur.

 equis

equis velociſſimis eſſent, ipſum urbis luſtratione, & quibusdam in locis refectione moenium ſimulata, cum aliquot civibus pererrata urbe, pedetentim veniſſe ad portas: inde paulatim progreſſum, exceptum a ſuis, conſcendiſſe equum, ſubitoque ad exercitum ſumma cum celeritate confugiſſe, quaedam deinde proxima cepiſſe caſtella, nec prius, quam acceptis octoginta millibus nummum, reſtituere voluiſſe: poſtea vero Pontifici reconciliatum, ad cuſtodiendam urbem, exigendaque vectigalia, eſſe reverſum. Alii negant, Pontificem quidquam de capiendo cogitaſſe, affirmant tamen, ab Hetruria in Galliam accitum: acciundi cauſam non aliam fuiſſe, niſi quod Pontifex, ad conſilium accerſitus, non putabat urbem, factionibus & civili diſſidio laborantem, ſine fido praeſidio relinquendam, nec quemquam illi fideliorem, quam BRACHIVM, viſum, cui ſtatim in Galliam profecto, urbem atque arcem tuendam dediſſe, proximaque urbi oppida in fide retinenda, exigenda omnis Galliae vectigalia: denique civium curam ante Pontificis diſceſſum omnem in eum eſſe reiectam. Illum cum Pontifice dies noctesque verſatum, illum quotidie ſine comite, ſine armis, ad cubiculum intromiſſum, Pontifice diſcedente, urbis praeſidio eſſe relictum. Non videri veriſimile, ſummum Pontificem innocentiſſimi & de ſe optime meriti viri ſanguinem vendere communi hoſti voluiſſe. Haec

magis

magis animum inducunt, ut assentiar, tametsi imperandi cupiditas animos mortalium plerumque praecipites agit, ut non tam, quid liceat, quam quid libeat, soleant cogitare. Utra fama sit verior, ne illi quidem satis conveniunt, qui interfuere. Hoc utrique affirmant, post Pontificis profectionem, Bononienses BRACHII imperio totius civitatis consensu paruisse, atque illi finitimorum tributa, illi urbana vectigalia, persoluta esse. Igitur, civitatis gubernatione suscepta, cum ad alios multos, tum inprimis ad Forolivienses Legatos, qui vectigalia peterent, misit. Illis recusantibus, exercitum agro admovit, crebrisque factis excursionibus, incredibile dictu est, quantum pecorum, quantum hominum, in praeda sit aversum. Ferunt, sexcenta carra, frumento onerata, & ex his pleraque cum aurigis, cum bobus, una excursione esse correpta. Hac re irritatis Foroliviensium animis, mittendos ad conducendum Crassum Venusinum Legatos, tuendosque fines suos a bello, statuerunt. Crassus, magnis coactis copiis, qua die BRACHIVS exercitum ad populandum iterum agrum dimiserat, infesto agmine palantem militem est adortus. Vix BRACHIANVS miles a fuga retentus est, nec sine summa ducis prudentia, qui, quaecunque evenire possent, omnia tanquam ventura cogitaverat. Equitatu enim in duas diviso partes, alteram levium armatorum praedatum vage fuseque

Mox vero Bononiae ab eodem praefectus.

Excursio in agros Foroliviensium facta.

Praelium cum Crasso commissum.

dimiserat, alteram, delectissimorum equitum subsidio relictam, unde latus esset prospectus, collocaverat. Haec Crassum, in expeditos temere inconsulteque grassantem, circumvenit. Qui, gravi commisso praelio, vix cum paucis victus profligatusque evasit. BRACHIVS, ducentis captis equitibus, omnem equitatum peditatumque ad maiorem cogendam praedam quam latissime atque effusissime iubet excurrere. Quadringenti agrestes ea die capti referuntur, militibus, & qui equis, & qui pedibus militabant, libere usquequaque populantibus diripientibusque omnia, ut quos nec hostis, nec metus victo hoste deterreret. Postero die cum omnibus copiis in agrum Ravennatem, qui Foroliviensium ditionis erat, paulo ante ortum solem profectus est: hic praedae actum est, quantum superiore die in Foroliviensium agro. His rebus attriti Forolivienses, Legatos, qui & vectigalia persolverent, &, redemta duodecim millibus nummum praeda, pacem postularent, ad BRACHIVM misere. Data postulantibus pax est. His rebus gestis, BRACHIVS, qui nihil magis, quam militum quietem atque otium, fugiebat, longa expeditione exercere suos constituit. Convocato ex omnibus partibus milite, paucisque diebus ad quietem datis, primum Fanum, deinde Ariminensium Pisauriensiumque fines incredibili celeritate pervolavit, triplicique structa acie, prima Fanensem, altera

Nova excursio in Foroliviensem,

in Ravennatem,

Fanensem, Ariminensem, & Pisauriensem, agros.

tera Ariminensem, tertia Pisauriensem agrum, eadem die, eodem impetu, excurrit, omnibusque imperat, ut Pisaurum versus, quo ipse cum tertia parte copiarum penetraverat, praedam agant. Ut erat imperatum, ita milites fecere. Cuncta undique depopulata maritima ora, ingentique coacta praeda, in Pisauriensium fines convenerunt. Tum BRACHIVS, quod per media hostium oppida redeundum cum praeda erat, aciem omnem in tria confertissima partitur agmina. Ex his duo praedam anteire, reliquum subsequi iubet, paucis praemissis expeditis militibus, qui iter explorarent. Cum in fines Ariminensium ventum esset, Pandulfus Malatesta cum octingentis equitibus a fronte se ostendit, qui, per superiores a latere incedens colles, praelio quidem abstinuit, sed praedae imminens, nunquam inde flectebat oculos, suorum fortunam & calamitatem miseratus, quibus praesens atque videns tam expectatam opem ferre non posset, tum demum acerrimo dolore confectus, cum longissimum trahi captivorum ordinem, sese suamque opem implorantium, intueretur, quorum plerique vincti pulsique frustra tendere manus conabantur. Agmine sic tripartito, iam extra fines Ariminensium exitum erat, cum ille, vel pudore sui, vel miseratione suorum, lacessere hostem a tergo coepit, levique commissa pugna, hostes BRACHIANI militis non sustinuerunt

Pugna cum Pandulfo Malatesta.

runt impetum, sed, aliquot acceptis vulneribus, in edita sese collium iuga receperunt. Quo minus in fugam versi statim profligarentur, impedimento fuit praeda, ad quam undique intentus miles, non putabat rem certam pro incerta deserendam, & copias dividere, partemque ad insequendum hostem mittere, periculosum videbatur. Eius praedae magnitudinem vix illi numerare potuerunt, qui fuere participes. Quinque continuis diebus eundo redeundoque consumtis, plus quam centum viginti passuum millia decursa sunt. Praedam quoque, tam longo dignam itinere, nihil magis, quam ex industria in longissimum spatium captivorum protractus ordo, decorabat. Nam greges atque armenta vix latissimi capiebant campi. Omnia, ubi ad stationes est reditum, viritim militibus distributa. Bononienses, cognito BRACHII discessu, orta seditione inter cives, defectionem fecerant, rati, BRACHIVM in Perusinos movisse exercitum, diuturno atque externo bello vacaturum, se iam, excusso rectore, liberius omnia tumultuosiusque concitaturos. Hac re cognita, BRACHIVS quam maturissime sibi accelerandum putavit, ut prius urbem obsidione cingeret, quam cives arcem, quae eius praesidio tenebatur, expugnare possent. Accito ex proximis oppidis magno peditatu, ad urbis consedit moenia. Bononienses, veriti, ne simul ab exercitu muri oppugnarentur, simul

Seditio Bononiensis.

mul,qui arci praeerant,eruptionem facerent, ſtatim urbis portas aperuere, miſereque, qui dicerent, nihil ſe contra Pontificis imperium eſſe molitos, ceterum civiles illos fuiſſe motus, ſe quidem imperata eſſe facturos. BRACHIVS, cum exercitu ingreſſus urbem, duplicato praeſidio arcem frumentoque munivit, mox,ad ſtationes reducto exercitu, aliquot menſibus in hybernis habuit militem. Sextus iam praeterierat menſis, cum in ſtativis moranti nuntiatum eſt, Bononienſes in arcem feciſſe impetum, ſed eam, egregie defenſam, capere non potuiſſe: civitatem totam eſſe in armis, omniaque tumultuoſius agitata miſceri: niſi celeriter occurrat, ultimum diem urbi adeſſe: tantam enim concitatam multitudinem, ut,ſi caedem eſſent exorſi, niſi totius civitatis internecione ſedari tumultus non poſſet. BRACHIVS ſubito ad eum, quem arci praeſidio reliquerat, literas dat, ut proxima nocte contiguum arci murum, quantum decem ſimul equites ingredi potuiſſent, demoliendum curaret. Quo diruto, pontem extra arcem ſupra foſſam eodem ſpatio aedificaret,oſtendit, quanta celeritate opus foret. Ille,ut erat imperatum, murum diruit, ſtructoque celeriter ponte, prima luce venientem exercitum recepit in arcem. BRACHIVS confeſtim multas bombardas, quae mediam in urbem ingentia coniicerent ſaxa, incendi iubet. Ipſe quadrato agmine ſtrictis militum

A Brachio feliciter ſublata.

telis occupat forum, &, quo plus civibus incuteret terroris, angustos & foro proximos vicos structa ac parata invadit acie: tum, quo suorum falleret paucitatem, bis terque veluti in gyrum eundem quasi novum aliumque militem circumduxit, signumque dat, ut ex arce plurimis simul bombardis ignem admoverent, quibus late excussa saxa domos ac tecta sternerent, nec sonitu minus, quam ictu, perterrerent civium animos. Bononienses, his rebus attoniti, quamquam omnes aditus urbis trabe catenaque impediverant, depositis extemplo armis, Legatos celeriter pro tempore creaverunt principes civitatis, quorum autoritatem & gratiam plurimum valere apud BRACHIUM cognoverant, qui orarent, ut urbem pulcherrimam, a civibus suis perditam, a militum incendio servaret: non se negare, totam civitatem temere ac tumultuose arma cepisse, verum eos, qui expugnare arcem tentaverant, paucos extremae sortis ex infima plebe fuisse homines, non tam sanguinis, quam praedae, cupidos, quos si vellet ulcisci, polliceri se in manus tradituros. Ceteros cives, qui aliquid haberent autoritatis, privato atque intestino odio concitatos, nemini, nisi sibi ipsis, iniuriam facere voluisse, ignosceret satis suo malo laborantibus, veterem eam esse nimis corroboratam urbis pestem, saepe alias in suam ipsos ruisse perniciem, quos si sanare pergeret, omnia civium viscera esse dissecanda,

alio-

alioquin frustra eum mederi inveterato iam pridem vulneri, & omnium medullas pervaganti. Hoc eum existimare oportere: si boni regere pravos & moderari potuissent, non itum fuisse ad arma, non tumultum in civitate factum. Satius esse, si in altero peccandum sit, ignoscere malis bonorum gratia, quam bonos malorum odio persequi, atque innocentes alieno scelere punire. Testari Deum immortalem, posthac aut civitatem in fide detenturos esse, aut, si quid accidisset, pro Pontificis imperio morituros: ignosceret privatae amicitiae, si publicae esset iratus. BRACHIVS, graviter increpatis Legatis, non se ignorare, inquit, tum demum veniam postulatum venisse, cum armis nec se, nec urbem, defendere potuissent, non voluntatem precibus, sed periculi metum, affuisse. Bis se procul inde movisse exercitum, bis a civibus seditionem excitatam, nunc etiam, rebellione facta, signis allatis arcem oppugnasse. Mirum id quidem, nisi, cum ipse abesset, omnes inter sese dissentirent, atque ideo, seditione excitata, defectionem facerent, cum propius admovisset exercitum, inter se reconciliari: quia, quem absentem universi pati non possent, praesentem singuli metuissent: appellent, quam velint, seditionem, & leni nomine rem gravissimam extenuent, se non minus cognoscere, bis rebellionem esse factam. Nam quem civem non arma cepisse, quem

Pontificis partes suscepisse defendendas, quem seditione civitate esse deiectum. Non igitur blandis intestinae simultatis nominibus se demulcerent, quasi in arcem fugissent, qui alteram factionem tuerentur, atque ideo ad eam uno consensu omnium civium cum armis fuisse concursum: scilicet illic eorum inimicos, illic seditiosos & turbulentos autores factionum potuisse opprimi, quam tanto conatu, tantoque impetu, oppugnare voluissent. Ceterum animo sibi esse, aut diripere civitatem atque incendere, aut arctissimo aliquo vinculo in Pontificis fide retinere. Illi, ad pedes procumbentes, orant, ne se frustra populus Legatos miserit, omnem conditionem accepturos, modo civitati parceret, toties suo beneficio conservatae. BRACHIVS quinquaginta obsides, quos arbitratu suo e tota civitate deligeret, imperavit. Conditione accepta, quinquaginta principum atque optimatium liberi BRACHIVM in castra secuti sunt. Mansere post haec in fide Bononienses. Per id tempus BRACHIO renuntiatum est, Pontificem, quem ad consilium vocatum diximus, profectum Constantiam, Pontificatu abdicatum, atque in eius locum Oddonem Columnam, cui postea cognomentum Martini fuit, suffectum esse. Qua re cognita, priusquam ad cives nuntius pervenisset, arcem, quanto fidissimo potuit, munivit praesidio: tum obsides, diligentius obser-

vari

vari iussos, procul inde mittendos curavit. Hoc modo tam diu stetit in fide civitas, donec, prioris Pontificis dignitate desperata, cum civibus de tradenda arce remittendisque obsidibus ageretur. Igitur, acceptis centum octoginta millibus nummum, quae illi ex superiore stipendio debebantur, arcem, obsides, & proxima urbi castella, agrumque, restituit. Sunt, qui affirmant, BRACHIVM, audita novi Pontificis suffectione, admovisse urbi exercitum, refectoque ad artem quam latissimo ponte, militem in acie composito tenuisse agmine: cives, novitate rei perturbatos, receptis obsidibus atque arce, pecuniam eam, exactam per civium capita, tradidisse. BRACHIVS, stipendio militibus dato, intentus toto animo ad patriam, novam expeditionem parare, & in fines Insubrium, a Mediolanensium Duce solicitatus, traiiciendum exercitum simulabat. Interea, copiis peditatu equitatuque auctis, in Hetruriam converterat animum, ultimam vim conatumque facturus, ratus, id quod res admonebat, mortuo Rege, Perusinis, omni praesidio destitutis, Pontifice nondum a Germanis reverso, & propter novitatem rei de suo imperio solicito, simul quod ipse tunc pecunia atque armis valeret, quam opportunissimam inferendi belli patriaeque recuperandae adesse occasionem, quam si negligeret, nunquam amplius tantam rerum omnium commoditatem habiturum, sed, quo

altius

altius descenderet vulnus improvisis, nec quidquam hostile metuentibus, movendum instituit bellum. Iam vulgo ferebatur, in Insubres propediem cum omni exercitu profecturum. Confirmaverant eam opinionem pauca de industria praemissa impedimenta, & ducis Legati, qui ad eum solicitandum venerant. Interea, quam occultissime potest, mittit cum pecunia, qui Tartaliam, tunc forte Tusculi cum sexcentis equitibus morantem, conducerent, hominem plus quidem manu, tamen etiam consilio, promtum. Perusini, post mortuum Regem omni agro redacto in potestatem, nihil nisi de pace atque otio cogitaverant, captis Ponte Marsinianoque, exauctorato Ciccholino, exercitum dimiserant. Repudiati milites, etiam finibus pellebantur. Quae cum BRACHIO essent explorata omnia, sexto Idus Quintiles Bononia movit tanta celeritate, facto per Ariminensium fines transitu, superatoque Apennino monte, ut prius Burgum pervenerit, quam hostes ne de motu quidem, nedum adventu, quidquam scire potuissent. Hac re permoti Perusini, ad conducendum undique militem varios nuntios dimisere. Ciccholinum e Campania revocarunt, Paulo Ursino dedere stipendium, nihil reliqui facientes, quod vel ad improvisum repellendum hostem, vel ad resistendum, pertineret. Munita statim finitima oppida, praesidia undique per castella dispo-

Movet hinc Brachius castra in Perusinos.

dispoſita, ſed ſubita conſilia civium praecogitata ducis celeritas antevenit. Iam ad Tybrim pervenerant copiae, iam, tribus occupatis pontibus, amnem traiecerant. Continuos deinde complures dies paſſim actae praedae, caſtella expugnata, nec multum procul ab urbe conſeſſum. Oppidum erat tria millia paſſuum diſtans ab urbe, quod Divi Fortunati vocant. Hic ingens peditum atque equitum praeſidium erat collocatum, qua re cognita, tentandam eius loci oppugnationem conſtituit BRACHIVS. Itaque, praemiſſis, qui praeſidiarios milites ad deditionem hortarentur, ſcalas variique generis machinas comportari, & circum moenia, non longe a propugnaculis hoſtium, longo ordine, quo magis inſuetá rerum facie terrerentur oppidanorum animi, diſponi iubet. Milites moenia ſtationesque compleverant, tanta erat praeſidii magnitudo, cum BRACHIVS aggeres afferendos & in foſſam coniiciendos demonſtrat, imperatque, ut, quam ſicciſſimam queant, materiam portis admotam ſuccendant, oppoſitis a fronte ſagittariis, ne extinguere hoſtes portarum incendium poſſent. Hac re animadverſa, oppidani, & qui praeſidio erant collocati, ſaxa ingentia & magnam vim terrae congerentes, quam latiſſimo ſpatio interiorem pro portis aedificant murum. Interea, exuſtis portis, BRACHIVS ſignum dat, ut omnibus ſimul locis admotae moenibus ſcalae erigeren-

Oppidum Divi Fortunati expugnat.

rentur, sagittarii militem a propugnaculis arcerent. Ipse, facto ad portas impetu, recentem & vix bene confectum perrumpit murum: cohortes iam & scalis in moenia evaserant, quae, intra oppidum prosilientes, cuncta diripuere. Milites partim capti sunt, partim ex adversa parte oppidi sese moenibus eiecerunt. Centum equites traduntur capti, qui equis armisque spoliati dimissi sunt. Franciſchinus Mirandula, quem praesidio hostes praefecerant, captus atque in vincula coniectus est. Qua die haec gesta sunt, BRACHIVS, praemissa parte equitatus, ad urbis portas impetum fieri iussit; ipse cum reliquis copiis ad Planum Constantii, quod extra urbem ad teli iactum situm est, subsecutus, ingenti coacta praeda, Thrasimenum versus iter fecit, ut, ex omni latere vexato hoste, acriora magis, quam finitima, bella concitaret. Iam intra paucos dies omnia, quae secundum Tyberis oram sita sunt, oppida aut vi, aut sponte, venerant in potestatem: pleraque etiam, proximis eminentia collibus, ab hoste defecerant, partim metu, ne vi capta militi in praedam darentur, partim quod exulum partibus veteri maiorum amicitia favebant. Perusini, qua die hostes impetum ad portas fecerant, suburbium, quod ad meridiem pertinet, metu deseruisse, & in superiorem urbis ambitum domesticam supellectilem convexisse, dicuntur: quippe quos superioris belli eodem in

Perusiam obsidione cingit.

In loco accepta calamitas admonebat, nec minus terroris in urbe erat, quam in agro periculi. Pauca iam oppida obſidionem, multo pauciſſima oppugnationem, expectabant, civitatis metus deſperatio reliquis oppidanis erat. Interea, multis factis excurſionibus, Tartalia, cum ſuo delecto milite adventans, copias duplicavit: quae res, quantum animi BRACHIANIS addidit, tantum civibus incuſſit terroris. Huc accedebat ingens exulum multitudo, qui, patrio audito bello, undique ad exercitum confluebant. BRACHIVS, Querqueto & Marſiano receptis in poteſtatem, Papianum, Morcellam, & proxima quaeque caſtella, ne uno quidem praelio cepit. Poſtridie vero, quam coniunctae ſunt copiae, urbi cum exercitu ad ducendos paſſus, qua parte vergit ad Septentrionem, appropinquavit, tribusque ſacrarum virginum templis, quae, quamquam arcibus munita, bello tamen deſerta erant, occupatis, iam propius imminebat urbi. Poſtero die, facto impetu in portam, ſuburbium magna vi ingrediuntur, ſed, populo ſuperne reſiſtente, paucis caeſis militibus, compluribus vulneratis, urbe reiecti ſunt. Hoc praelio irritatis magis, quam territis, militum animis, maiorem in ſequentem diem conatum moliuntur: factoque iterum ad eandem portam impetu, de militum gloria certari, crederes, tanto quisque animo etiam iniquiſſimo loco in praelium ferebatur. Sed

Interea saepius conferit cum Perusinis manus;

rentur, sagittarii militem a propugnaculis arcerent. Ipse, facto ad portas impetu, recentem & vix bene confectum perrumpit murum: cohortes iam & scalis in moenia evaserant, quae, intra oppidum prosilientes, cuncta diripuere. Milites partim capti sunt, partim ex adversa parte oppidi sese moenibus eiecerunt. Centum equites traduntur capti, qui equis armisque spoliati dimissi sunt. Franciscinus Mirandula, quem praesidio hostes praefecerant, captus atque in vincula coniectus est. Qua die haec gesta sunt, BRACHIVS, praemissa parte equitatus, ad urbis portas impetum fieri iussit; ipse cum reliquis copiis ad Planum Constantii, quod extra urbem ad teli iactum situm est, subsecutus, ingenti coacta praeda, Thrasimenum versus iter fecit, ut, ex omni latere vexato hoste, acriora magis, quam finitima, bella concitaret. Iam intra paucos dies omnia, quae secundum Tyberis oram sita sunt, oppida aut vi, aut sponte, venerant in potestatem: pleraque etiam, proximis eminentia collibus, ab hoste defecerant, partim metu, ne vi capta militi in praedam darentur, partim quod exulum partibus veteri maiorum amicitia favebant. Perusini, qua die hostes impetum ad portas fecerant, suburbium, quod ad meridiem pertinet, metu deseruisse, & in superiorem urbis ambitum domesticam supellectilem convexisse, dicuntur: quippe quos superioris belli eodem in

Perusiam obsidione cingit.

In loco accepta calamitas admonebat, nec minus terroris in urbe erat, quam in agro periculi. Pauca iam oppida obſidionem, multo pauciſſima oppugnationem, expectabant, civitatis metus deſperatio reliquis oppidanis erat. Interea, multis factis excurſionibus, Tartalia, cum ſuo delecto milite adventans, copias duplicavit: quae res, quantum animi BRACHIANIS addidit, tantum civibus incuſſit terroris. Huc accedebat ingens exulum multitudo, qui, patrio audito bello, undique ad exercitum confluebant. BRACHIVS, Querqueto & Marſiano receptis in poteſtatem, Papianum, Morcellam, & proxima quaeque caſtella, ne uno quidem praelio cepit. Poſtridie vero, quam coniunctae ſunt copiae, urbi cum exercitu ad ducendos paſſus, qua parte vergit ad Septentrionem, appropinquavit, tribusque ſacrarum virginum templis, quae, quamquam arcibus munita, bello tamen deſerta erant, occupatis, iam propius imminebat urbi. Poſtero die, facto impetu in portam, ſuburbium magna vi ingrediuntur, ſed, populo ſuperne reſiſtente, paucis caeſis militibus, compluribus vulneratis, urbe reiecti ſunt. Hoc praelio irritatis magis, quam territis, militum animis, maiorem in ſequentem diem conatum moliuntur: factoque iterum ad eandem portam impetu, de militum gloria certari, crederes, tanto quisque animo etiam iniquiſſimo loco in praelium ferebatur. Sed

Interea ſaepius conferit cum Peruſinis manus;

Sed, loci iniquitate praevalente, maior eſt edita caedes, tantoque plus acceptum vulnerum, quanto acrius bellandi ſtudium fuit, & milites nimis intra urbem proceſſerant. Nec minus cruenta res civibus ſtetit, quos ſimul ſagittarii & haſtati milites fodiebant, ſimul equites, ſtricto gladio reſiſtentes, adverſo feriebant ore. BRACHIVS, ubi caedem magis, quam pugnam, augeri vidit, & cives, quod iam ad declivia urbis erat ventum, non ſolum defendere ſe armis, ſed praecipiti lapſu ingentia ſaxa devolvere, cani receptui iuſſit, exercituque extra portas pugnando ſimul caedendoque reducto, militem magnifice commendavit, oſtenditque, eam loci difficultatem non fuiſſe ſubeundam. Ceterum, ubi itum in certamen fuit, neque fortius, neque ardentius, pugnari potuiſſe. Peruſini, duplici & accepta & illata calamitate, occludendam eam portam trabibus muroque, & moenia, multo deiecta impetu, celeriter reficienda curaverunt. Qua die intra portam eſt pugnatum, vicinorum oppidorum curatores (Syndicos vocant) Bruſani, Collini, & qui his finitima incolunt loca, ad BRACHIVM venerunt, oppidorum claves oleaſtro involutas deferentes, petitae pacis, ac ultro delati imperii, ſignum. Poſtero die, nulla interiecta mora, vexilla bellica, multis militaribus ſignis adornata, non procul ab urbe iuſſit collocari: quo ſignificabatur, obſidionem iam adeſſe,

non

non bellum. Civitatem multa mala, pavor, metus, fames, agitabant. Nec deerant, qui etiam in postremo periculo discordias graves sererent. Auxilia pars nondum convenerant, pars hostili ferocitate defecerant, denique cuncta magna & acerba mala versabantur animis. Quicquid ab inimicis, de vita & sanguine certantibus, non fieri solum, sed etiam excogitari posset, rapinas, clades, stupra, incendia, metuebant. Castris circa urbem positis, BRACHIVS, ne uno quidem intermisso die, militem continuam irruptionem tentare, & ex pluribus simul partibus civitatem oppugnare, iubet. Quae cum parum procederent, exercitum in duas divisit partes: alteram ad fanum Iulianae, Vestalium virginum templum, quod ad radices meridionalis suburbii situm est, oppugnandum dimisit, ratus, cives aut universos illo, aut delectiore manu, accursuros: ipse cum altera parte copiarum ad toties effractam portam, quam appellant Solis, maiore, quam unquam antea, defertur impetu, murum, quem superiore die cives confecerant, perrumpit, penetrat magna vi ad intimum suburbium, occupaturus superiorem urbem, si forte cives, alio aversi, vacuam praesidio reliquissent: & dies erat nebulosa atque pluvia, facile tectura dolum, adspirante fortuna. Sed cives, primo exaudito, divisioneque exercitus per coniecturam cognita, & ipsi iuventutem duas in partes divisere: alteram

ad resistendum a fano oppugnantibus missam, alteram, egregium aetatis florem, delectaque iuvenum robora, interiori urbi praesidio relictam, ut, si quid reliqui hostes a Solis porta molirentur, paribus occurri viribus possit: magno utrinque consilio, multo maiore conatu, pugnatum est aliquot continuis horis. Alteros bellica virtus, alteros metus mortis, & morte crudelius exilium, nonnullos ardentissima odia, & conceptae iam pridem animis crudelissimae caedes, armabant. Non hostes cum hostibus de imperio congredi, sed inimicos cum inimicis de sanguine saevire, vel ipsi vultus atque oculi demonstrabant. BRACHIVS, concitato milite, nunc ultimum restare laborem, exclamat, nunc praemia tanti belli subesse: urbanam iuventutem non senes modo, sed fenestris saxo & ipsae pugnantes feminae adhortabantur, nunc pugnandum fortiter, nunc inimicos manu, ferro, dente, feriendos, nunc denique pro Diis patriis, pro liberis, pro capite & vita, dimicandum esse, omnino, nisi vincant, crudelissime omnibus esse pereundum. Senes, qui per aetatem arma ferre non poterant, liberos nepotesque obtestabantur, ut solum, quo paulo post quieturi forent, acerrime fortissimeque defenderent, ne procul a patria modicum, quod esset vitae reliquum, agere, & alienis in sepulchris, aliena terra miseri atque inopes iactari cogerentur. Nebulae stragis magnitudinem

cela-

celabant: quippe, aut progredientibus, aut regredientibus militibus, magna utrinque caedes edebatur, & passim fusa humi cadavera pedibus calcabantur. Iam ad urbis inferiora moenia ventum erat; qua difficilis atque arduus surgebat in forum aditus, hinc cives ingentia saxa devolvere, hinc dolia in subiectos lapidibus plena praecipitare, tum mulieres, evulsam manu tegulam tectumque deiicientes, indigno vulnere feriebant militem. Demum, facto a civibus superiore de loco impetu, milites, quod iniquissimo certabant loco, magno telorum saxorumque impulsu repellebantur. Iam saxis, iam cinere superne cadentibus, reculcati, in aequiorem locum paulatim cedendo recessere. Interim, qui ad fantum se ostenderant, levi commisso praelio, reiecti sunt. BRACHIVS fatigatum labore ac vulneribus militem, plurimis utrinque desideratis, in castra reduxit. Hic dies utrisque longe difficillimus fuit. Nam, etsi milites graviores armis peritiores erant, iniquissimo tamen loco certaverunt. Cives leviter armati, & plerique insueti rerum bellicarum, vix militis impetum sustinuerunt. Caesi fuere eo praelio ex urbana iuventute plures, ex BRACHIANIS plures vulnerati. BRACHIVS, desperata urbis oppugnatione, non amplius loci subire iniquitatem, sed premere civitatem obsidione, constituit. Postero illucente die, partem copiarum adversum in agrum emittit, qui inter

Septentrionem & Occidentem pertinet, asperum & montosum, eam ob rem nunquam antea neque bello, neque incursione, vexatum. Auxit praedam oppidanorum nihil tale metuentium securitas. Mantinianum, Misianum, &, quae sunt finitima his, oppida, pars in montibus, pars in montium angustiis sita, ingentem ea die calamitatem accepere. Porro, ubi alter illuxit dies, moto ad fanum, quod dicunt, Trinitatis exercitu, haud amplius centum passibus procul ab urbe consedit. Erant aliquot praemissi milites, qui occulte murum in desertiore parte urbis diruerent: sunt, qui affirment, ut in veterem cuniculum, crebro occlusum muro, penetrarent. Submissaque statim alia militum manus, ad superiorem Solis portam oppugnandam, ut, quod superiore die cives fecerant, ad eum, reliqua relicta urbe, concurrerent locum. Quod si fecissent, ceterum exercitum per cuniculum recipere praemissi milites potuissent. Sed, re canum latratu detecta, cives, reiecto magna vi milite, locum firmo praesidio muniverunt. BRACHIUS, ubi nequidquam omnia tentata videt, ne tempus aut otio, aut periculoso magis, quam utili, negotio, tereret, castris fossa valloque munitis, ac valido imposito praesidio, ipse, quae circum urbem essent, occupare castella properavit, ratus, id quod res admonebat, nullam acriorem futuram obsidionem, quam si cives, omni occlusi aditu, portas urbis exire,

re,

rege alimentaque ex agro supportare non possent, militibus autem frumentum & commeatus abunde suppeterent: si proxima quaeque oppida libere ad exercitum comportarent, vel ipsos oppidanos satis belli facturos, si nec annonam suppeditarent civitati, & civem urbis egressu prohiberent. Ergo, ad inferiorem planitiem, quam Tyberis fluvius mediam praeterlabitur, deducto exercitu, Ripam & Columellam ac proxima castella recepit in potestatem: omnes fluminis pontes, praeter Patulum, uno cursu occupavit. His peractis rebus, reductoque exercitu, corpora curare militem iubet. Tertia deinde vigilia, in eum agrum, quem ad Thrasimenum spectare diximus, profectus, Corcianum oppugnare est aggressus. Quod oppidum in inarido & olearum feraci monticulo situm, totius agri Perusini natura magis, quam opera, est munitissimum: collectum propemodum ac rotundum supremum montis verticem complectitur. Muri exterius praealti, intus vero densissima completi terra, aequabili accingunt atque excurrunt solo. Aditus etiam ad muros non undique liberi, quippe magna ex parte praeruptis atque altissimis clauditur rupibus. Nec segniores oppidanorum animi. Nam, praeter multitudinem, quam belli tempore etiam ex subiectis concipiunt villis, fide atque ingenio valent, nec tam privatas amicitias, quam commune sequuntur imperium, urbi parent ma-

Ripam, Columellam, proximaque castella, capit.

Corcianum oppugnat,

 gis,

gis, quam civitati, nobilitate urbem obtinentibus parent optimatibus, contra plebeiis, quamdiu illi urbem teneant, obsequuntur. Hoc oppidum oppugnare adortus, durissimo commisso praelio, nihil praeter militum vulnera caedesque reportavit. Motis inde castris, villis omnibus incensis, proximoque direpto agro, ad montem Ubianum contendit. Postero die Spinam, munitissimum & ipsum oppidum, magna vi adortus, oppugnavit, ubi, duobus commissis praeliis, aliquotque desideratis militibus, re infecta, ab oppugnatione discessit. Scalis deinde & muralibus machinis, quae oppugnationi usui forent, comparatis, quod fatigati milites erant, in alterum diem rem distulit. Quo die oppidum, magno militum invasum impetu, captum direptumque est, sed, strenuissimo quoque aut caeso, aut vulnerato, cruenta victoria fuit. Spina capta, finitima statim castella victorem secuta, sua se sponte dediderunt. Postridie, quam haec gesta sunt, BRACHIUS, incredibili celeritate ad portas urbis profectus, proxima & contigua urbi aedificia incendit; effregit molas frumentarias, frumentum, & qui subsidio venerant, corripuit: quinque & viginti fuere equites: mox eadem celeritate in alteram urbis partem, ubi castra munierat, secundum moenia, structo exercitu penetravit. Perusini, tantis intra paucos dies affecti incommodis, mittunt, qui Pauli Ursini adventum solicitent, item

sed expugnare non potuit.

Spina occupata atque direpta.

item qui Ciccholino, quam ocyssime maturandum, significent, ostendantque, civitatem ad ultimum venisse discrimen. Nihil ex agro reliquum esse, vix se intra moenia continere perterritos cives, atque pluries inde paulo minus esse deiectos: huc accedere intolerabilem plebis famem. Legatos praeterea Florentiam misere, orantes, ut pro amicitia, quae esset Florentinis cum BRACHIO, eorum interposita autoritate, bellum componerent: sperare, nullos commodiores pacis autores futuros. Interea BRACHIO nuntiatum est per speculatores, Paulum Ursinum, quem fama erat Perusinis auxilio venturum, magno cum exercitu adventare. Iam Tyberim esse traiectum, iam Utriculum, iam deinceps Narniam, processisse. Maturatione opus erat, ut cum altero ducum ante confligeret, quam tot simul copiae iungerentur. Igitur, ex omni parte collecto milite, & corpora curare iusso, nocte intempestiva movit exercitum, continuoque itinere non die, non noctu, intermisso, ad urbem Interamniam, plus quadraginta millium spatio decurso, pervenit. Interamniam Nar fluvius duobus alveis circumfluit, inde Interamniae, inde Narniae datum nomen: qui tanta velocitate delabitur, ut nusquam vado, raro naviculis, transiri possit. Interamnenses, rei novitate permoti, negant, se armatis per mediam urbem transeundi potestatem esse facturos, delectamque pro portis & egregie

Obviam proficiscitur Brachius Paulo Ursino usque ad Narniam.

Cuius incolas praelio fusos in urbem fugat.

 gie

gie armatam iuventutem opponunt: levi cum his commisso praelio, fusi fugatique intra moenia compelluntur. Paulus, audito hostium adventu, in editos Narniae montes se subduxit, ut, si committere praelium cogeretur, munitissimo esset loco. BRACHIUS, qui hostem repente de improviso adoriendum speraverat, ubi de fuga eius cognovit, Interamnensem depopulatus agrum, eadem, qua profectus est, celeritate revertitur. Interim Legati Florentinorum in castra ad BRACHIUM venerunt, iussi exponere mandata: orant, ut, cetera quieta Italia, ipse quoque bello abstineret. Timere Florentinos, ne, si diutius traheretur bellum, aemulatione partium finitima concitarentur arma. Iam audire, Carolum Malatestam & Paulum Ursinum, utrumque magno cum exercitu, ad urbem defendendam venire, totam Hetruriam armis completum iri. Iam nunc itinera suspecta esse, latrones obsidere vias, nec, qui sint, aut quo recipiantur, scire licere. Quid futurum, ubi tot fortissimorum ducum accesserint copiae? non vias, non aditus, quam urbem ipsam, tutiores fore. Nam, ut duces militem a praeda contineant, ut supplicium mortemque proponant, quem, utra ex acie latrones prodierint, cogniturum? tum, satius esse, victorem bello discedere, & accepta restituere oppida, quam varia fortuna amittere. Quae si etiam tueri posset, fore tamen illi de commeatibus & stipendio cogi-

Agrosque depopulatus, in castra prope Perusiam revertitur.

Ubi Legatos Florentinorum invenit.

cogitandum. Si facere pacem velit, Florentinos commode intercessuros, polliceri, quantum pecuniae conveniret, sponsoresque futuros, si modo ipse deponeret arma, & agrum civibus liberum pacatumque reliquisset. BRACHIVS in hunc modum Legatis respondit: Sciebam, inquit, ubi primum de legatione vestra audivi, quantum hostibus animi speique attulisset adventus vester, nec decipiebantur illi quidem, cum de gratia atque autoritate in me vestra cogitarent, & ego fateor, parendum vobis fuisse pro amicis, pro sociis, pro finitimis orantibus vestris. Verum aliter haec res sese habet, de quorum vos salute tantopere soliciti estis. Communes Hetruriae fuere hostes, nisi propterea hoc me abstinere bello iubeatis, quod prementem atque haerentem cervicibus vestris inimicum Regem, illi adversus vos non solum irritaverunt verbis, sed commeatu delectuque iuverunt. Ego periculo capitis mei repuli. Illi transitum adversus civitatem vestram aperuere, contra vos armati in acie fuere, vestra capita, vestrum iugulum petiere. Ego pro vobis cum immanissimo & capitis mei inimicissimo Rege dimicavi. Ingrati animi est, non recordari, quae acceperis: hostem contra socium, inimicum contra amicum defendere, impium atque nefarium. Nec idcirco ista commemoro, ut aut me poeniteat collati beneficii, aut vos acceptum non satis ample prosecuti sitis. Satis

Ad eosdem Brachii,

tis praemii est, ubi studio atque amore devinciuntur animi. Sed quaenam haec est miseratio? Hostes vestros domi in quiete, in otio, esse, ut contra vos illorum vires augeantur, nos amicos & belli ac periculi socios in exilio consenescere, aliena in patria mori, atque insepultos iacere cupietis, ut vobis (si res exigat) opem ferre nequeamus. Non hic de imperio agitur, uter sit regnaturus, exilium illi volunt nostrum, non regnum timent. Quanquam nec exilio quidem contenti sunt, qui toties aut vi, aut fraude, vitam nobis eripere tentaverunt. Nec tamen nobis bellum placet, si domi esse possimus. Non arma, non finitima concitamus bella, qui ad patrios lares, ad parentum nostrorum (quos isti media in pace necaverunt) tecta domosque, revertimur. Quid? si armis abstinendum est nobis, num isti legibus obtemperabunt, quae vim atque iniuriam fieri cuiquam prohibentes, sua cuiusque esse, non rapi aliena, iubent? ubi legibus non paretur, armis est decernendum. Equidem, cum hoc gero bellum, non mea solum, sed multorum, iura causamque defendo, quorum calamitates atque exilia, ut ipsi taceamus, vobis incognita esse non possunt: latior enim ac diuturnior fuit miseria nostra, quam occulta dissimulari potuerit. Num igitur nos sumus, qui finitima concitamus bella? Praeclare vos quidem de latronibus admonuistis, obsideri vias, itinera esse suspecta: credo

equi-

equidem, ita rem sese habere. Novi, quam late excurfitent militum manus; sed, quaeso, quid, si muliones, si iumenta vestra, nam his plurimum utimini, a latronibus correpta fuerint? Si haec tam procul a vobis impedita itinera, quo id feretis animo? At nos latrones eiecerunt domo, iter ad patriam intercluserunt, opes fortunasque nostras corripuerunt, parentes nostros indicta causa interfecerunt. Nisi minus peccaverint, qui media in pace, intra urbis moenia, quam qui in sylvis & bello latrocinantur. Qui cum ipsi latius latrocinia exercere non possent, aliunde infestissimum vobis, non dicerem latronem, nisi ille quoque ad iniustas venisset rapinas, provocaverunt, receptaculum praedandi, rapiendi, grassanti Regi praebuerunt. Cum his nobis est bellum, quod non concitavimus ipsi, sed, quia defendere quondam fortunas nostras pace non potuimus, nunc ereptas (si Diis placet) bello recuperare contendimus: nostra enim repetimus, non extorquemus aliena. Nec est nobis pecuniarum controversia: habeant sibi, quas nostra calamitate, nostro exilio, nostrorum parentum sanguine, accumulaverunt. Patria est, quae nunc in causam vertitur. Revocent domum satis diuturna exilia perpessos. Ego vero sic habeo constitutum, aut honesta morte, aut gloriosa victoria, exilii iugum excutiendum esse: dicerem etiam concordia, nisi scirem, nocentes sontium animos nimia

nimia teneri pertinacia, nec sperare, ignosci sibi ab inimico posse, cui ipsi amico non putaverunt ignoscendum. At recipiant nos nostro tecto, aut bellum, si propulsare non possint, eo ferant animo, quo nos acerbissima exilia, quo parentes nostri caedes crudelissimas nefariasque pertulerunt. Nec existimo, Florentinorum gratiam hostibus magis, quam sociis, inimicis, quam auxiliaribus, prodesse oportere. Faciunt illi quidem perhumane, qui, acceptas obliti iniurias, non, quid ipsi detrimenti acceperint, sed quid beneficii conferre possint, cogitandum putant: sed latior patet ea gratia, quam mortalium capiant mentes. Nam, prodesse interdum inimico, pulcherrimum est: amicum ad omnia iuvare, necessarium. Sed nimis stulte sentio, qui existimem, Florentinos, alienis solicitatos precibus, id a me velle exorare, quod orant. Saepe enim postulamus, quae non cupimus, quam saepe etiam, quae cupimus, non postulamus. Credite mihi, gratum est vobis hoc bellum, quod, si per humanitatem liceret, non solum non dissuaderetis nobis, sed ultro ad id ipsum faciendum hortaremini, ut qui non ignoratis, tutius nobiscum agi, si prope amicum, quam inimicum, socium, quam hostem, habeatis. Legati pauca ad ea respondere: populum Florentinum in memoria habere, quae commemorasset, omnia, nec quidquam praeter aequum ac bonum

& ad hanc Legatorum responsio.

bonum quaerere, studere tamen plurimum Hetruriae paci, si sine suo incommodo fieri potuisset, ut, plurima accepta pecunia, bello discederet. Id erat, quod postulandum iussisset. Sin aliud commodius videretur, facile fuisse Florentino populo verba praestare belli opem implorantibus, atque haec in mandatis se habere. Eodie BRACHIVS, praesentibus Legatis, Pilam oppidum vi cepit. Postridie, motis castris, Derutam cinxit obsidione. Oppidani, biduo obsessi, deditionem sub conditione fecerunt. Legati re infecta Perusiam reversi sunt. Magna spe excidere Perusini, quod existimaverant, Legatorum autoritate, quam plurimum valere apud BRACHIVM rebantur, bellum compositum iri. Ergo alia via excussuri hostem, Legatos ad Carolum Malatestam mittunt, polliciti, si opem tulisset, octoginta millia nummum daturos. Carolus respondit, se quidem pecuniis non egere, satis sibi magna esse vectigalia, nec unquam cupiditate pecuniae regnum suum in belli discrimen devocaturum. Ceterum, si tradere civitatem vellent, omnia pro sua gloria & eorum Republica facturum esse. Nec se mercenarium esse ducem, sed pro magno imperio summa pericula putare adeunda. Legati, nec recusare eam conditionem, nec promittere posse, responderunt: sperare tamen, si libere civibus in tanto discrimine rerum subveniret, facile imperium consequi posse a se defen-

Pila Derutaque capta.

Mittunt Perusini Legatos ad Carolum Malatestam.

Quibus hic paucis respondet.

auxiliumque parat.

defensae civitatis. Qua spe adductus Carolus, centum delectos equites auxilio praemittit, ipse ad reliquum expediendum exercitum demoratus, militem ex hybernis deductum in parato esse iubet, ratus, ubi tanto beneficio devinxisset civium animos, paulatim largitionibus paucorum communem urbis superbiam emollliturum. Per hos dies BRACHIVS, ne quid reliquum ex ea parte agri hostibus foret, Castellum Planum & Balneariam, non parva oppida, per conditionem recepit, uno intermisso die, castra non procul ab urbe quingentos posuit passus. Sed, quoniam dies fuit nebulosa atque pluvia, militem in castris continuit. Postero die, cum prima statim luce ad civitatis portas infesto se agmine ostendisset, cives omnes, qui per aetatem arma ferre possent, eodem concurrere, &, quod loco erant superiore & natura egregie munito, (Vegium vocant Perusini,) cum subiectis hostium cohortibus praeliabantur. Sed loco freti cives, acerrime fortissimeque se defenderunt. Praelio commisso, multis acceptis illatisque vulneribus, militem in castra reduxit. Idem sequenti die fecit, sed alia parte, non tam aspera & praecipiti, agressus urbem, & fracta deiectaque porta, miles intra suburbium irrupit, peditibus aliquot, qui resistebant, caesis. Cives, quod superiores fecerant praeliis, parte iuventutis fori praesidio relicta, ceteri ad defendendam reliquam urbem concurrere: eorum

Novi Brachianorum impetus minus felicem successum habent.

eorum concursu acrius instauratur praelium. Sed, ubi aliquandiu dubio marte pugnatum est, milites, quanto magis procedebant, tanto iniquiorem subeundum locum intelligebant: sic languidiores desperatione victoriae facti, magno cum impetu repelluntur. Nusquam Perusino bello, quantum hoc praelio, sanguinis fusum. Nam & pedites, qui pro portis dimicaverant, ab exercitu plerique fuere occisi, & milites eo erant progressi, ut, nisi scutis se protegerent, superne coniectis tegulis opprimerentur. Tum tantus utriusque impetus, ut cives, quamdiu aequo loco pugnaverant, magna cum strage reiecti sint, donec ad praecipitem fori clivum compulsi, de loco superiore converso in militem impetu, magnam & ipsi caedem ediderunt. Quae res tantum animorum addidit civibus, ut postridie universus populus armatus prodierit, praeliumque postulaverit. BRACHIVS, quod viderat, hostem, quid loci posset iniquitas, magno exercitus incommodo edoctum, in colle sese egregie continere, veritus, ne rursus ad iniquitatem loci compelleretur, militem & ipse continuit, proximaque nocte vel metu, ne quid de improviso repente hostes molirentur, vel timore simulato, ut commodius invadere securos posset, vel, quod magis putaverim, ne tempus periculosa magis, quam utili, pugna contereret, motis inde castris ad montem Melinum quinque millia passuum procul ab urbe recesse-

rat,

Redeunt ad Brachium Legati Florentinorum.

rat, cum Legati Florentinorum iterum ad BRACHIVM venere, qui multis ultro citroque habitis frustra consumsere diem.

Cui varia sua sponte se dedunt oppida.

Nondum abierant Legati, cum Agellani, Paccianenses, Panicarini, Cibottulani, Plagarini, & qui his finitima incolunt loca, misere, qui oppidorum claves, atque olivam, deditionis pacisque signa, deferrent. Pons Patulus, toties ante utrisque belli causa, & Castellum vetus, diversa situ oppida, sua sponte deditionem fecere.

Proficiscitur hinc Brachius in Thrasimenum.

Iam, confecto quasi terrestri bello, ne quid intentatum esset, in Thrasimenum, totius Italiae amoenissimum ac fertilissimum lacum, tanquam ad maritimam expeditionem, proficiscitur.

Eius descriptio.

Thrasimeni ambitus triginta passuum continet millia, littusque habet placidum atque arenosum, & in speciem maritimi sinus longe vasteque extensum, rotundus fere, ac mari similis: nec recipit alienas aquas, nec refundit suas. Oppida, ex omni parte lacum cingentia, felici ac perpetuo iacent littore. Nihil ea plaga vel fertilitate agrorum, vel piscium ubertate, felicius: medio autem lacu tres interiectae insulae, quarum duae hominibus frequentes adspiciuntur.

Quem statim omnem in fidem recepit.

Igitur BRACHIVS, tanquam ad bellum navale profectus, primum monte Columnolo recepto in potestatem, Passinianum, quod Thrasimeni fluctibus abluitur, exercitum perduxit: oppido in fidem accepto, qui insulas colunt, etsi navigia omnia veteri more sub-

ſubduxerant, cognita tamen finitimorum defectione, veriti, ne aut gravi fame domarentur, aut navigia hoſtes aedificarent, in continentem cum omni claſſe exeuntes inſulas dediderunt. Nihil BRACHIO hac inſularum victoria gratius, partim fama rerum geſtarum, quod terreſtri bello vinci non poterant, partim ne inacceſſibilem a tergo hoſtem relinquere, aut tempus conficiendis navibus terere cogeretur. His rebus ad Thraſimenum geſtis, Antriam, populoſum oppidum, oppugnatum cum exercitu profectus, dum, quae oppugnationi uſui forent, comparat, Legati Peruſinorum ad eum venerunt. In his erat Cinellus, ex BRACHII natus matertera. Qui iam prope centeſimum natus annum, aetatis fructum & prudentiam, & memoriam, retinet. Legatio erat nomine, ceterum re ipſa belli dilationem, donec Carolus, quem omnia parare ad bellum audiebant, cum ſuis adventaret copiis, agitabant. Legati multum de pace agere, ſermones longos de induſtria quaerere, ſpem magis, quam concordiam, prae ſe ferre: denique omnia, quae tardare hoſtium poſſent impetum, ſimulabant. BRACHIVS, quod dare ſibi verba intelligebat, ipſe quoque de pace agentes ſtudioſius audire, bellum tamen interea non intermittere, nec dum diſcedentibus Legatis, facto propter urbem tranſitu cum omnibus copiis, Tyberim amnem traiecit. Vix ad alteram ripam vexilla pervaſerant, cum Torſia-

Veniunt ad eum Legati Peruſinorum.

Torſianenſium.

M ſia-

ſianenſium Legati occurrerunt, orantes, ut oppidum olim ſuum reciperet in poteſtatem: non ſe ſponte ſua, ſed obſidione diuturna coactos, ad hoſtem defeciſſe. Poſtridie quam Torſianum eſt receptum, Legati Tudertinorum in caſtra venere, atque urbis, quam Rex olim oppugnare non poterat, deditionem fecere. Tanta urbe recepta in poteſtatem, BRACHIUS exules omnes, quos ſuperiore ſeditione eiectos dicebam, in patriam reduxit, arbitratus id, quod erat futurum, revocatos beneficio ſuo diutius in fide manſuros. Hac re vehementer permoti Peruſini, nimiam regni acceſſionem, & hoſtis quotidie auctas opes metuebant, iam eo potentiae ventum intelligentes, ut, etiamſi omni agro pelleretur, nimis proximum habiturus foret receptaculum, unde ut vi pelli non poſſet, ſic exhauſtum bello Peruſinum populum invaſurum, & agrum quotidiana vexatione depopulaturum. Tum ſuas vires adeo attritas eſſe, ut, ſi iam conducti milites reſiſterent hoſtium ferocitati, non tamen tantum exactionum diutius pati poſſe: redivivum futurum id malum, cum hoſtis, etiam pulſus agro, non amplius quam viginti millia paſſuum procul manſurus eſſet, atque inde perpetua clade urbem, agrum, itinera, infeſtaturus. Haec cum inter cives agitarentur, non minor, quam ſi eorum moenia intraſſet hoſtis, pavor & trepidatio cunctorum invaſerat mentes: una ſpes erat adventantis exercitus, ſi uno praelio

& Tudertinorum.

Solicitudo Peruſinorum.

lio bellum omne conficeretur, nec dubitabant, hostem, numero longe imparem, aut non venturum in certamen, aut, si veniret, facile a multitudine profligatum iri. Repetebant, qui rerum eventus essent, quæ fortuna belli, si aut victus hostis effugeret, aut pugnam non caperet; magnam tamen restare molestiam. Sin profligatus forte caperetur, omnia in tuto atque in portu fore: hanc unam extare tranquillitatis ac pacis spem. Interea Legatos iterum, qui eadem, qua superiore legatione, via hostem eluderent, mittendos placuit. BRACHIVS Legatis respondit, illos maxime stultos esse, qui alienae confisi stultitiae, solos sese sapere arbitrarentur: iam pridem cognovisse, quid eiusmodi legationes pacis bellique afferrent, fuisseque sententiam, non aliter bello discessurum, quam si exules in urbem revocarentur. Scire, quantum auxilii cives expectarent, eamque ob rem belli dilationem quaerere, sed expectarent sane, quam vellent, aut sibi pro suis moriendum esse, aut in patriis sedibus repositurum miserrimos cives. Haec cum dixisset praesentibus Legatis, classicum cani iubet, armatoque statim milite, ad oppugnandum oppidum Bastiam, quod est in agro Asisiatium, proficiscitur. Eunti in itinere Vectoniensium Legati cum muneribus congratulatum occurrere. Accepti sunt perbenigne Vectonienses, qui, quod oppidum haberent magnum ac montosum, & natura situque egregie

Nova eorum ad Brachium legatio.

Cui hic paucis respondet.

Proficiscenti ad oppugnandam Bastiam.

Occurrunt Vectonientium Legati.

gie munitum, & Perusino imminentes agro, Chiasio amne, qui eorum fines secat, transitum & aperire, & claudere pro arbitrio possent. Adeo optimatium faverant partibus, ut maximis primum solicitati praemiis, deinde anniversario incendio, & populatione agrorum vexati, nunquam a nobilitatis societate deficerent, & Torsianum, a civibus obsessum, commeatu & aliarum rerum supplemento iuvarent, idque opera Crispolitorum factum, qui inde oriundi, eodem in exilium acti, oppidum in fide per extrema & difficillima quaeque tenuerunt. Inter haec Perusini, legationibus elusuri hostem, tertium misere Legatos, qui nihil aliud agere potuerunt, nisi quod pacis, quam aut quaerebant, aut simulabant, spem sublatam reportaverunt. Ultima Ducis fuere verba: Si alia conditione, quam de recipiendis exulibus, post id eius castra ingrederentur, legationis iura violaturum, & pro hostibus, non pro Legatis, habiturum. Motis deinde castris, propius, quam unquam antea, ad urbem concedit, pauloque post, levi ad civitatis portas nequidquam commisso praelio, partem copiarum Corcianum, quod oppidum situ munitissimum esse monstravimus, obsessum dimisit. Oppidani, qui gravissimam oppugnationem magnis sustinuerant animis, obsidionem pati non potuere. Facta deditione, Antria, Misianum, Mantinianum, quae reliqua ex omni agro praeter pauca admodum hostibus

Legati Perusinorum ad Brachium tertium missi,

repulsam ferunt.

Corcianum,

Antria, Misianum, Mantinianum, aliaque

bus superfuerant, ad BRACHIVM defecere: denique centum viginti oppida, & octoginta vicos redegerat in potestatem. Iam solam urbem bella respiciebant, nec erant amplius dividendae copiae, exercitusque diminuendus, ad unum locum universis intentis viribus. At cives, undique obsessi, non modo continebant se moenibus, sed exteriores portas latissimo clauserant muro: & iam toties oppugnatam urbem sic perterritam fecerat hostis, ut ne custodibus quidem portarum, qui pro stationibus & propugnaculis vigilare consueverant, credere se auderent. Nam civitatis varia erant studia, diversaeque civium voluntates. Alii, domi potentes & factiosi, quibus de vita & sanguine erat dimicatio, quotidie dies atque noctes in armis esse, nec quidquam magis, quam insidias proditionemque, timere. Hos plerique postremae fortunae homines, praedis rapinisque publicis assueti, sequebantur, sed nec hi tam acri erant ad bellum animo, quos victos victoresve, ut multum rapinarum, ita nihil periculi dignitatisque, maneret. Alii erant boni & aequi amatores, domi opulenti pecuniosique, contenti suis artibus. Hi nec arma, nisi coacti, capiebant, nec belli huius exitum magis, quam bellum ipsum, extimescebant, quorum maiores sua quisque studia secuti, civilibus dissidiis domesticisque cladibus abstinuerant, ab his pecuniae exigebantur, his stipendia conducendo militi extorta, nec ul-

complura oppida, capta.

Varia civium studia, variaeque voluntates.

la re magis, quam domeſtica vexati tyrannide, pacem, quam verbis petere non licebat, animo avidiſſime cupiebant. Ultimum erat genus, quorum maiores nobilitatem ſecuti, quod aut frigidiuſcule factionibus ſtuduiſſent, aut affinium & propinquorum ope freti, in exilium eiecti non eſſent, in civitate remanſerant, ſed nec magiſtratus gerere, nec dignitates civiliaque munia obire poterant. Ii erant, qui maxime omnium ſuſpecti habebantur, etiam ab illis ipſis, qui, ne in exilium praecipitarentur, affinitatis iure effecerant. Quippe illa tempeſtate unis in tectis, una in familia, vel a parentibus liberi diſſentiebant de vita & ſanguine. Inter tot diverſa civium ſtudia, etſi potentiores erant, qui armis clientelisque, quam qui ſuis artibus viverent, aut qui alieno eſſent animo, tamen metus & ſuſpiciones undique in civitate verſabantur. Alios imperii ſolicitudo ſuſpenſos tenebat, alios fortunis exinanitos aſſidua exactionum magnitudo terrebat, alii, ne quid ſuſpicionis aut eſſet, aut conflaretur, ſummum periculum atque ultimos cruciatus metuebant. Multorum erat timor, ne autores rapinarum, quorum ipſi ductu raperent ſpoliarentque aliorum fortunas, imperio deiicerentur. Hae res effecerant, ne cuiquam portae civitatis, niſi muro, crederentur. BRACHIVS, ubi videt, tantum pavoris ac trepidationis invaſiſſe urbem; etſi intelligebat, unicam ſpem civium in Caroli adven-

adventu esse repositam, nihilo secius, quo magis aut perterreret attonitos, aut sperantes in certamen provocaret, cum quadringentis equitibus trecentisque peditibus ad muros civitatis sese ostendit, pugnamque milites postulaverunt. Cives, ut est ea gens totius Italiae longe bellicosissima, cum portis egredi nequirent, muris, qua parte pressiores erant, cum armis sese iacientes ad pugnam animis pleni desiliebant. Magna corruente multitudine, acerrimum initum est praelium. Cives, etiam illi ipsi, quibus bella displicebant, studio pugnandi & gloriae ac laudis aemulatione trahebantur; qui muris haerebant dispositi, propugnaculis lapides ac tela coniiciebant. Multi utrinque vulnerati, desiderati etiam nonnulli. BRACHIVS, reducto nec victo, nec victore, exercitu, cum aliquot militum vulnera subito livore intumescerent, comperit, tela quaedam mortifero tincta atque oblita medicamine: eamque ob rem mittit, qui ad rectores civitatis tela ipsa deferrent, simulque nunciarent, ne belli iura violarentur, alioquin sibi quoque consilium non defuturum: insuetam hanc pugnae speciem Italicae genti, & ne cum barbaris quidem hoc modo solere dimicari. Decemviri, (tot enim praeerant civitati,) statim decernunt, si qui eo genere telorum usus fuerit, capitali supplicio esse damnandum. Ad BRACHIVM respondere, eius rei se ignaros esse, non placere sibi nec gentium, nec

Praelium inter Brachianos & Perusinos.

In quo posteriores telis usi venenatis, a Brachio gravissime increpantur.

 bel-

belli, iura violari, &, quoniam controversia esset de civitate, contentos esse rem suam non magis aliena pernicie, quam salute sua, defendere. Praeconio deinde edici iubent, qui veneno tela tinxissent, contra Rempublicam esse facturos, quo crimine nullo apud eos maiore animadversione & supplicio dignius. Dum haec geruntur, BRACHIO per speculatores significatum est, multum copiarum ab Arriminensibus coactum esse, Carolum Malatestam civibus auxilio venire, ducere in armis equitum duo millia, peditum mille & septingentos. Iam in fines Assisiatium pervenisse, esse cum illo in exercitu Angelum Pergulensem, & praeterea ductores alios non mediocris in re militari autoritatis. Hac re nuntiata, per alios exploratores, quos consuetudine sua late dimittebat, certior fit, Ciccholinum praeterita nocte cum mille equitibus totidemque peditibus ad Spellum, quod & ipsum est Umbriae oppidum, consedisse: & fama increbuerat, non prius inde moturum, quam copias iunxisset cum Caroli exercitu. Huc addebant, Paulum Ursinum in itinere esse, iam Narem flumen esse traiectum. BRACHIUS, tot simul rebus nuntiatis, adoriri singulos hostium duces instituit, ne, si cum universis confligendum esset, nimium discriminis ac periculi subire, militesque a multitudine circumveniendos, ad caedem, non ad pugnam, obiicere cogeretur. Citato statim milite, quod matu-

Carolus Malatesta cum aliis civibus auxilium laturus appropinquat.

Conferit Brachius cum Cic-

maturandum ſibi quam maxime intelligebat, ſub occaſum ſolis movit exercitum, multoque ante primam lucem, tota nocte in itinere conſumta, Spellum pervenit. Hoſtium pedites ſtativis circa portas ac muros crebri ſtipatique conſederant, fit nocturnus impetus in ſomno gravem hoſtem. Tum vero, quantum ſubitae res momenti habeant, quamque mortalium animi terreantur, maxime patuit. Primo ſublato clamore, trepidus hoſtium peditatus non arma capiendo, ſed huc illuc fugiendo, latitabat: non ordinem non ducem, non ſigna, ſequebantur, ſed, qua propiores eſſent portae, in oppidum ſe perterriti recipiebant, arma, veſtes, tela paſſim relicta, pleraque in ipſa fuga trepidis elapſa, atque humi iacentia calcabantur. Interea Ciccholinus, audita ſuorum fuga, ubi de hoſtium adventu cognovit, equitatum, quem omnem, ne agri pabula vaſtare, aut frumentum noctu aſportare milites poſſent, intra oppidi moenia compulerat, extra portas compoſito educit agmine. Sed, quo magis res erat improviſa, eo minus explicare aciem, proculque a moenibus procedere audebat. Qua re cognita, BRACHIVS, tripartito agmine, tertiam partem copiarum obliquo tractu clam ad occupandas portas hoſtemque intercludendum dimittit, ceteris copiis a fronte atque a latere invaſurus hoſtem: nec conſilium feſelliſſet, niſi oppidani, qui videndi ſtudio ad moenia confluxerant, &,

cholino manus ad Spellum.

quantum nox permitteret, prospiciebant, Cicholino iter obliquum hostium nuntiassent. Ille, reducto ad portas equitatu, ne circumveniri posset, intra prima oppidi munimenta se continebat, mox provocatus, ut fit, ad pugnam, levi commisso praelio, paucisque ex suis amissis, intra moenia compellitur. Haec victoria, quamquam minor spe fuit, peditatus tamen direptione insignis est habita. BRACHIUS, cum ex captivis cognoverat, omnes hostium copias in Asisiatum finibus conventuras, quod ubique erat virium, unum in locum coegit, sperans, Pauli Ursini adventum tardiorem fore, ceterum Carolum animo esse vasto, & ad gloriae cupiditatem, quam periculi metum cogitandum, procliviore, minime expectaturum Pauli adventum, existimabat. Hoc consilio, ne hostibus, quo minus coniungere exercitus possent, impedimento esset, in sua castra revertitur, sperans, coniunctis copiis in praelium, quod peditatu & equitatu praevalerent, esse venturos. Postridie eius diei hostis uterque, ex diverso Asisium conveniens, castra exercitus coniunxere. Perusini, ubi primum de auxilio est nuntiatum, subita laetitia privatim publiceque affecti, portas, iam pridem muro septas, aperiunt, mox turribus, moenibus, palatio, privatis etiam aedificiis, luminari flamma distinctis, quo signo magnis prosperisque in rebus uti consuevimus, se quoque ad pugnam parant, iuventutem conscribunt, ar-

Quo victo in sua ad Perusiam castra revertitur.

Perusinorum de adventante auxilio laetitia.

arma telaque expoliunt: videres se ipsos hortari atque excitare, muta iam pridem consilia magno celebrare plausu, alterum alteros gestienti similem intueri, &, quo minus laetus ex ea re esset, eo plus laetitiae simulare. BRACHIVS, in castra reversus, Tartalia ceterisque praefectis militaribus ad se vocari iussis, edicit, ut omnia, quaecunque committendo praelio usui forent, quam optime possent, compararent, proximam instare pugnam, aut huius belli, aut utrumque futurum sit, laborum atque exilii finem. Ipse, cum ad multam noctem vigilasset, tabernaculum solus ingressus, multa secum cogitasse dicitur. Occurrebat animo duplicatus hostium exercitus, duplo suis copiis maior, Pauli etiam adventus, qui si ante, quam confligeretur, adventasset, futura in hostium exercitu equitum quinque, peditum fere totidem millia. Tum Populum Perusinum magno numero maioribusque animis pugnae interfuturum, iam nunc nondum victis insultantem, & pene citra externam opem suis viribus parem se facere, bellandum esse alieno loco, equos suos in acie & diuturnitate belli confectos, hostium robustos atque integros, & nunc tandem hybernis exeuntes, tum aut pugnandum sibi esse, aut agrum totum amittendum, nihil alienius esse, quam praesidiarias manus per oppida disponere, campum hostibus liberum patentemque relinquere. Nam, ut hostes non oppugna-

Cauta Brachii solicitudo.

gnarent, fame tamen esse pereundum. Huc accedebat bellicae rei gloria, invictumque ante id tempus nomen, si hosti cederet, magnam famae suae ac nominis esse iacturam, nihil paulo ante fundato imperio periculosius. Quod si belli discrimen vellet adire, facile unum a tribus circumveniri ac vinci posse, quae res multo cunctatiorem ad bellum faciebat. Repetebat, quam esset varia atque anceps fortuna belli, nec quidquam magis, quam ne superiorem felicitatem nova foedaret calamitas, metuebat. Hac tam ancipiti cura districtus, totam noctem insomnem egisse, etiam ipse confessus est. Ceterum, ut saepe ex longa cogitatione sana & matura consilia, porro ex consiliis pulcherrimi rerum exitus oriuntur, multis ultro citroque unam in rem collatis, placuit omni qua posset via, prius bello decernere, quam tot simul hostium copiae iungerentur. Hoc ut facere posset, quod ubique erat militum, equitum, peditumque, unum in locum coacto, omnibus dimissis impedimentis, in late patentes campos, quo hostis erat transiturus, composito atque instructo pergit agmine. Planities longe magis, quam late iacens a flumine Tyberi, qui a Septentrione defluit in Meridiem recto tractu ad Orientem, in Assisiatium pertinet fines. Non procul a flumine hinc collis, inde Sanctum Gilium, parva oppida, a latere prominent, quo fit in cetero tractu plane patentes campi, hoc in loco

Obviam deinde suos educit hosti.

co paululum devexi demittantur: qua vero a meridie in collem attolluntur, parvis, ſed tamen frequentibus, arbuſculis increvit ſylva. Idibus Iuliis BRACHIVS, huc omni traducto exercitu, non longe a Tyberi flumine, qua hoſtem non multo poſt tranſiturum exiſtimabat, conſedit. Aciem non in cornua, veterum conſuetudine, ſed novo atque inuſitato genere pugnandi, quo poſt illud tempus uſi ſunt omnes, in plura conſertaque diviſit agmina: unicuique agmini ſuus eſt ductor, quadrati agminis caput appellant. Primus enim praeliari turmatim inſtituit, ante quem non ſingulis primum & modicis cohortibus, ſed toto ſimul exercitu, res cornu atque ala gerebatur. Igitur, omnibus equitum turmis in ordine quam aptiſſime collocatis, pedites raros interiecit, hiſque imperavit, ut equitibus adeſſent, illos obſervarent, nuſquam oculos ab illis flecterent, excitarent cadentes, vulneratos ſuſciperent, haſtas pugnantibus adminiſtrarent, pocula circumferrent, &, cum commode potuiſſent, hoſtilium equorum ilia ſuffoderent. Rebus ſic peractis, mittit, qui e proximo oppido dolia, cados, & varii generis ingentia vaſa, perferrent, quae, accitis ſtatim mulieribus ad aquam e flumine deportandam, media poſt militum ordines collocavit: quae res vel ſola victoriam praebuit. Quod eo fecit conſilio, ne ardore ſolis bellique labore defeſſi milites ab ordine diſcedere, reſpicereque ad Tyberim

Novum inuſitatumque pugnandi genus.

rim cogerentur, ratus, id quod postea evenit, hostes propter anni tempestatem, solis aestum nequaquam diutius esse passuros, sed belli simul labore fatigatos, ad Tyberim octingentorum passuum intervallo decessuros. Haec ubi sunt peracta, paululum temporis permoratus, procul inde quatuor millium spatio, venientium hostium agmina conspexit, quorum paulatim appropinquantium arma solis splendore percussa fulgebant, & pulvis veluti fumus late exsurgens nebulae speciem ostendebat: adspiciebantur iam compositae parataeque praelio cohortes, quae vel spe praelii, vel ut civibus quam instructissimae bellicosissimaeque viderentur, magnifice se ornatissimeque distinxerant. BRACHIVS, ubi videt hostem pugnae intentum procedere, veritus, ne magna vi populus auxilio veniret, peditibus aliquot ad occupandum fluminis pontem dimissis, ceterum exercitum in acies plurimas distributum circumiens hortabatur. Aliquae erant exulum cohortes, quibus Malatestam Balionium, Pandulfi, quem a plebeiis trucidatum diximus, filium praefecerat. Ad eas ubi hortando pervenit, propior factus, in hunc modum locutus fertur: Poteram, inquit, viri, utinam dicere liceret Perusini, & calamitate vestra, & hostium iniuria, contentus esse, nec eos verbis hortari meis, quos dura sua excitare debeant facta. Tertius hic & vigesimus agitur annus, quo nos eiecti civitate, vage

Oratio Brachii ad exules.

vage miſereque acti, nec coelo, nec terra ſtabilem ſedem habere potuimus, nulla re, quam longa fuga, tutiores: tamdiu etiam parentes noſtri multi iacuere, quorum iniurias ut ipſi non ſentiant, nos recordari ſine maximo graviſſimoque animi dolore non poſſumus, niſi noſtra mala paternas iniurias ſuperavere. Nec facile quisquam aliena incommoda recordatur, quem premunt ſua. Equidem memoria teneo, plurimos ex vobis, cum exilii mala comploraremus, dicere ſolitos, ſaepe ſibi de morte eſſe cogitatum: nec quisquam eſt noſtrum, cui tam miſera & laborioſa vita non morte fuerit acerbior. Nam, ut omittam patrium coelum, ut affines cognatosque noſtros, qui non parum nobis poſſunt afferre deſiderii, quid per veſtram fidem miſerius dici poteſt, quam tot vix ſpiritu ſuſtentatos annos, non potum, non cibum ſumere, non dormire, non vigilare, ſine pernicioſiſſimae mortis ſuſpicione potuiſſe? quoties non inſidiis, quoties veneno tentati ſumus? ubi gentium paulo diutius commorati, ut non ſtatim miſſi ſint, qui capiti vitaeque noſtrae inſidiarentur, precium noſtri ſanguinis accepturi? ex oppidis in oppida, e regionibus in regiones fugere magis, quam immigrare, compellimur, adeo nullo malo noſtro contenti, perniciem, quam exilium, malunt: qui parentum quoque noſtrorum ſanguine ac caedibus ſunt cruentati, pudet dicere, quae pati miſeros oportuit, cum patriis

triis eiecti laribus, civitate ferro praecipitabamur, cum parentes nostros medio in foro crudelissime immanissimeque trucidatos, alios deformatos naribus, alios manibus pedibusque articulatim caesos ac mutilatos, relinquebamus: quanto maiore effugimus numero, quam nunc sumus? ubi sunt illi ipsi, quos fugae atque exilii duces habeamus? id a me si quaeritis, alii inopia & fame, veneno alii, nonnulli moerore atque aerumna, perierunt. Quorum exilium hoc fuit miserius, quod in patria vel ab inimicis, qui occidissent, sepeliri potuerunt. Nam, ut viventibus multi, sic morientibus invidit nemo. Sed quid ego aliorum mala commemoro? quasi vero desint nostra, nec pari nos iactemur tempestate, paulo post iisdem exilii fluctibus interituri. Beatum illum ac laetum iuventae florem insueti generi fortunaeque nostrae labores excusserunt, militares annos, & pugnacem ad hunc diem aetatem, quam adhuc celeri labentem passu retinemus, paulo post etiam, si socium & quietem nacti erimus, senectus absumet. Ubi iam exhausta viribus & sanguine effoeta reponemus corpora? ubi moriemur tandem miserrimi exules? aut quibus ossa nostra sepelienda demandabimus? Haec tam acerba & diuturna mala si, ut sunt, ita vobis gravia atque aspera videntur, non dubito, virtute vestra evitari hoc die posse uno momento, & parentum nostrorum umbris satisfecerimus, & saluti nostrae, quam

tot

tot variae procellae & tempeſtates agitaverunt, conſulemus. Sit ſatis hactenus fuiſſe miſeros; iugum illud tamen grave noſtri exilii ut patienter ad hoc uſque pertulimus, ita nunc fortiter excutiamus, ne nimis didiciſſe miſeros eſſe, & nati ad exilium, non eiecti, videamur. Quouſque inimicos noſtros tot ſcelerum impunes ac laetos eſſe, & parentes noſtros inultos iacere patiemur? Satius eſt iniurias ulciſcendo mori, quam vitam eas negligendo retinere. Nam, qui ſic moritur, tunc etiam ulciſcitur, cum moritur, quo quid poteſt eſſe in miſeria pulchrius? Contra vero, qui negligit tam diu acceptas, auget iniurias, donec earum teſtem vitam retinet. Nihil animo magno & fortia atque praeclara cupienti poteſt eſſe pulchrius, quam iniurias, ubi patientiae modum exceſſerunt, propulſare. Quem non natura ſolum ad vindictam armavit, ſed etiam excitavit ad gloriam? Aliud eſt quaerere gloriam, aliud ignominiam propulſare: illud honeſte ſaepe non curamus, hoc ſine ſummo dedecore & turpitudine non curare non poſſumus. Quod ſi gloriae cupiditate, & maiorum ultione non tangimur, quoniam gravia, quae ſunt, uſu fiunt atque aſſiduitate leviora, noſtra tamen neceſſitas impellat ad bellum: ſin tot mala perpeti aequo poſſumus animo, liberis noſtris, quos media in fuga peperimus, aut, ſi Dii volent, in patria pariemus, conſulendum

nobis eſt. Quod ſi hoc fortaſſe veremini, ne nimis ſeveri ultores futuri ſimus, miſſas parentum faciamus iniurias, ſaltem noſtra tecta, noſtros lares, praedia & ſepulchra noſtra, repetamus. Quamquam quae ſatis ſevera ultio iis, qui avos, qui parentes, qui germanos, nulla cauſa interfecerunt? qui iampridem inopia & fama pereuntibus domos atque agros eripuerunt? Veremur, ne nimis magnam iis iniuriam faciamus, quod, noſtris iniuriis non contenti, vi, fraude, ferro, veneno, usquequaque vitae capitique noſtro inſidiati ſunt. Quotusquisque eſt mortalium, ſi pugno ictus, ſi paulo conviciofius aures appellatæ, qui non ira ſtatim incenſus, gladium perſtringat? Sed multo maior iniuria noſtra eſt. Utinam patientiæ locus foret, &, quos habuimus offenſores, iisdem petentibus veniam dare poſſemus: ſed nec illi ſui ſceleris atrocitate petere audent, nec nos, ſi peterent, ignoſcere paternae pietatis iura paterentur. Maius eſt illorum ſcelus, quam quod ignoſci a nobis queat. Sed quid haec loquor? quaſi illa de venia impetranda, non de calamitate accumulanda, cogitarent? Agrum omnem vaſtavimus, Thraſimeni oram, etiam illam navigabilem, recepimus in poteſtatem, oppida cuncta, quae munierant, aut vi nos ſubegimus, aut illa ſua ſponte in deditionem devenerunt: montoſa & aſperrima ſitu caſtella ad nos defecere omnia. Urbem, ut nos quietem aut aliud age-

ageremus, agricolae obsiderent, non pedem efferre, non portas aperire audent. Videte, quaeso, indebilem pertinaciam, num de recipiendis nobis vel unum fecere verbum? Misere illi quidem Legatos; sed quid aliud Legati, quam verba dare? Belli dilationem quaesierunt. Quid facturos putatis, si hinc victi vage sparsimque diffugerimus? Quos intra moenia nostra coercitos mitigare nequivimus, eos nobis fugientibus pacem daturos existimamus? Credite mihi, aut hodie vincendum est nobis, aut victis misere in exilio moriendum. Nihil dico de gloria, nomen ipsum admonere nos potest: quamdiu exules fuimus, nihil tam ignominioso titulo splendoris esse potuisse: affinitates & coniugia, quae antea finitimis dare negabamus, nunc ignobilissimus quisque fastidit: adeo nostrae fortunae nostri adspectus omni genti sordere. Semperne igitur extorres exulabimus? Semper fame atque inopia excruciati in miseria & calamitate versabimur? Et quis erit laborum finis, si etiam fugientibus pro capite arma ferre opus sit? Hoc illud est tempus, in quo modico brevis horae discrimine perpetuum nobis paratum est otium. Si hodie nostris utemur dextris, reliquae vitae non nostrae solum, sed liberum nepotumque nostrorum, consulemus. Nec est ea ratio, exules, ut meliorem belli occasionem futuram sperare possimus: hodierna pugna totius belli finis erit: et oppida, quae cepimus,

& urbs ipſa victorem ſequetur: nulla iam nec nobis, nec hoſtibus, auxilia operienda: quod habent virium, id hodie in ultimum belli diſcrimen adduxerunt. Quod mearum fuit partium, dedi operam, ut quam aequiſſimo loco, antequam hoſtes ſe cum urbano delectu coniungant, cum dimidiis eorum copiis praeliaremur. Amnem videtis interclusum, ſi ſitim extinguere pergant hoſtes, ferro iter erit aperiendum. Nam, ut acri pugnent animo, id curavi, ut non cum ſolis nobis eſſet illis, ſed cum ardentiſſimo etiam aeſtu, dimicandum. Omnia nobis, Diis gratias, opportune proviſa ſunt: delectus locus, conſtitutæ in ordine acies, parata, quae fatigatis ſuccurrant. Pedites veſtro præſidio intermixti nihil niſi veſtros oculos intueri iuſſi ſunt: iam & mulieres, ne ſolem timere poſſitis, auxilio praeſto fuere. Si pares tantis apparatibus adhibeatis animos, nos certe vicimus exules. Quid etiam, ſi haec graviſſima forent, neceſſitas nos cogeret pugnare, ſi non ipſa voluntas impelleret? Patiemur nos, ignobiliſſimum quemque regnare domi? Patiemur, abiectiſſimam plebeculam nobiliſſimae imperitare civitati? Domos noſtras, ſanguine parentum noſtrorum cruentatas, ab iis ipſis teneri, qui occiderunt? Equidem ſaepe audivi, qui violenta & manu illata morte perierunt, eorum umbras circa domos ac tecta volitare, conari ſaepe vocem & piacula expoſcere. Quid? ſi parentum noſtrorum umbrae

brae ſuas domos circumerrent, quos adſpicient non interfectores ſuos? Quid audient? Non quotidianas execrationes? A quibus piacula & parentationes expoſtulant? Num ab iis, qui ſe nefariis manibus interfecerunt? Opem expectant veſtram, non qui ceciderunt ſolum, ſed quos ludibrio inimici in urbe retinuerunt affines & propinqui noſtri. Quibus quid poteſt eſſe miſerius, alienum atque inimicum vultum ſumere, ubi doleant, gaudere, ubi gaudeant, dolere coguntur, adeo libertatem animi, quae communis eſt omnibus, diſſimulare miſeros oportet. Nihil dico de Magiſtratibus, nihil de divitiis & libertate civili, nihil de contentionibus urbanis. Iam pridem memoria exciderunt honores & dignitates, quas continue apud inimicos intuentur: cogitate, quantum acerbitatis; nam nobis quoque idem eſt malum, niſi fortaſſe minus doleat, qui iniuriae ſuae autores non ſemper habet ante oculos, quam quibus praeſentes metuendi ſuſtinendique ſunt illi. Qui domos noſtras frequentare ſolebant, direpti, ſpoliati, nihil niſi dextras expectant veſtras. Qui comitari parentes noſtros, qui cum illis Rempublicam gerere, quorum magna pars ferro abſumta eſt, quas porrigere preces, quae vota facere, quam occulte tendere vobis timidas manus arbitramini? Suſpicite, quaeſo, illa, in quibus nati ſumus, moenia, quam cupide hodie vos expectent: quaeſo item, introſpicite, videte illa interiora tem-

pla, illic patrum matrumque vestrarum iacent ossa. Quid illa privata, nec tam eminentia, aedificia? Ibi nati, ibi, quibus per hostes adolescere non licuit, primis incunabulis educati sumus. Quam amice nos videntur acclamare, & implorare opem nostram? Quid dicam illos supremos colles, quid hos campos, quibus etiam pueri versabamur, & hunc ipsum Tyberim, tum hoc patrium coelum, quod in hanc lucem educti hausimus, quam pulchre ad bellum contra inimicos invitant? Ubi aut gloriosius vincere, aut honestius sepeliri, poterimus, unde fugere turpius? Porrigite mihi dextras vestras, mei cives, nam sic auguratur animus: per has ego vos appello, in quibus victoria nostra sita est, ut hodierna die pulchrum facturi facinus pro vestra patria, quam videtis ante oculos, pro vestris tectis, vestris incunabulis atque fortunis, pro parentum gloriosa vindicta, pro salute & dignitate nostra, denique pro hoc ipso nostro tam pulchro, tam nobis amico, coelo, ita fortissime dimicemus, ut aut fortiter vincendo, aut honeste moriendo, perpetuo in nostris parentumque nostrorum quiescamus sedibus. Haec dicenti una reddita est omnium vox, se aut vincere hoc praelio, aut mori, statuisse. Eas acies Brachius, quod in his plurimum confidebat, primo loco post Tartaliae aciem constituit. Singulis in ordine collocatis, ad militum agmina progressus, eos quoque hortandos ad bellum incen-

Horum responsio.

Oratio eiusdem ad milites.

cendendosque pro periculi magnitudine arbitratus, ita disseruit: Cum belli varia pericula cogito, milites, quae me duce superastis omnia, tanta mihi virtutis vestrae recordatio occurrit, ut nihil novi negotii putem expetendum: satis erit pristinae virtutis admonuisse: eius hodie si, ut spero, memineritis, victoria in manu est. Exhibete mihi, quaeso, illas victrices dextras, quibus me ad Picentes pauci a plurimis defendistis, quibus Cingulanum populum compulistis intra moenia, quibus Faventini, qui transitum per suos fines facere prohibebant, altius, quam vellem, cecidere, quibus Romae Regem pugna, Gallos virtute, omnes gloria, superastis. Non dubito, qui fortissimas gentes vicistis, ne ignavissimam non superetis. Nec vos armorum deterreat vanus fulgor, quae paulo post vestra futura sunt, illi clypei, illae hastae, quas procul venientes intuemini, hostium fugae, non vestrae victoriae, impedimento erunt. Gens imbellis & domesticis emollita deliciis, quam nimis imperiosus dux, ad numerum, non ad pugnam domo excivit. Multum praedae, nihil periculi, affert, ut nos negligentius pugnemus, aciem nostrorum oculorum diutius ferre non poterunt. An vero, quid nomen valeat, ignoratis? Tremere nunc hostem sub armis, non sua magis ignavia, quam fama vestra, cogit. Tot magnifice gesta praelia, tot illustres victoriae, tot expugnationes, quibus ante hanc diem in-

victi reputamini, non latent in angustiis, milites, sed cunctam Italiam, omniumque hominum animos, pervagantur, &, qui timide accedit ad praelium, de fuga cogitat, non de victoria sperat. Quid putatis facturos hostes, quorum alii bellorum insuetudine, alii fama vestra, omnes perterriti, omnes a liberis & coniugibus avulsi, ad domos suspirant. Nec magis vos, milites, primam in frontem progrediemini studio bellandi, quam illi ad terga suorum fugitabundi delitescent. Veterani si qui sunt hostium milites, quos ille per oppida disiectos uxoribus enervandos exhauriendosque dispersferat, desueta iam bello sunt & longo otio soluta corpora, nequidquam nostris cicatricibus, & duratis collo lacertis, congressura. Quae ut minus a nobis praelio vexentur, sitis atque aestus absumet. Equi eo robustiores sunt, quo magis exerciti, nec solem facile patitur, quem diuturna complexa est umbra: tum magnum pugnantibus incitamentum praeda est: opes nostrae quam angustae sint, ne ipsi quidem ignorant hostes, galeam, loricam, thoracem, ocreas, tela, equos, haec nobis eripere victores possunt, hæc sunt, quibus discrimen belli ne ipsi quidem, qui bello vivimus, putaremus adeundum, quid hostes, quam longa pace, quam recenti expeditione atque apparatu opulenti? Non nobis cum armis atque equis est bellum, quos spoliatis auferamus, pro captivis redimendi erunt,

erunt, quos ceperimus, non pro militibus dimittendi. Superiore Gallico bello una excursione octoginta millia numum praedae pretium accepimus, quod ex tot simul captivis sperare debebimus? Nam arma illa procul micantia magis sunt ornata, quam firma. Delecta ex oppidis iuventus phaleris atque armis tota nitet, ceterum animis ingens trepidatio & pavor officit. Quas opes, Dii immortales, quae vasa argentea, quantas pecunias Ariminenses longa pace congesserunt! Ii sunt, quos iam non longe adspicitis, veluti ad nuptias molli apparatu venientes; stringite modo gladium, nihil dubito profugituros. Nec enim Ariminenses Faventinis finitimis suis fortiores erunt. Idem tractus terrae, eadem ora est, nisi quod isti longiore otio torpuerunt. Quanta caedes Faventiae facta, quam nullo praelio tot millia hominum fusa fugataque sunt? Cum ad Pisaurienses penetravimus, quantum praedae in Ariminensi actum, quam nihil ausi sunt graves praeda impeditosque invadere? Quid nunc animi habituros putatis, alieno solo, pro alieno imperio bellaturos, cum iis ipsis, quibus suis in sedibus, pro suis fortunis congredi non sunt ausi? Non facile exsurgit, qui semel deiectus est, animus. Nam de multitudine quid attinet dicere? Fato quodam nostro fit, milites, ut nunquam pari numero congressi sumus, & vos iam pridem vincere multitudinem didicistis. Testis est Michi-

lectus, testes isti ipsi Ariminenses & Faventini, quos maioribus, quam nunc sunt, copiis Camerti agro Fabrianensique fugavimus. Testis hic ager Perusinus, ubi cum multi uno in exercitu duces convenissent, subito conspectu nostro ad Tyberim desugere. Testis, ut alios taceam, potentissimus Rex, Arretio fugatus, Romae devictus, sola pulsus vestra virtute, milites. Nam alii quid opis tulerint, non est necesse aliena facta commemorare. Diis gratias, eo animorum ventum est, ut multitudo contemtui sit vobis, paucitas verecundiae. Nam ii ipsi, quod nulla iniuria, nisi militari, lacessiti a nobis, contra nos aliena capessunt bella, saepe, quid vestrae dextrae valeant, experti sunt. Quo magis eorum ducis pertinaciam demiror, quem toties cognita pericula terrere non potuerunt? Voluimus transire ad Gallos, iter per Ariminensem impediebat, Pisauro cum praeda revertebamur, praesto nobis a tergo, a fronte, ac se, ac militem obiecit suum. Patriam recuperare contendimus, videte, quam importune sese ingerat nobis? Nimirum hic sanguinem sitit nostrum, qui etiam invitos suos trahit ad alienum bellum, & exilium meum pro regno habet: quo in bello lapides si possent, aliquid mihi ferrent auxilii, hic unus ex omni Italia est infestus. Quae tandem ista est immanitas? Si quis toga acceptos suum in praedium divertere nos vetaret, quandam facere videretur iniuriam? At hic, ne ad patriam,

am, ne ad propinquorum amicorumque amplexus accedam, nefariis obſtat armis, &, quo pacto me vobis eripiat, inimico venit animo, non hoſtili. Defendite me ab inimicis, milites, qui toties ab hoſtibus defendiſtis. Si unquam fortiter pro mea dimicaſtis gloria, nunc per invictas, me duce, dextras oro, pro mea vita, pro meo ſanguine, pro mea illa, quam ſuſpicitis, patria, multo fortiſſime dimicetis, ex opulentiſſimo hoſte ingentem praedam, ex me digna vobis reportaturi hodie praemia. Reponite me meis domibus, quem tam diu errantem ſecuti, nullo in periculo deſeruiſtis. Haec dicentem, magnus vibrantium clamor interpellavit, nec unquam magis exarſere militum animi, quos certatim fortiſſimo cuique data ducis manu haſta magis magisque accendit, voces magnifice undique exaudiebantur. His haſtis pulcherrimum facinus ante ducis oculos eſſe facturos, &, quo ſuum quisque ſtudium in Brachium declarare cupiebat, eo de ſe fortius polliceri: hunc diem teſtem virtutis amorisque daturum. Plerique bellandi ardore non expectandum hoſtem, ſed ultro adoriendum, cenſebant. At Brachius, quod locum delegerat quam aequiſſimum, unde aditu fluminis hoſtem intercludebat, unoquoque in ordine manere iuſſo, poſt Tartaliam atque exules, quos prima fronte conſtituerat, militum diſponit agmina, in crebros & confertiſſimos glomerata orbes: ſigna autem militaria, & belli vexillum,

Unanimis militum vox, una reſponſio.

lum, post sylvam in occulto haberi iussit, quod magis suspensum teneret hostem: hic inermem & pene inutilem adiecit multitudinem, quae, eminentibus supra sylvam hastis, integri & signarii agminis speciem praeferebant. Iam hostes, ubi ad mille passus appropinquare, paulisper subsistentes, suam & ipsi aciem tripartito agmine, & in cornua producto exercitu, paraverunt. Primi agminis ductor Angelus Pergulensis, in quo equites erant circiter mille, pedites octingenti. Alteri agmini pari equitatu, peditatu aliquanto minore, praeerat Ciccholinus. Ultimam aciem Dux ipse, mille & quingentos equites, pedites octingentos, collectum ex omni exercitu robur anteibat; nec deerant, quae militum animos incenderent, verba, nunc qui praecedebant, nunc ad sequentes conversus, magnifice hortabatur. Habemus, inquit, occasionem, milites, ulciscendi tot illatas nobis iniurias: cum illis bellum nobis est, qui Cesenatem depopulati agrum, non contenti praeda, mulieribus contra ius gentium iniecere manus, & arcem expugnatam igni ferroque vastaverunt. Camertes contra nos neque publico fœdere, neque privata inter se amicitia, sed capitali odio nostri, defenderunt. Tum ex Gallia usque tot dierum itineribus decursis ad nostros fines praedabundi venere, pecora atque agrestes abegere in praedam, villas non hostili impetu, sed inimica manu, incenderunt, qui, nisi ali-

Oratio Caroli Malatestae ad milites.

aliquid ultra bellum agitaſſent, non tantum exhauſiſſent laboris, nunc poenam tot ſcelerum daturi, niſi vana vos deterreant nomina. Nam illa temeritas improviſis nobis terrori eſſe potuit, nunc conſulto ad bellum imus, tunc numero impares, nunc duplo maiores, ut circumvenire hoſtem, nec victoriam modo, ſed certam fugam, ſperare poſſimus. Non eodem milite res agitur, nec vos inſignia illa decipiant. Nam, quos in Piceno vidimus, pars ſecuti Paulum ſunt, quem, ut noſtra omnis penes vos eſſet gloria belli, expectare nolui, pars Bononiae relicti praeſidio. Haec exulum omnis eſt manus, illis nec equi, nec arma abunde ſunt, quos inanis ſpes recuperandae civitatis exhauſtos iampridem, & vage deiectos, ad patrium contraxit bellum: equi in acie confecti, arma pleriſque raro antea capi ſolita, ſed facite, equos, arma, uſum belli, atque corporis atque animi vires, denique omnia egregie hoſtis habeat, quam facile eſt vincere intercluſos? Hinc populus imminet, hinc noſter altero tanto maior premit exercitus, nec homo plus quam hominem valet: ſuae cuique manus, ſui pedes ſunt, nec quiſquam magis acer oppugnator ſalutis alienae, quam cautus defenſor ſuae: ſed, qui terga vertit, hoſti feriendum ſe impune offert. Nec ulla tam foeda vulnera, quam quae tergo excipiuntur: contra nulla honeſtior, quam adverſo in pectore fronteque, cicatrix. Quid? quod

quod hostem iam nunc timere videmus, sibi ipsi diffidentem, qui, ut falso nos terrerent metu, perexiguum exercitum frequentia divisere in agmina, quasi numero illa, non robore, constarent: si vicerimus, milites, quod scio futurum, omnis hic tam late patens ager nostro cedet imperio. Urbs illa, cuius tam superba videtis moenia, nostri futura est: tum hostes vincere, etiamsi parum foret praedae, pulcherrimum est. Sic lupos saepe laqueo petimus, non tam praedae gratia, sed ne quid ovilia nostra corripiant. Omnia tuta erunt nobis hoste profligato, & ultra imperii fines, quos una victoria longe lateque propagabimus. Nihil regni nostri exactionibus opus erit, huius urbis vectigalia satis nobis stipendii dabunt: nec solum tuebuntur illa sese nostris auspiciis, sed magna imperii accessio, quae vobis quoque cupienda est. Novarum rerum magnarumque expeditionum initium erit, nec solum dico de praeda, quae omnis futura vestra est, sed de gloria multo magis, quae communis mihi vobiscum erit. Ite modo alacres ad bellum, & haesitantem iam pridem hostem, ubi cinctum habetis, stricto mucrone adoriamini, ulturi hodie tot indigne acceptas iniurias. Exiguum iam intervallum utramque aciem dirimebat. Brachius Tartaliam, cui primum aciem ducendam dederat, cum aliquot suis turmis contra hostem ferri, reliquas subsidio paratas esse, iubet:

Proelium inter hunc & Brachium commissum.

et : nec longo intervallo Malateſtam, ſecun-
i agminis ductorem, preſſa galea, intentis-
ue haſtis, pugnae eventum expectare, &,
bi ſignum daretur, paratum eſſe ad impe-
endum hoſtem : parique ſpatio Cherubi-
um inſtructa parataque acie conſtituit. Ipſe
extremo loco, ſubſidiaria collocata manu,
peditum aliis equiti intermixtis, qui hoſtium
ſuffoderent equos, aliis ad occupandos dex-
tra laevaque tranſitus dimiſſis obliquo cur-
ſu, triginta ſtipatus haſtatis, ſuorum agmi-
na praetergreſſus eſt. Nec hoſti defuit ani-
mus. Prodire iuſſi confeſtim aliquot equi-
tes, qui manus cum illo confererent. Hoc
modo leviter duobus in locis pugnare coe-
ptum. Angelus Pergulenſis, parte ſuorum
contra BRACHIVM miſſa, ſubſidio ſuis
modico ſpatio veniebat: BRACHIVS, ma-
gna vi pugnans, repellitur. Huic Malateſta,
quem paratum praelio dixi, cum parte equi-
tatus ſuccedit tanto impetu, ut diſſipati ho-
ſtes, in reliquum refugere exercitum coge-
rentur : captique ſunt equites ſeptuaginta.
Quibus ſtatim ſpoliatis, equos atque arma
peditibus diſtribuit, iuſſoſque armari in no-
vum producit agmen, &, quid unumquem-
que facere velit, oſtendit : ipſe pugna egreſ-
ſus, quid hoſtis, quo tenderet, obſervabat,
ſimulque ut, cum auxilio opus eſſet, pro-
viſa forent, nihil ordines interruptura ſub-
ſidia. Tartalia fortiſſime pugnante, vel po-
tius inſequente, Angelus cum parte equita-
tus,

tus, quem subsidio venire dicebam, fugientes suo excepit agmine. Sed nec ipse firmato gradu procedere ad pugnam est ausus, vel metu tanti impetus, vel, quod verisimilius putant, lassationem ordinum operiens. At BRACHIVS, ubi videt, hostem vel detrectare pugnam, vel differre, cum quadraginta equitibus hostium agmen aggressus, magno conatu pellicere ad praelium non potuit. Quocirca utendum occasione ratus, Tartaliam revocavit, milites atque equos ad dolia subducens reficiendos curavit. Diu deinde in mora stetit utraque acies. Quae res BRACHIO perniciosa videbatur, si aut colligendi sui spatium dedisset hosti, aut cum populo coniungendi, tamen utrinque invadendi commoditas expectabatur: uterque dux ad tempus atque locum intentos tenebat oculos. Carolus morae & caloris impatiens, promoveri vexilla, & confertissimum suorum agmen in longissimum extensum cornu subsequi, iubet. Iam ducentos passus processerant signa, cum BRACHIVS, veritus, ne multitudine hostis circumveniendi sui consilium coepisset, simul ne cum populo iungeret, quem magna turba adventare missi speculatores referebant, variis in locis petendum uno tempore hostem constituit, ne tota mole belli aut elaberentur hostes, aut premerent, ratus, id quod res admonebat, quod frequentia haberet agmina, facile hostes a fronte, a laeva dextra-

dextraque posse tentari. Qui si paululum ordine recederent, quod non pari arte distincta essent agmina, facile profligari posse. Nec consilium fefellit: quippe, ubi tot simul locis factus est impetus, necesse fuit, hostem, uno cornu protensum, ad omnem simul partem resistere, & alios alio converti, nullo nutu, nullo duce. Contra BRACHIANAE turmae, singulae quaeque suum ducem sequi, suum ordinem servare, edoctae, facillime omnem in partem convertebantur. Igitur BRACHIVS, signis hostium promotis, Tartaliae cum eodem equitatu praecepit, ut obliquo itinere Pergulensem infestis peteret telis. Deinde, qua parte vexilla erant promota, centum lectissimos dimittit equites, iisque ostendit, a latere vexilla aggredienda esse, & aut, quantis possent, viribus consternenda humi, aut, quo minus ultra deferri possent, esse retardanda. Tum a tergo quinquaginta equites idem agmen adorti, sed hi tantam hostium multitudinem defatigare magis, quam vincere, poterant. Ciccholinus, qui signariis praeerat, pungentem magis, quam prementem, militem facile a signis repellebat: tamen tanta paucorum erat & tam ad velocitatem ordinata celeritas, ut hinc alii repugnarent, inde alii, qua minime hostis rebatur, incurrerent. Itaque Ciccholinus, paucis tuendi vexilli negotio dato, ceteros, qua hostis premebat, capessere bellum iubet, sed nullo conversi ordine, cum nunc hinc pu-

narent, nunc illo occurrerent, ſibi ipſis erant impedimento. BRACHIANI milites paulatim, ut erant admoniti, pugnando caedendoque procul a ſignis hoſtem retrahere conabantur. Pari arte Tartalia Angelum adortus, non multum procul inde dimicabat. BRACHIVS, feſſis ad dolia reductis, integros ſubmittebat. Sic compoti ac refecti ſtatim & milites & equi, ad praelium maioribus redibant viribus. Victoriam haec una res peperit. Quippe multitudinem, etiam ſine certo ordine, varioque bello intentam, pauci diſſipare non poterant, & undique in frontem, adverſis hoſtium telis, iam uno totius agminis orbe reſiſtebatur. Nonnunquam, facto impetu, exiguæ turmæ quaſi dimota hoſtium mole excutiebantur, & gradum ultra, quam opus eſſet, referre cogebantur. Sed, ſole iam ad medium diem ardentiſſimo calore exaeſtuante, hoſtes, paulo ante facto itinere defeſſi, nec pulverem, nec ſitim, pati poterant. Tum radii, medium obtinentes coelum, ipſam quoque ſuccenderant terram. Inde denſiſſimi exorti vapores, caligine atque aeſtu cuncta compleverant: hoſtium crebri inter arma & laborioſi halitus ſentiebantur, nec reſpirare, nec galeam ſine periculo laſſare poterant, ora, oculi, ſupercilia, ferventi conſperſa pulvere, tum membra, largo atque urenti ſudore perfuſa, liquebant. Nec minor equorum laſſitudo, quorum non modo laſſæ cadentes linguæ exſertaque

Ex quo Brachius victor recedit.

taque ora videbantur, ſed diffluente irrigati ſpuma, ne ſtimulis quidem perciti, ipſo in praelio medio conatu deficiebant. Contra BRACHIANIS equis ac militibus comparata, quae ſitim ardoremque levarent, aqua, vinum, acetum, vires mirifice confirmabant, quibus ad dolia properantibus parati, qui pocula ſuggererent, pedites. Nec opus erat equo deſcendere: ſimul equi dolio, ſimul milites peditum manu compoti, pugnam ardentius inſtaurabant. Ergo hoſtes, ſiti, pulvere, ſole, labore, tot ſimul malis, circumventi, languidius plerique pugnare, alii ad Tyberim recurvo tractu deflectere coeperunt. BRACHIVS ubi videt exinanitam ſignorum aciem, & milites, laſſatis ordinibus, palantes ad Tyberis ripam deferri, converſus ad Malateſtam, quem exulibus praeeſſe dicebamus, victoria, inquit, noſtra eſt, fac, quantum maximum potes, impetum in ſignariam aciem, conſterne ad terram & perturba inimica ſigna: ite nunc, exules, virtute veſtra finite bellum. Qui, dicto audientes, ſubito velut turbine feſſam iam & deficientem aciem petivere tanto curſu, ut, denſiſſimo, qua procederent, excitato pulvere, nihil oculis cerni poſſet. Hoſtes iampridem defecti viribus, nec perſtringere gladios, nec habenis moderari poterant, ictus tamen iam ſine ſenſu crebros excipiebant, &, quos antea ſua multitudo a fuga detinuerat, nunc maiore recentium hoſtium invaſi nu-

O 2 mero,

mero, impetum ſuſtinere nequiverunt. Vexilla ſtrata humi, lacerataque: fuſis ac fugatis BRACHIVS expeditiore manu a fronte occurrit: Cherubino, ad Tartaliae agmen confirmandum augendumque dimiſſo, præcepit, ut, Angelo profligato, Caroli paulo recentiorem alam diffunderet: ipſe fugientes capi, ligari, trahi pecorum more, iubet. Inter haec Angelus, cum aegre uni Tartaliae reſtitiſſet, Cherubini adventu, terga quam effuſiſſime convertit in fugam. Omni exercitu contra Carolum immiſſo, BRACHIVS primus ſtationes irrupit. Ferunt, Carolum diu pugnae eventum ſecurum expectaſſe: cui cum eſſet ſaepe nuntiatum, carpi paulatim exercitum, atque omnia exhauſta viribus agmina, male rem gerere, nihil credidiſſe, ſed, veluti media in pace, nobilium more commeſſantem, vix dato equitandi ſpatio, circumventum eſſe. Fuſus fugatusque miles a peditibus, quos tranſitus dixeram occupaſſe, capiebatur. Omnium longe miſerrimum erat, duos treſve captivos a ſingulo quoque victore ligatos, veluti greges, agi. Maxime omnium Nicolai Picinini, tunc gregarii militis, memoria mea ſummi ducis, virtus eo praelio laudata eſt. Capta fuere equitum circiter tria millia, pedites equitesque ducenti deſiderati, equorum ingens facta ſtrages. Ciccholinus quoque, fortiſſime pro patria & ſalute dimicans, capitur: duoque Caroli

roli nepotes, multique ductores agminum capti, atque in vincula coniecti sunt. Septingenti custodiae traditi feruntur, ceteri militari more dimissi. Angelus Pergulensis ex tanto exercitu, cum quadringentis equitibus, testis tantae calamitatis, evasit. Carolus, ad BRACHIVM perductus, non minus victorem clementem, quam hostem ferocem, est expertus: primum equo descendere atque arma deponere iussum, ipse, detecto capite, quod est honoris & observantiae signum, humanissimis coepit consolari verbis, monere, ut eos fortunae ludos aequo ferret animo. Hac demum varietate constare bella, ut nunc victores, nunc victi sint, qui manus conserunt, nec quidquam magis esse mutabile, ideoque ancipitem vocari fortunam belli. Non tam illi dolendum esse, quod victus esset, quam laetandum, quod ab amicissimo hoste victus, cogitaret tot acerbos casus violentae mortis: quid? si fata semel a se uno vinci statuissent, ceterum cum aliis victorem fore? non illum turpi fuga interceptum, sed gloriosissima belli acie superatum esse, hic animi magnitudinem praestari oportere. Res secundas facile pati omnes, adversas sustinere, magni animi opus esse. Virtutem nulla re magis declarari, quam adversa fortuna. Multa in hunc modum cum essent dicta, ferunt, ad levandum animi moerorem saepe Dominum appellasse: illum

Carolus Malatesta ipse captus, in summo a Brachio habetur honore.

 in

in calamitate non oblitum fortunae ſuae, irato ſimilem dixiſſe: immo vero tu, qui viciſti, Dominus. Omni profligato exercitu, BRACHIVS parvum equum afferri, atque eum adſcendere Carolum iubet, captivos omnes, qui erant redimendi, primum Torſianum, mox Fractulam deducendos, ac militibus diligentiſſime obſervandos dedit: Carolum non modo in vincula non coniiciendum, ſed in ſummo habendum honore, &, ne quid nobilitate ſua indignum pati poſſet, praeguſtationes omnium rerum faciendas, cuſtodibus iuſſit.



IOAN-

IOANNIS ANTONII CAMPANI, EPISCOPI APRVTINI, DE VITA ET GESTIS ANDREAE BRACHII, PERVSINI, ITALICAE MILITIAE IMPERATORIS OLIM STRENVISSIMI,

LIBER QVARTVS.

Hac calamitate accepta, Perusinos tam subitus pavor, trepidatioque tanta, invasit, ut primum varii luctus in civitate audirentur, mox, compressis vocibus, luctu obscurius silentium tota urbe secutum, nemo forum adire, nec alter alterum intueri auderet. Defuncti iam externis malis, domi pessima quaeque metuebant. Affore iamiam inimicum victorem, existimare, & ut quisque sibi maxime conscius erat, ita in se crudelissime saeviturum. Occurrebant tot nefariae illatae caedes, omnes una hora vindicandae, &, quicquid non modo facere hostis posset, sed etiam cogitare, crudelitatis facturum putabant. Hunc publicum moerorem privatae potentium lamentationes excipiebant, ultimum venisse sibi familiaeque suae diem, satiatum iam iri tam longam inimicorum rabiem, suo sanguine foedandas, quas tamdiu tenuere, alienas domos, nunc demum caesis parentibus, & propinquis,

Luctus Perusinorum

quis, quo tardius, eo acrius, hostem parentaturum: &, ut vitae parceret, ut nuda per inimicas manus elaberentur corpora, in exilio tamen miseris, domi assuetis, esse moriendum. Iam experturos, quam misera fuisset inimicorum vita, dum exulassent. In tanta virorum acerbitate mulierum obscurior erat facies: aliae squalidae ac miserabiles in templa confugiebant, aliae domi tacitae moestaeque sese obseraverant: quarum magis ea res interesset, earum claustris resonantes audiebantur ululatus, se suosque vivos atque mortuos complorantium. In tanto publico luctu pauci fuere, qui maximis malis aliquid, si non remedii, saltem consilii, quaererent. Universo populo vocato in concionem, Decemviri, commemoratis tot simul acceptis incommodis, defectione totius agri, calamitate tanti exercitus, &, quod longe omnium molestissimum ferebant, capto Ciccholino, nulla iam ne spe quidem auxilii proposita, hostis victoris tam late auctis viribus, tandem de tradenda urbe agendum censuere, nec ullam conditionem recusandam, rati, se tutiores hac via futuros ab exulum furore. Placuit primum caduceatorem ad BRACHIUM in castra mittere, qui Legatis eundi potestatem impetraret. Sed ille, in meritoriam divertens tabernam, &, ut est genus hominum, nimio potu confectus, intra vepres sese vino somnoque gravem deiecerat. Quo non redeunte, magis dubitari

Eorum consilium.

Mittitur ad Brachium caduceator.

Qui vero nimio potu confectus domum revertendo non cogitat.

tari coeptum eſt. Verebantur enim, nihil hoſtem, niſi civium cladem, petere, eamque ob rem caduceatorem aut vinciri, aut necari, iuſſum exiſtimabant. Quae res magis ac magis perterruit animos. Sed iidem illi, quorum virtus in periculis non defecerat, Cinellum, quem BRACHII conſobrinum diximus, ad eum in caſtra mittendum decreverunt: ſolum eſſe, ducentes, in quem ne hoſtis ſaeviret, humanitate fortior neceſſitudo defenderet. Huic edicitur, ut omni nitatur ope, precibus efficere, quo Legati tuto accedere ad BRACHIVM poſſint, & dedendae urbis conſilium aperiat. Hortetur, quam maximo poſſit ſtudio, ne ultro delatum reiiciat imperium. Ille, ut erat imperatum, profectus in caſtra, perbenigneque acceptus, mandata exponit: miſſum ſe non quidem pro Legato, ſed ut Legatis tute veniendi poteſtatem exoraret. BRACHIVS, ut decebat, admiratus, caduceatorem perquirendum iubet. Qui, ſemiſepultus vino compertus, nec ad ſe excuſandum, nec ad reſponſum referendum, exſolvere linguam poterat. Hic, inquit, ad me venit, & tabellas ſubſignavi, & ſalvum ac tutum adventum Legatis renunciari iuſſi. Cognito errore, Cinellus caduceatorem ſtatim remittit. Ipſe, paululum, ut fit, ſecedens, cras, inquit, Legati ad te venient primores civitatis, & publico conſenſu omnium imperium deferent. Qua re audita, BRACHIVS, ſuſpenſus ali-

Hinc mittitur Cinellus.

 quam-

quamdiu, & attonito ſimilis, haeſiſſe fertur. Excitatus deinde a Cinello, &, quidnam tanta in re cogitaret, interrogatus, ego, inquit, hoc cogito, aetatem meam omnem ad hunc diem ſine labe eſſe tranſactam, in maximis calamitatibus, nulla me ſuſpicione criminis notatum, nulla adſperſum perfidiae macula, nunc ſecundis rebus ad patriae occupationem invitor, &, quem adverſa olim non potuit, ſecunda nunc fortuna faciet me nocentem? Huc adde, tot exules, quorum par conditio exilii fuit, dominum ad ſervitutem ſecuti videbuntur, non periculi ſocium ad libertatem. Quid aliud patria pulſos tot cives putas, niſi quia privatam tyrannidem noluerunt ferre? Quo animo manifeſtam ſervitutem laturos exiſtimas, qui occultam paucorum potentiam pati nequiverunt? Etſi magis mea me gloria, quam illorum impatientia, movere debet, nulla turpior cupiditas & ſceleratior, quam patriae, cui tu parere debeas, imperium quaerere. Et certe, quantum ad libertatem ſpectat, pares ſunt, quos eadem moenia cingunt, quorum eadem ſunt tecta atque ſepulchra. An ego parentum umbris tam me ſuperbe inculcabo, ut, quem ſupplicem erant inſpecturae, patriae violatorem intueantur? Qui, ne tyrannidem paterentur, liberi occidere, quam vivere oppreſſi, maluerunt. Qua mente, prolem ſuam mortuis ſibi, ne in libera quieſcant patria, ſervitutem afferre, patientur? An hoc

Ad quem Brachius diſſerit.

hoc quoque non cogitem, violenta regna diuturna esse non posse? Et in patria occupanda non modo iniustam vim, sed nefariam impietatem esse, subeundam. Ad haec Cinellus, quae dixisti, inquit, omnia vera esse, ne inficias quidem eo, ceterum tum maxime peccatur, cum superstitiosus peccandi timor officio obstat. Cogita, quanta civium strages futura sit, inhibente nemine? Neque enim facile sedatur ira, quam ulciscendi stimuli accenderunt: & tu exules reducere cupis, & cives recipere coguntur. Difficile dictu est, uno momento statim placatos esse, quos hinc metus suspectos, inde iniuria iratos, facit. Saepe etiam fratres regnandi cupiditas armavit, & regni est concertatio, ubi de statu & civitate contenditur. Quo si odium capitale, si caedes parentum, fortunarum ereptiones, tot denique variae iniuriae, accedant, qui modus ferro esse potest? Nec semel tot mala perpetienda sunt: ubi commodior erit occasio, continuae caedes fient; tantis simul periculis uno remedio obsisti potest: neque enim hoc invadere patriam est, sed conservare. Necesse est publicam autoritatem adhibere, cum privata resisti hominum furori non possit. Nam, quod ad exules pertinet, satis illi debere tibi fatebuntur, si se in patriam reduxeris: franget hoc beneficium quamvis elati animi pertinaciam: nec turpe putabunt, ei deferri imperium civitatis, qui, ut ipsi cives essent, efece-

Cui vero Cinellus respondet.

fecerit. Multos iam erraverunt annos, &, nisi quam tu ostendisti, nunquam ne spem quidem redeundi cognoverunt, non modo libertatis, sed etiam iniuriarum, obliti. Satis iam, satis sua mala tam longa docuerunt, satius esse domi mediocri esse fortuna, quam foris nulla. Civitas nostra pati iam iugum imperii didicit, maiores tui Pontificibus paruere, & paulo ante Regem secuti, qui domi regnabant, servire potuerunt. Quanto pulchrius erit, illum conservare civitatem, qui in civitate natus est. Tum pudendum esset, si cadentem & sese cruentantem patriam, quam posses defendere, tueri nolles. Tum etiam pudendum, si ita civibus imperares tuis, ut armares ad cladem. Sin scelera arceas, stragem innocentium fieri vetes, & tuam & alienam frenes iracundiam, si & cives conserves, & exules restituas, haec demum erit summa & praeclara gloria: mancam iam dudum civitatem, & membris dissectam, unum in corpus redigendo, hoc maiorum umbrae, si quid tot nostra mala sentire potuerunt, laetabuntur, suam sobolem, quo minus civili sanguine in sepulchris perfunderentur, inhibuisse, &, pro qua ipsi periere, pacem urbi atque otium peperisse. Quae maior impietas, quam parvam notam, si nota dicenda est, pro patriae salute recusare? Pro qua multi subire mortem, & hostium proditores iure esse potuerunt. Vide, ne dum manus imploranti opem tuae patriae

triae porrigere nolis, ruentem neglexisse videaris. Vim, iniuriam, cladem, incendia, etiam qui nondum intraverunt, urbi minantur: quos nondum oculis viderunt, animorum furore interemere, quid facturos putas, ubi oculorum ardores inflatas tot iniuriis mentes exsuscitaverint. Haec tibi macula, quam diluere non possis, vitanda est. Aut civitatis imperium capiendum est tibi, aut ultimum urbis excidium expectandum. Uno beneficio exules dignitate sua recepta, & cives retenta suis in sedibus conservari poterunt. Vera haec BRACHIO videbantur. Itaque, civitatis periculo cognito, communicaturum cum exulibus eam rem dixit, nec sine eorum consensu imperium accepturum. Postero die Legati Perusinorum in castra venere, novem fuere civitatis principes, plerique BRACHIO affinitate coniuncti. Hi petebant, ut Ciccholinum, quem in praelio captum ostendimus, liberum sine pretio dimitteret, atque ea conditione civitatem in fidem potestatemque reciperet, orantes, ne excidium tantae urbis ab exulum furore pateretur. Non omnino adversari Perusinae rei, qui civem clementissimum victorem esse voluisset, proinde, quos praelio vicisset, conservandos, & in civitate retinendos esse. Pugnantes viribus domari, victos clementia conservari oportere. Ad haec BRACHIVS paucis respondit: Nunquam eo se animo gessisse bellum, ut patriae iura nefario domina-

Sequuntur Legati.

Quibus Brachius paucis mentem suam exponit.

minatu occuparet, nunc, quando ita civibus placitum esset, invitum tamen ad imperium respicere, libenterque, si sibi permitteretur, id vel honoris, vel oneris, repudiare. Proinde etiam atque etiam cogitarent, si quo pacto publicam tueri dignitatem sine autoritate sua possent, libentius se pariturum esse regnantibus in patria, quam regnaturum. De Ciccholino vero non sibi integrum esse, quid deliberaret, illum sub Tartalia esse captivum, se vero nihil victoribus derogaturum. Ius esse belli, ut, qui praelio essent capti, in eorum essent potestate, qui cepissent: nec se impediturum, quo minus captivi redimerentur. Legati, re non impetrata, in sequentem diem redituri abierunt. BRACHIVS, exulibus in concionem vocatis, rem omnem, ut sese haberet, manifestavit: cives ultro obtulisse summam imperiumque civitatis, se ad deliberandum tempus postulasse, nec sibi esse cordi tantum oneris subire, nisi quid ipsi censuissent. Non modo assensere exules, sed ultro rogare illum coeperunt, ut, quorum dux in exilio fuisset, quosque ab exilio revocasset, eos in civitate regere conservareque vellet. Omnes illi etiam privato fuisse perituros, non immemores tanti accepti beneficii, adderet privatae benevolentiae publicam autoritatem: nam a quo melius regi, gubernarique posse, quam qui ne in exilio quidem putasset deserendos? Qui, quanquam meliore fuisset fortuna, nunquam

Brachii cum exulibus deliberatio.

tamen

tamen pro communi illorum salute quievisset. Ferunt, Ursum quendam, mediocris inter exules autoritatis, egressum concione, dixisse: Nunquam se, ut civis civibus imperaret, permissurum. Multos illi vetustate generis & maiorum opibus aut pares, aut non multo inferiores, esse. Qua voce ad BRACHIVM per milites delata, quanta nunquam antea, ira percitum, discedere pace infecta voluisse, civitatemque in pristino statu plebeiorum relinquere, vix deinde ceterorum exulum precibus esse lenitum. Illorum alios contendisse lachrymis, alios se ad pedes eius provolvisse, unam omnium fuisse vocem: mallet saluti multorum consulere, quam unius temeritate tanto eos fraudare beneficio, totque susceptos belli labores periculaque frustrari. Illum ipsum, qui adversaturum se erat minatus, non modo non summe apud eos, sed vix etiam mediocris esse fortunae, certe dementem & temerarium, qui, quod ipse neque dare posset, neque eripere, id se concessurum esse, iactasset: proinde respiceret ceteros, quos non minus gratos in imperio experturus esset, quam fideles in bello atque in exilio fuisset expertus: scire, neminem mansuetius imperaturum, quam qui suis se civibus imperare meminisset. Eius esse arbitrii, quid de exulibus statuere vellet. Reduceret, nec ne, omnes tamen, quoad victuri essent, in eius unius futuros potestate. Tam placida oratione

Ursi renitentia.

tione sedata ira, BRACHIVS, cum paucis optimatium tabernaculum ingressus, iterum tentandos illorum animos decrevit. Commemorare coepit, quoties hoc movisset bellum, quamdiu suis stipendiis exercitum aluisset, omnia ceterorum exulum magis, quam sua, causa fecisse. Sibi fortunam rei militaris nunquam fuisse defuturam, nec tamen eam ob rem tot a se haustos labores, ut civitatem opprimeret, nihil magis, quam patriae communem libertatem, vendicare voluisse: nunc ab inimicis ultro ad se imperii summam esse delatam, scire: quanta esset futura optimatium autoritas in patria, si reduxisset, nihil se inimicis confidere, quos non voluntas ad deferendum imperium, sed necessitas, compulisset. Optimates futuros sibi vel custodes civitatis, vel ereptores: illis se fidem, iura magistratus, illis corporis sui custodiam commissurum: nec ignorare, in sua esse potestate, reducere exules velit, an in exilio dimittere, sed tam diu plebeios in fide mansuros, donec aliquam nacti occasionem, excutere iugum possent. Igitur malle se liberos in civitate reponere exules, quorum postea uti opera posset, quam invitis imperare. Utrum esset futurum, in optimatium arbitrio esse: si se dominum velint appellare, intraturus suam domum: sin moleste id ferant, nihilo secius civitatem recuperaturos. Quod ad se pertineret, gratius futurum, si ametur a liberis civibus, quam ser-

ſervientibus metuatur. Tum ſe civitatem ſine nobilitatis conſenſu ne multos quidem dies retenturum, illis cuſtodibus perpetuo habiturum. Ad haec Optimates reſpondere: Non adeo dementes, adeoque ingratos eſſe, ut non intelligerent, niſi eius opera eſſent reducti, omnes in exilio fuiſſe perituros: vitam, ſanguinem, fortunas, omnia, ab eius pendere beneficio, nec multum intereſſe, privata, an publica, autoritate imperaret, quibus pro tanto beneficio omnino eſſet imperaturus, niſi quod civitas futura ſit eius auſpiciis moderationeque tranquillior. Nimis durum videri, quem inimici, domi regnantes, Dominum appellent, eum amicos, una exulantes, eiusque opera liberatos, civitatis rectorem faſtidire: nihil hoc aliud eſſe, quam inimicos ipſos odio & pertinacia praeſtare, & illos amicos eſſe velle, ſe inimicos fieri. Capeſſeret ergo ultro oblatum imperium, ſe quidem non modo non impedituros eſſe, ſed ſuis etiam, ſi ipſe nolit, manibus atque humeris invitum ad curiam & palatium collaturos. Hic dies prope totus eiusmodi altercationibus conſumtus eſt. Poſtridie illi iidem Legati reverſi in caſtra, pleniora mandata retulerunt, nulla de captivis conditione interpoſita. Dedi urbem, foederaque & pactiones in ſequentem diem dici placuit. Collis eſt urbi ad occidentem adverſus, Montem Morcinum vocant, in cuius cacumine templum prominet celeberrimum:

 hunc

hunc locum dicunt, ubi postero die de summa rerum paciscantur. BRACHIVS clara iam die cum parte copiarum ad eum locum contendit, occupatque monticulum. Legati, ut erat constitutum, eodem paulo post convenere. Composito statim bello, sublatisque offensionibus, foedera in hunc modum feriere. Populus Perusinus urbem, agrum, vias, templa, fontes, se ipsum, BRACHIO dedit. Illi cives parento, Dominum bona fide appellanto. Ad eum de rebus urbanis publice referunto. Concilia coetusve, nisi quos ille iusserit, ne faciunto. Qui non paruerit, rebellis esto. Rebellem quivis impune occidito. Exules, quique rediere, quique redituri sunt, sua tecta fortunasque adeunto. Nullus impedito. Ceterum pax cum cive esto. Qui seditionem excitassit, mala cruce suspenditor, aut securi percutitor. BRACHIVS publica vectigalia, nisi quae publicis impendiis superfuerint, in rem suam ne vertito. Urbanos Magistratus, praeter Quaestorem Praetoremque, populus legito, creatoque: et, quem volet, cui volet, cooptato. Suffragia libera sunto. Provocatio ad BRACHIVM etiam rerum capitalium esto. Si quis provocationi obstiterit, fraudi esto. Novas exactiones, invito populo, ne cogito. Delectus in urbe, nisi populus iusserit, ne habeto. Decemviros ne contemnito. Maiorum decreta servato. Civitatis instituta, nisi quae popu-

Conditiones dedendae urbis.

populus abrogaſſit, ipſe ne violato. Conditionibus datis acceptisque, BRACHIVS in caſtra, Legati in urbem revertuntur. Octavo poſt pugnam commiſſam die, BRACHIVS, ingreſſurus urbem, polire milites arma, & in agmina quam ornatiſſime componi exercitum, iubet. Magno ſtudio de ornatu exules contendebant, rati, quo inſtructiores ornatioresque urbem introiſſent, eo plus autoritatis in civitate occupaturos eſſe. Militibus quoque par contentio, ne vel ornatu, vel ſtudio in ducem, ſuperati viderentur, exulum aemulatione adducti, arma per totam noctem polire, equorum iubas comere, ſe ipſos novo cultu exornare. Ubi primum illuxit dies, frequentes ad ducis tabernaculum convenere. Hic nova exorta contentio, duas circiter horas altercando conſumſit. Veterani exercitus milites proximum duci quaerebant locum: contra exules, magnum id futurum dedecus rati, propiores lateri haerere cupiebant. Illi ſaepe novis ruptas vulneribus cicatrices oſtendere, non frontem, non vultum, non aures integras dicere. Plerique pectora toties obiecta hoſtibus ferroque traiecta denudare, nec quidquam tam glorioſum, quam vulneribus vincere, putabant. Exules alii nobilitatem, patriae expectationem alii, nonnulli, qui bello interfuerant, & ipſi quoque ſua vulnera praetendebant. Certamen virtutis & ſuperbiae videbatur exortum, alteris

Ornatiſſimus Brachii urbem ingredientis comitatus.

ſua gloria, alteris maiorum ſplendore nitentibus. BRACHIUS, diu contentione agitata, placatis tandem militum animis, exules eo die cenſuit honorandos, qui, veluti novae ſponſae, cum pompa atque apparatu domi expectarentur. Igitur, cedentibus magis, quam conſentientibus, militibus, digniſſimum dedit exulum primoribus locum, delectaque ex omni exercitu promiſcue manu, fortiſſimorum equitum exulumque unum agmen effecit. Ceteram aciem, ſuas in turmas diſtributam, mirifico compoſuit ordine: ut quisque equo, armis, praeſentia, ornatiſſimus erat, ita primum in turma collocaverat. Nec minore, quanquam diverſo apparatu, inſtructa civitas erat: qua porta ingreſſurum urbem putabant, eam cives purpureis tapetibus, & hinc atque hinc longe pendentibus aulaeis adornaverant: via omnis viridibus inſperſa floribus, odores late perfundere, privatorum feneſtrae pannis, ut cuiusque erant fortunae, pulcherrimis diſtinctae ornataeque patebant. Muliebria quoque monilia, usque quaque interlucentia, quae ſole repercuſſa crebris ſcintillulis transeuntium feriebant oculos: bullaeque & aurea balthea ad terram usque tractu longiſſimo demiſſa fulgebant. Nec minor inter cives ornandi parandique contentio, quam incedendi militibus fuit, ut quibus nihil magnificentius privata opulentia ducebatur. Nec ullum novo domino glorioſius iucundiusque victo-

victoriae ſignum oſtendi poſſe arbitrabantur, quam privatas civium opes, nihil eius imperium pertimeſcere. Vicit privata ſtudia publicus apparatus: quippe forum, ne ſolis aeſtus ad ima penetraret, undique alte tegentia vela operiebant. Trapezitarum menſae aureis confertae nummis, mercatoresque vario genere longe lateque pendentium purpureorum menſas tabulataque compleverant. Haec omnia medio in foro eminens palatium ſuperabat. Illic Gallici tapetes, feneſtris longum exeuntes, illic aurea atque argentea vaſa, per ſcalarum gradus diſtincta, mirantium aciem perſtringebant. Iam, magna parte diei urbanis militaribusque apparatibus conſumta, BRACHIVS, compoſito velut ad praelium agmine, per ſuperiorem portam, in qua nihil erat apparatus, urbem ingreditur. Eius rei cauſa non ſatis eſt comperta. Sunt, qui putent, nimium populi concurſum & civiles inſidias veritum. Alii, expeditius iter commodioremque praeliandi, ſi opus fuiſſet, locum eſſe delectum: nonnulli, quod, eam qui incolerent urbis partem, ſuae factionis prope univerſi habebantur. Ubi ad forum eſt perventum, tum vero vario genere tubarum tibiarumque & tympanorum perſonabant omnia. Milites, partito in geminam aciem exercitu, utrumque fori aditum occupare contendunt. Ubi aliquot horis eſt praeliatum equeſtri certamine, BRACHIVS, antequam pala-

 tium

tium imperii locum ſedemque conſcenderet, Decemviros, ac ceteros urbis Magiſtratus, & praeterea populares, iureiurando in fidem poteſtatemque adegit. Statim eius nomine atque iuſſu circumlata praeconia, accepti imperii dedere ſignum. Poſtridie eius diei profugos, rebelles, exules etiam, qui bello non interfuiſſent, quoscunque quavis de cauſa damnatos in exilium, quod humanitatis eſſe putavit, ſuo decreto cenſuit revocandos. Quibus, pecunia mulctatis, ſolvendo non erat, eamque ob rem civitate carerent, abſolvendos decrevit. Sed, civilia diſſidia radicitus extirpare conanti, neceſſarium videbatur, exulibus domos agrosque reſtitui, quos poſt factam ſeditionem plebeii contra ius gentium, nullo more, nulla lege, occupaſſent. Sed, quando nimis periculoſum erat, optimatium licentiae rem permittere, ne plus ſibi quisquam, quam ſua eſſent, vendicaret, placuit, omnia populi decreta, quatuor & viginti annos antea facta, (tot enim nobilitas exulaverat) nova autoritate reſcindi, et, quae ante id tempus cuiusque fuiſſent, integra optimatibus cedere, reliqua plebis eſſe. Ceterum, iure an iniuria nobilitas plebis, plebs nobilitatis opes ante id tempus occupaſſet, conſtituit, qui ſervato more inſtitutisque maiorum de iure civili moderatiſſime iuſtiſſimeque diſceptarent, quod ſuum eſſet, cuique tribuendo: rapinae, vis, iniuriae, ceteraque factionum mala, cun-

Nova rerum Peruſinarum facies.

cuncta sublata, gravissimi acerbissimique propositi cruciatus, ultionibus nobilitati est interdictum. Sed, quod ipse novas expeditiones agitabat animo, nec bello desistere ullo modo statuebat, veritus, ne, se absente, aliquid seditionis excitaretur, primum legem tulit de seditionibus coercendis, mox, ad eradicandas simultates, Novemviros ex plebe totidemque ex nobilitate delectos, civitatis curae custodiaeque praefecit. Hac re plebeiorum animos mirifice sibi reconciliavit, ne optimatibus quidem offensis, omnium aequata dignitate. Optimates, quibus insidentia adhuc animis exilia dulciora praesentia bona faciebant, contenti sua fortuna videbantur, plebeii bello superati, dono datum putabant, quicquid a victore, cum eripi belli iure potuisset, misericordia & liberalitate non esset ereptum. Victores ac victi aequabili moderatione habiti, parque omnium fortuna, nisi quod alteri sua bona recepissent, alteri reddidissent aliena. Iis maius atque amplius adiecit beneficium; aes alienum superiore bello, quo cives ad repellendum se milites conduxerant, a potentioribus exactum, inopia aerarii in publicum collatum, pecunia sua restituit, existimans, ad quem urbis vectigalia provenirent, eiusdem esse, quicquid conflasset civitas aeris alieni, persolvere. Nihil hac vel aequitate, vel liberalitate praeclarius, ut quasi, quod stipendium essent adversus se emeriti conducti mi-

milites, id tunc dinumerare ipse praesentibus videretur, totusque ad conciliandos sibi civium animos intentus, publici parentis videbatur induisse personam, verbis tamen, quam facti mitior & benignior, arte quadam efficere solitus, ne quem ab se, nisi magna spe plenum, dimitteret: quod autem re praestare cuiquam noluisset, non se id nolle, verum honeste non posse, atque ideo, quod non posset, angi animo contendens, causam etiam, quare non posset, afferebat, ut etiam in denegando gratiam inire beneficusque esse videretur. Nec comitas deerat, vel civibus vel militibus nominatim appellandis. Illud maxime omnium memorabile, ne unum quidem habuisse in castris equitem, cuius nomen non teneret, nullum peditem, & ne tirunculum quidem, quem, utro ab exercitu, suo, an hostium, esset, non primo statim adspectu internosceret. Saepe Legatorum nondum exposita praevenisse mandata, saepe hominum sermones, in foro aut in acie loquentium, labiorum motu percepisse, neminem unquam allocutum, quem longo post tempore, multis intercurrentibus annis, ubi, aut quid secum egisset negotii, non primo statim occursu reminisceretur. Hinc vana illa vulgi opinio, daemonem praesagum atque interpretem rerum futurarum, crystallo inclusum habuisse, atque eius monitu cuncta foris domique gessisse. Neque tamen civilibus atque urbanis rebus, quam

quam bellicis & militaribus, obſcurior, ſed velut natura ad omnia natus atque inſtructus, cum architectis de architectura, de mercatura cum mercatoribus diſceptabat. Bello quidem nemo rapacior, pace vero iustitiae & aequitatis obſervantior nemo. Familiarem & ſuae factionis hominem furti compertum, magiſtratu, quem forte gerebat, perfunctum, ſuſpendi iuſſit. Cum unumquemque pro dignitate complecteretur, iuſtitia tamen aequabili teneri omnes volebat, acerrimus defenſor imbecillitatis. Nullius tamen rei, quam aedificandi, ſtudiosior, ſaepe inter militaria opera fertur de urbanis aedificiis uſque ad delicias cogitaſſe. Otioſis & nihil agentibus infenſus, fori tritores appellabat. Sed, eo componendis urbanis intento, exulum, qui bello non interfuerant, audita victoria ſuorum, ingens undique multitudo confluebat, qui partim diuturno exilio ad extremam redacti inopiam, atque ideo praedae rapiniſque intenti, partim maiorum titulis magis, quam virtute ſua, clari, omnes ambire clientelas coeperunt: mobilem multitudinem blande appellare, longo comitatu vulgi frequentiam cogere, privata inſignia concedere, omni via atque ſtudio pellicere iuventutem. Quae res cum magnam inter cives contentionem paritura videretur, omnibus, qui nobilitate atque opibus pollerent, de coetu & frequentia contendentibus, coercendam tam

P 5 foe-

foedam ambitionem visum est, & paucorum insolentiam elationemque nova lege retundendam. Vocato igitur in consilium populo, gravi oratione, & qui ducerent, & qui sequerentur, castigavit. Non placere sibi, ait, tot simul Reges uno in regno exortos esse, invitum se unum imperare civitati, nec passurum opprimi a ceteris patriam, quam ipse, si per factiones liceret, mallet liberam venerari. Quid illi plebeculam, turbulento coetu, aliena celebrare tecta, privatasque civium domos frequentare, compellerent? Non ideo tot a se gesta bella, tantaque rerum adita discrimina, ut, qui foris parere consuevissent, domi suis civibus imperitarent: satis fuisse, ope sua ab exilio esse revocatos. Haec se illis exprobrare, qui patriae inviderent fortunae, & felicitati suae, cuius opera & cives suam patriam, & patria suos cives recuperasset. Proinde essent sua quisque civili libertate contenti, non prohibere, quem virtus cuique aut genus dedisset locum, eum honeste magnificeque obtineri: nam alterum altero clariorem esse, & hominem homini natura, moribus, dignitate, praestare. Sed factiosos coetus & tumultuarios comitatus prohibere, in hos se capitali supplicio animadversurum. Dimissa concione, caveri praeconio iussit, ne quis privata civium insignia, aut domi, aut in veste, haberet, neve catervatim noctu per urbem incederetur,

Oratio Brachii in senatu Perusino.

Nova lex.

tur, quietiorem futuram civitatem arbitratus, si aemula civium studia contentionesque submoverentur. Pauci, qui dicto audientes non fuere, capti atque in vincla coniecti sunt, nonnulli, privato insigni distinctas gerentes vestes, eius iussu a Praetore medio in foro spoliati, &, nisi multorum civium intercessisset gratia, capitis causam dicere coegisset. Sed in tanta multitudine, totque civium studiis, magno opus erat praesidio, ne quid, eo absente, seditionis excitaretur: iam enim novam expeditionem coquebat animo. Primum igitur omnes vicorum viarumque catenas rescindi, civitatis quoque ligneas portas effringi iubet; quod ea de causa fecit, ne, si qua tumultuaria manus forum occupasset, subitus equitum accursus impediretur: duas deinde arces, quae saepe a maioribus populi impetu deiectae, sine custodibus erant, reficiendas quam munitissime structissimeque curavit, quae, fido imposito custodum praesidio, mirum in modum nefarios civium conatus represserunt. Rebus Perusiae compositis, decimo post receptam urbem die, educto in novam expeditionem exercitu, in Asisiatum fines contendit. Hic Bastiam, in primis finibus non procul a Chiasio amne situm oppidum, acceptam in potestatem, Guido Feltrano restituit, Sigillo Spelloque receptis, quorum alterum in agro Perusino, alterum Fulginatibus finitimum, Guidus superioribus bellis oc-

Abiturientis praecautio.

Nova expeditio.

Iniurias a Paulo Ursino sibi illatas ulcifcitur acerrime.

occupaverat. Haec gerentem nova inceſſit cura Pauli Urſini perſequendi: ſic iniurias adverſis in rebus perpeſſus, in ſecundis capere non potuit. Etſi nulla ira eſt vehementior, quam ubi animum ſtimulat recordatio collati beneficii. Repetebat enim, Paulum ad Rocham Contractam, ſuum oppidum, confugiſſe, atque illic regiis obſeſſum copiis, magno cum oppidanorum incommodo aliquot menſes eſſe defenſum: poſtremo, ne quid beneficio deeſſet, non ante ſuum adventum atque opem, obſidione eſſe liberatum. Mox deinde abrupiſſe tamen ab exercitu, &, violata fide, hoſtibus auxilium ferre voluiſſe. Haud diſſimili fraude, & ſe optime meritum & hoſtes fuiſſe deceptos, fidem atque amicitiam una perfidia atque ſcelere eſſe violatam, nunc ſuam & ſuorum, non iam hoſtium, ſed civium, cauſam vindicandam eſſe. Paulus ad Collem floridum, quod eſt Fulginatium oppidum, ſtativa habebat, qui oblitus, quas intuliſſet, iniurias, nihil inimicum aut hoſtile metuebat. BRACHIVS Tartaliam, cum delecta manu ad eum interficiendum, cohorteſque diripiendas, praemiſſum, non multo ſubſequebatur intervallo. Qui, ut erat imperatum, vagantem extra moenia confodit. Eius milites, ſubito pavore attoniti, recurrere ad arma, factoque in Tartaliam e loco ſuperiore impetu, niſi ſubſidiarium militem BRACHIVS auxilio miſiſſet, ingentem ea die

lie ſtragem edidiſſent, ſed, coeunte multitu-
line, eum habuit exitum pugna, ut capti
ıoſtes ad unum, atque rebus omnibus ſpo-
iati, dimitterentur. Quae res mirifice exerci-
um confirmavit, ingenti praeda locupleta-
o milite. Paulo interfecto, Tartalia ad
ıccupanda eius oppida cum ſuis copiis in
grum contendit Romanum. Interea ad
ıRACHIVM Reatinorum venere Legati,
ui, ſex millibus numum multati, quod BRA-
HIANVM militem occidendum curave-
ant, in fidem recepti ſunt. Nam Reate
uoque factionibus inteſtinis atrocius, quam
nitimae urbes, agitantur. Veriti ergo, ne
xules, tanti ducis auxilio civitatem inva-
entes, adverſae factionis multitudinem ex-
itarent, imperii ſummam ad BRA-
HIVM detulere. Iam enim maiores
:ant illius vires, quam quibus reſiſtere poſſe
e remoti quidem populi crederentur. Per
os dies Narnienſes, & ipſi quoque ſedi-
oſi, ſponte deditionem fecere. Quorum
xemplo finitimum oppidum, Sanctum ge-
ıinum vocant, Legatos, qui imperata fa-
:uros, Praetoremque eius accepturos, dice-
ınt, miſerunt. Tanta facta regni acceſ-
one, maiore Umbriae parte ſubacta, in
grum Picenum cum exercitu proficiſcitur,
ıerans, id quod futurum videbatur, oppida
:aroli Malateſtae, quem captivum in vincu-
s habebant, facile in eius deventura pote-
:atem: praemiſſis, qui ad deditionem ſoli-
cita-

Varia in fidem recipit oppida.

Inter quae & Caroli Malateſtae quaedam.

citarent. Monsbodii, Capazanum, Morrum, Maſſatium, Maiolato, & alia quaedam exigua caſtella, non expectata oppugnatione, portas adventanti duci aperuerunt. Idem factura cetera videbantur, ni Pandulfus Malateſta, Caroli frater, & Martinus Faventinus, clari bello duces, qui per id tempus Brixiae ſtativa habebant, audita BRACHII profectione, in Picenum veniſſent, qui ceteris nondum occupatis oppidis firmiſſima diſpoſuere praeſidia. Fertur BRACHIVS, vel inſita a natura prudentia, vel praeſagio quodam divino, ſcripſiſſe ad Martinum Faventinum, hominem ſupra modum pecunioſum, admonuiſſeque, ut ſibi caveret, ne ipſe Carolum redimere ſua pecunia cogeretur: illum vero aut diſſimulaſſe, aut in aliam partem accepiſſe. Nec multis poſt diebus, ficta confoederationis ſuſpicione, a Pandulfo circumventum atque interfectum. BRACHIVS, cognito hoſtium adventu, ne fruſtra aeſtatem in his locis conſumeret, capto Saxoferrato & Gualdo Nucerino, Peruſiam revertitur. Hic comperit, Peruſinos finitimis intuliſſe bellum, & eius nomine Caſtellum plebis 20000 paſſus procul ab urbe, & huic finitimum Caſtellum novum ad defectionem compuliſſe: nihil illi gratius eſſe potuiſſet. Iam non militibus ſolum uſurus bello videbatur, ſed civium etiam ſua ſponte militantium delectum habiturus, & ſaepe antea Peruſinorum virtutem ſuperiore per-

ſpe-

pexerat bello, nunc eos suo imperio accessionem sponte quaerere, id demum mirifice laetabatur. Quam ob rem, vocato in concionem populo, gratias publice privatimque egit, iterumque pronuntiato militibus itinere, in Picenum revertitur. Huc Legati Venetorum, qui Malatestis favebant, ad BRACHIVM venere, accepti magno honore, & exponere mandata iussi. Primum congratulari Venetos eius victoriae, dixerunt, cuius etsi nulla adhuc extarent in eum populum beneficia, tamen virtutem illis & fortitudinem pergratam esse. Sperare, pro magnitudine gerendarum rerum eius se opera usurus, mutuaque intercessura officia, nam nec Venetos ingratos esse, nec BRACHIVM quidquam, nisi summa cum fide, gerere solitum. Deinde, quod reliquum ad praesentem spectaret legationem, plurimum orare, ut Carolum Malatestam, optime de Venetorum Republica meritum, commendatum haberet, &, si quid apud eum tanti populi valeret autoritas, sine pretio liberaret: magnum id futurum Venetis munus, nec ullam gentem esse gratiorem, non bello solum ceteras nationes, sed etiam liberalitate & beneficentia, vincere. Quod si nimio peterent studio, non videri mirandum, qui amicos suos deserere in calamitatibus impium nefariumque iudicarent: semper Venetis, quod modico dividerentur mari, amicitiam cum Ariminensibus societatemque

Accedunt Legati Venetorum.

que ſtetiſſe. Tam amplae Legatorum poſtulationi BRACHIVS paucis reſpondit: Habere ſe Venetis ingentes gratias, qui Legatos gratulatum ad ſe miſiſſent: ceterum, quod ad Carolum pertineret, invitum ſe contra illum cepiſſe arma, nec moviſſe Ariminenſibus bellum, ſed ultro invaſum ac laceſſitum. Nulla in re militaria iura violaſſe, nihil illi ſecum fuiſſe negotii, defendere ſe armis coactum eſſe. Fortunam, quae cauſae plurimum favere ſolet, victori adfuiſſe: Caroli non minorem iniuria, quam intuliſſet, fuiſſe iacturam. Quippe ſe ad penates ſuos redeuntem arcere voluiſſe, nec dubitare, ſi ſuperior ille in acie ſe cepiſſet, fuiſſe ſibi crudeliſſima morte pereundum. Saepe hoſtem, cum factis nequiviſſet, verborum immanitate ſaevire auditum: ſe tamen, Diis gratias, ingenio eſſe mitiore, nec, quid hoſtis in ſe voluerit, ſed quod ipſe in hoſtem debeat, cogitare. Nunquam ſibi cum quoquam de ſanguine, ſemper de gloria & dignitate, certatum, illum victorem vita ſe fuiſſe mulctaturum, nunc, quando Dii melius huic bello conſuluiſſent, pecunia mulctari captivum ducem, quem ipſe, ſi par pari referre pergeret, variis ſuppliciis duriſſimisque tormentis excruciaſſet. Carolum quidem pecunioſum eſſe, & latos obtinere imperii terminos: ſibi vero omnia contra, pecunias nullas, multum aeris alieni, nuper receptam civitatem diuturno exi-

exinanitam bello, non ſtipendia, non vectigalia, pendere. Haec, quoniam ſtipendiariis careat, aliunde quaerenda eſſe, nec ulla re quaeri honeſtius potuiſſe, quam bello. Iam tunc maximis urgeri difficultatibus, cum tot undique praeſidia diſponenda eſſent, atque omnia mercede conducenda: igitur, ſi centum millia nummum perſolveret, liberum abiturum, nec moleſte ferrent, pecuniis mulctari eum, qui, ſi viciſſet, ſanguine ſe mulctaſſet. Legati, quorum princeps erat Belberus quidam, vehementius inſtare, & minas precibus miſcere, coeperunt, vel quod ita publice haberent in mandatis, vel ut id, quod magis BRACHIVS eſt ſuſpicatus, privata gratia & intima cum Carolo familiaritate coniuncti, omni ope atque ſtudio pro eius ſalute niterentur. At BRACHIVS, quem, ut preces flectere non poterant, ita minae acrius incenderunt. Quid hoc, inquit, eſt mali, ſi iuvare cupitis amicum, quin illum pecunia veſtra redimitis? Cur ab eius id poſtulatis hoſte, quod vos amici praeſtare non vultis? Centum millia nummum, belli iure, mea ſunt: ea, vultis, ut dono dem hoſti meo, cur non vos veſtro potius amico? Re, non verbis, conſtat amicitia. Nihil enim facilius eſt, quam verbis iuvare amicum. Nihil turpius, quam, cum re eſt opus, verbis adeſſe. Quid mihi, quaeſo, interminamini, quos ego nec offendi unquam, nec, quod ſpero, ſum offenſurus? Si veſtro mari piratica claſſe navigantem, ſi terra vexantem im-

Quibus, cum Caroli liberationem vehementius urgent,

acerrime reſpondet.

perium vestrum intercipietis, nihil equidem recusabo. Hic, si forte bellum inferetis, nec animus quidem mihi deerit propulsandi. Quod si defecero viribus, aut aliunde petentur auxilia, aut illud certe cogitabimus, nihil homini gloriosius, quam aut propulsare iniurias, aut, si hoc non possit, mori propulsantem. Utcunque futura sit res, hoc unum affirmare vobis possum, nemo BRACHIUM vertentem terga, sed aut vincentem, aut bello morientem, intuebitur. Proinde facessite nunc, qua huc iistis, via: mihi certum est, quando minis res agitur, tam diu captivos habere in vinculis, etiamsi perpetuo detinendi sint, donec, qui redimendi sunt, militari more redimantur. Legati minis abacti discesserunt. Haec dum in Picenis agerentur, Perusini novas seditiones excitavere, discessu BRACHII licentius vagante multitudine. Origo seditionis fuere plebeiorum nocturni coetus, qui, diu oppressam optimatium potentiam tam subito levatam aegre molesteque ferentes, quo pacto urbe eos depellerent, cogitare dicebantur. Sed bis ea tentata seditio est. Primum eorum, quos BRACHIUS civitatis curae delegerat, autoritate sedata. Mox, optimatibus arma capientibus, civili clade restincta, ex plebeiis aliquot trucidati sunt, plerique urbe agroque depulsi, reliqui, tam inepti bello, quam pacis cupidi, propinquorum gratia incolumes servati. Sic, mutata fortuna, qui paulo ante regnaverant,

Nova seditio Perusina.

in

in exilium deiecti, qui exulaverant, regno restituti, humanarum rerum exempla praebuerunt. Opes exulum partim direptae, partim in publicum collatae aerarium, & in civilium magistratuum aera constitutae. Optimates, post pulsam alterius factionis multitudinem, rem omnem ad BRACHIVM, ut se habuerat, per literas nuntiarunt, inimicorum culpa factum contendentes, nec se priores cepisse arma, sed ad capitis vitaeque defensionem coactos. Caput autem eius tumultus fuisse Ranerium. BRACHII is erat avunculus. Qua re diligentius investigata compertaque, restitui suas cuique opes, ceterum autores ipsos in exilio esse, decrevit, optimatibus admonitis, ut civium saluti parceretur, & quanto minimus posset, exulum esset numerus: quietiores futuros ratus, qui remanerent, si hoc tam graviter punitae seditionis exemplo admonerentur. Inter haec Ariminenses, magnis factis auctionibus, ingentique coacta pecunia, Legatos ad BRACHIVM de redimendis captivis, simulque de facienda pace, miserunt. Conditiones fuere, ut, acceptis octoginta millibus nummum, Carolum liberum sociumque factum dimitteret. Deerant ad constitutam summam viginti millia. Pro his aliquot dierum dilatio est concessa. Pace confecta, Perusiam cum exercitu revertitur. Carolus Berardo Camerti tam diu observandus traditus, quoad pecuniam persolvisset:

Brachii decreto penitus restincta.

Legati Ariminensium

Carolum libertati restituendum curant.

ea partim persoluta, partim Feltrano sponsore promissa, intra paucos dies, quinto mense, postquam captus profligatusque fuerat, Ariminum ad suos revertitur. BRACHIVS, dato militibus stipendio, &, quae bello gerendo usui forent, comparatis, proximam expeditionem pronuntiat: mox, omni exercitu ex hybernis deducto, iter primum Tudertum, ad componendas res urbanas, deinde Spoletanum Nursinorumque fines ingressus, agrum infesta populatione vastabat. Spoletani Nursinique, facta inter se iam pridem societate, Legatos de pace miserunt, veriti, ne, populato agro, statim obsidione intra moenia compellerentur. Pax non ante data, quam decem millia nummum ad stipendium militi contulissent: pecunia collata, exercitum agro deduxit. Tota iam Umbria vectigalis facta, in eius devenerat potestatem. Roma erat, quae invictum animum ingenti cupiditate solicitum habebat: hanc ubi subegisset, nihil imperio suo defuturum existimabat, nec deerant, qui ad urbem occupandam vocarent, coniurationeque facta, deditionem facturos pollicerentur. Igitur cum omnibus copiis profectus in agrum Romanum, trans amnem Anienem non multum procul ab urbe castris consedit. Romanis pauca admodum erant praesidia, &, agri vastionem pati, rem putabant indignissimam. Pontificis Legatus, qui urbi praesidebat, ubi tam prope imminere hostem

Nova expeditio in Tudertinos atque Spoletanos.

Hinc Romam profectus,

cum Pontificis Legato in castris colloquitur.

ſtem cognovit, etſi nihil dubitabat, quid illi animi foret ad imperium occupandum, metu tamen diſſimulato, ad eius caſtra, veluti ad amicum ſociumque, proficiſcitur. Eius adventum BRACHIVS magnifice, ut par erat, excepit. Quaerenti, quam ob cauſam urbi admoviſſet exercitum, reſpondit, cauſam ſibi eandem, quam Pontificibus, eſſe, imperandi gloriam. Nec tamen ideo Romam occupatum veniſſe; ut Pontificatu eriperet imperium, ſed ut, quamdiu Pontifex abeſſet, Italiam vacuam praeſidio, & multorum tyrannidi expoſitam, cuſtodiret. Legatus, diu nequidquam dehortatus, Romam rediit, exiſtimans, paucorum conſenſu accitum hoſtem, nec auſum illum tam parva manu tantam aggredi urbem fuiſſe. Vocatis ergo civibus in concionem, Bello, inquit, petimur Romani, adeo multos, qui paulo plus habeant potentiae, vel infirmitas veſtra, vel urbis fatum, invitat. Paulo ante perpeſſi Regem ſumus, nunc (ſi Diis placet) Tyrannum Roma patietur, & tamen moenibus atque armis ſepti, & populi multitudine muniti ſumus, quanta, ſi animi non fluctuarent, hoſtis ne ultimos quidem fines huius urbis auſus fuiſſet attingere: nunc, quando nec fortuna veſtra contenti eſtis, nec fidei iacturam veremini, cogor non minus a vobis hoc ſanctiſſimum imperium, quam ab hoſte, defendere. Maiores veſtri, qui ab oriente ad occaſum extenderunt imperii fines, nulla

Hujus ad Romanos Oratio.

 vir-

nulla virtute magis, quam fide atque integritate, claruerunt: vos, nisi iam pridem ab illis degenerastis, nihil magis in contemtu habetis. Nec optimi Pontificis rem ago, qui etiam, si esset immanis, colendus tamen vobis pro fide & gloria foret. Movet me vestrae ignominiae labes, qui, ubi hostem receperitis paucorum factione, quid, nisi Domini vestri desertores appellabimini? Potuit hoc in Rege honestius, & pro potentia, & pro dignitate, tolerari. Et, ubi semel delinquitur, fato magis adscribitur, quam voluntati; sed, a Pontificis fide deficere, parere tyranno, quid hoc indignius Romano populo? Et iam natura dicemini, non fato, toties peccare didicisse. Patiemini, cruentum hostem contaminare hanc terram? In qua tot monumenta religionis, tot sanctissimi cineres, tot simulachra, templaque Deorum immortalium? Patiemini, non hominum modo, sed etiam Deorum, esse desertores? Quo animo feretis, tot delubra militum fieri stationes, ut, quae sanctissimo religionis cultu celebrari solent, ea militari libidine polluantur? Exterae gentes & nationes, cum vestram hanc terram ingrediuntur, pura mente, suspensoque animo, vix attrectare vel ipsos audent muros, vix premere pedibus divinum solum: vos non premendam hanc urbem, sed conculcandam, nec conculcandam solum, sed coinquinandam diripiendamque, hostibus conceditis? Quid

Quid finitimi? Quam pulchre perfidiam vestram obiicient vobis? Etsi scio, non omnes tam corrupto esse animo, ut coniurationis autores sequi possint, hos ego nunc admoneo, hos alloquor, capita, arma, fideles cives. Qui perfidi esse volent, eant ad hostem, vocent, introducant, nec in hoc quidem praestabunt, paulo post ab illo quoque defecturi. Etsi scio, proditiones gratas esse hominibus interdum, proditores tamen semper nefarios detestabilesque iudicari. Nec iis magis confidit hostis, quam nos, qui confidimus, deceptos esse reputabit. Hac Oratione partim restincta coniuratione, partim animis civium confirmatis, defendere se armis decreverunt. BRACHIVS, cum oppugnare urbem copiarum paucitate non posset, vexare agrum est aggressus, continuos deinde complures dies, late factis excursionibus, pontem Salarium, praesidiaria manu defensum, durissima oppugnatione adortus, vi cepit, traiectoque in patentes campos exercitu, ad portas usque urbis magno cum impetu penetravit: suburbanis aedificiis populatis, octingentos circiter Romanos ne ipsi quidem Romani captos fuisse negant. Hac tanta calamitate perculsi cives, Legatos, qui de pace agerent, ad BRACHIVM in castra miserunt: multae proponebantur conditiones, nulla tamen, praeter urbis deditionem, recepta est. Cives, habito inter se consilio, cum tantus ad portas instaret hostis,

Brachii excursiones.

Cum Legatis de tradenda urbe pacificitur.

 nec

nec ulla ſpes eſſet auxilii, urbis rectorem appellatum, intra moenia cum exercitu receperunt, rati, ſi qua † heſterni belli vis incubuiſſet, praeſidio tanti ducis tutiſſimos eſſe futuros. Urbem ingredienti, ut ſunt hominum magna novis in rebus ſtudia, undique urbani apparatus, in triumphi ſpeciem, praeferebantur. Perventum iam videbatur ad imperii culmen, ſed adverſus tantam gloriam Dii atque homines ſtatim inſurrexere.

† *externi.*

Exercitus Brachii peſte correptus.

Quippe, cum alterum iam menſem molem Hadriani nequidquam oppugnaſſet, exercitum pernicioſa invaſit peſtis, ſive praeliis intentum militem ſolis aeſtus relaxaverat, ſive denſioris coeli infecerat pernicioſa caligo. Corpora primum occultus invadebat languor, mox paulatim deficientia peſtilens ſitis ardor exurebat. Haec non aqua, non liquore ullo, exſtingui ſedarique poterat: plerique bibendo laſſi deficiebant, pauloque poſt moriebantur. B R A C H I V S, vix quarta parte copiarum incolumi, veritus, ne populus vel alieno hortatu, vel ſuo impulſu, in aegrotum & pene confectum exercitum concitaretur, Rugerium Peruſinum & Berardum Camertem cum ſexcentis equitibus, quos ad agrum Picenum praeſidio reliquerat, Romam accivit, rurſusque fruſtra oppugnata arce, cum novas copias idem ille morbus invaſiſſet, ſimul, quod Neapolitanorum copiae ad ſolvendam arcis obſidionem adventare nuntiabantur, Roma diſceſſit, commo-

odius curatum iri militem arbitratus, mu- a coeli regione, palustrique & fluviali vi- ta caligine. Postquam urbe discessum est, omani septuagesimo die post deditam bem ad hostes defecere. Perusiam rever- s BRACHIVS, exercitum ad hyberna di- isit, ipse constituendae civitati, stabilien- oque imperio intentus, omnibus oppidis que urbibus, quae in sua essent potestate, nnua tributa imperavit. Tudertini, Urbe- etani, Narnienses, Interamnenses, Esini, pellani, Cannarienses, Reatini, ceterique nitimi populi, ut cuique magnae erant pes, ita pretiosa pallia, sic enim genus ibuti vocant, pendere iussi sunt. Haec es maxime omnium Perusinorum devinxit nimos. Videbant urbem, paulo ante obsessam c pene dirutam, optimis legibus, aequissi- mis institutis, confirmatam, &, quod longe gloriosissimum putabant, caput imperii fa- ctam: finitimas autem urbes, partim tribu- tarias, partim vectigales, esse. Pallia erant, quae plus dignitatis afferre, magisque im- perio decori esse, iudicabant. Ea vero, qua die BRACHIVS Carolum profligaverat, quotannis convecta primum universa in fo- ro collocata, mox ad civitatis celeberri- mum Fanum delata suspendebantur. Fi- nitimi quoque tyranni aureos cyathos ar- genteaque vasa deferebant. Qua die haec agebantur, quo civitatem varia afficeret lae- titia, equestres in foro ludos faciendos cu-

Hinc urbe relicta deficiunt Romani.

Annua imperata tributa.

Solennia in memoriam Caroli, a Brachio profligati, quotannis repetita.

raverat: maxime omnium ludos Perusinos, quibus iam puer saepe interfuerat, spectare placuit: sic enim patria appellant certamina. Res mira & exercendi corporis atque animi perpetua efficaxque materia. Omnis civitas duas in partes divisa, superiorem inferioremque, novi & inusitati generis armis instruebatur. Nonnulli tamen expeditiores ac leviter armati, ut qui sola galea, umboneque & ocreis, durato atque incocto corio confectis, erant muniti. His pro clypeo erat laeva involutum pallium, qui, & coniiciendis & excipiendis saxis apti, iactores vocabantur. Ii, † celebritate multum valentes, aciem primam obtinebant: bellum lapidibus inire iussi, iactorum aciem, quos vocant Armatos, sequebantur. Horum armatura gravior, vel qua in bellis & militia utimur. Primum, ut inde ordiamur, inferiores pedes, lineo triplicato panno, & cervino vellere distento atque oppleto, tegebantur. Inde ex eadem materia, durissimo & duplici obducta corio, tibiarum munimenta ad poplitem usque surgebant, superiora crura, ferreis incincta coxalibus: ferreo quidem, sed purpura vestito, & corpus tegente, thorace colligabantur. Sed, ne quid lapidum colliderent ictus, stupeae, bombicinae veluti laminae, lineo consutae panniculo, sub thorace distensae, ventri pectorique adaequabantur, quae totos obeuntia humeros, ac terga, ad me-

Descriptio Ludorum equestrium.

† *celeritate.*

iedios usque ulnarum lacertos, tanquam uae manicae, descendebant. Collum, in- eriorem que cervicem, panno ac bombice ensa involucra, & durato igni corio fulta, nuniebant. Supremum ferrea tegebat ga- ea. Huic, quo lapidum late volitantium asum cernere, quove hostem ferire pos- ent, lata erant ab ore relicta foramina, in ostri speciem excedente galea: supra ver- icem tria involucra, denso intexta filtro, & in pilei modum sese proferentia, purpureo argenteoque, ut cuique erant facultates api- ce conoque surgebant. Inde rursus vario pennarum colore distinctae corollae attol- lebantur. Haec a tergo ad medios usque delapsa humeros purpurea excipiebat lacer- na, reliquum corpus ornatior vestis deco- rabat. Hi erant, quos armatos vocabant. Dextra alligatum BRACHIO scipionem, laeva clypeum ferentes, excipiendis magis ictibus, sed tamen etiam incutiendis, parati. Ergo, ubi universus convenerat diversa ar- matura populus, quisque suam in partem se- cedebat, duaeque civium acies duo prima fori occupabant ora, medium quod erat, spati- um pugnae relinquebatur. Primum iuve- nes vivaci ac robusta aetate, ad tertiam us- que diei horam inibant pugnam. Mox soli pueri, suis & ipsi contecti armis, duabus continuis horis inter se lapidibus decerta- bant. Quod reliquum erat diei, omnis ge- neris aetates ad praelium discursitabant. Pri- mam

mam aciem obtinebant leviter armati, iuſſi eminus in adverſos ſaxa coniicere. Sic, cum utrique ſemper inſtare, nunquam fugere, parati, propius rem gererent, gravis armaturae, quos diximus, accurrebant: his turpiſſimum erat ſaxa coniicere, ſed in mediam ruentes aciem, clypeis ſcipionibusque pugnabant. Nec tamen interea ceſſabant ſaxa: videre erat pulcherrimum, hos ferire, illos cadere, alios ſubniti clypeo, atque in adverſarios toto ſeſe corpore inferre, implicare, ac clypeo ac ſcipione oculos, ora, petere. Victoria erat, medium occupaſſe forum, atque inde adverſarios reieciſſe. Omnium erat pulcherrimum, ſenes feneſtris, ubi videndi ſtudio conſederant, deſilientes adſpicere, &, toga pallioque abiecto, decurrentes ad opem fugientibus ſuis ferendam, ſiſtendamque fugam, nec aetatis aut reverentia, aut imbecillitate contineri poterant. Tanta erat partium aemulatio. Saepe duo millia civium in foro hoc modo armati dimicabant, nec unquam incruenta ſtetit res, nam quotannis deni vicenique contriti obrutique cadebant, nec perpetuo & continenti certabatur anno. Ludorum initium iam inde ab Calendis Martiis perfectos duntaxat dies, nec amplius, quam in duos, qui ſequebantur, celebrari menſes conſueverant. Nec caeſorum occaſione iniuriae aut odia gignebantur, vulgo periſſe, & caſu, putabant, qui periſſent: nec ante pugna deſiſtebatur, quam alteri

eri loco essent repulsi. Tum demum, ıovis uno vel puero pacem postulante, aelio excedebant. Constat omnium praecatione, nihil unquam in Italia solitum gerocius, inde robur & animo, & cor- ›ri, inde genti vim & strenuitatem increſſe putant. BRACHIANI milites, fac- : intermixti iuventuti, ac pugnam ingressi, .cile a civibus vincebantur. Fertur BRA- HIVS, cum fenestra, quae foro imminebat, ısidenti, nuntiaretur, perniciosum esse eius iei praelium, multosque pertinacia conteri, roinde dirimi pugnam iuberet, spectacu- › intentus, respondisse: Senogalliae fieri ne iubes Imperatorem. Quod tunc dici onsuevit, cum imperanti nemo nisi ipsenet, qui imperat, paret. Componendis ›er hunc modum rebus intento BRA- CHIO, unum oppidum Saxumferratum detrectabat imperium, quod, nullo eo anno collato tributo, haud multo post, cum BRACHIVS Tuderti moram traheret, rebellione facta, defecerat: arx tamen, imminens oppido, & situ egregie munita, fido tenebatur praesidio. Hac re nuntiata, BRACHIVS repente, deducto ex hybernis exercitu, in Picenum contendit, occupataque munitiore oppidi parte, forum excurrit: autores rebellionis, quia capere non potuit, direptis domibus, maximo affecit incommodo. Mox, compositis rebus, Perusiam reversus, exercitum ad stativa remisit. Per

Deficiunt Saxoferratenses.

Mox vero a Brachio ad obsequium rediguntur.

hos

mam aciem obtinebant leviter armati, iussi eminus in adversos saxa coniicere. Sic, cum utrique semper instare, nunquam fugere, parati, propius rem gererent, gravis armaturae, quos diximus, accurrebant: his turpissimum erat saxa coniicere, sed in mediam ruentes aciem, clypeis scipionibusque pugnabant. Nec tamen interea cessabant saxa: videre erat pulcherrimum, hos ferire, illos cadere, alios subniti clypeo, atque in adversarios toto sese corpore inferre, implicare, ac clypeo ac scipione oculos, ora, petere. Victoria erat, medium occupasse forum, atque inde adversarios reiecisse. Omnium erat pulcherrimum, senes fenestris, ubi videndi studio consederant, desilientes adspicere, &, toga pallioque abiecto, decurrentes ad opem fugientibus suis ferendam, sistendamque fugam, nec aetatis aut reverentia, aut imbecillitate contineri poterant. Tanta erat partium aemulatio. Saepe duo millia civium in foro hoc modo armati dimicabant, nec unquam incruenta stetit res, nam quotannis deni vicenique contriti obrutique cadebant, nec perpetuo & continenti certabatur anno. Ludorum initium iam inde ab Calendis Martiis perfectos duntaxat dies, nec amplius, quam in duos, qui sequebantur, celebrari menses consueverant. Nec caesorum occasione iniuriae aut odia gignebantur, vulgo perisse, & casu, putabant, qui perissent: nec ante pugna desistebatur, quam alteri

alteri loco essent repulsi. Tum demum, quovis uno vel puero pacem postulante, praelio excedebant. Constat omnium praedicatione, nihil unquam in Italia solitum geri ferocius, inde robur & animo, & corpori, inde genti vim & strenuitatem increvisse putant. BRACHIANI milites, saepe intermixti iuventuti, ac pugnam ingressi, facile a civibus vincebantur. Fertur BRACHIVS, cum fenestra, quae foro imminebat, insidenti, nuntiaretur, perniciosum esse eius diei praelium, multosque pertinacia conteri, proinde dirimi pugnam iuberet, spectaculo intentus, respondisse: Senogalliae fieri me iubes Imperatorem. Quod tunc dici consuevit, cum imperanti nemo nisi ipsemet, qui imperat, paret. Componendis per hunc modum rebus intento BRACHIO, unum oppidum Saxumferratum detrectabat imperium, quod, nullo eo anno collato tributo, haud multo post, cum BRACHIVS Tuderti moram traheret, rebellione facta, defecerat: arx tamen, imminens oppido, & situ egregie munita, fido tenebatur praesidio. Hac re nuntiata, BRACHIVS repente, deducto ex hybernis exercitu, in Picenum contendit, occupataque munitiore oppidi parte, forum excurrit: autores rebellionis, quia capere non potuit, direptis domibus, maximo affecit incommodo. Mox, compositis rebus, Perusiam reversus, exercitum ad stativa remisit. Per hos

Deficiunt Saxoferratenses.

Mox vero a Brachio ad obsequium rediguntur.

hos dies nuntiatum eſt certiore nuntio, Odonem Columnam, cui poſtea cognomen Martino fuit, civem Romanum, ſummum Pontificem declaratum. Ad hunc Peruſini ſtatim de conſtituendo imperio, & ſumma rerum BRACHIO permittenda, miſere Legatos, inſolito & nunquam antea audito legandi more. Neque enim primores urbis duntaxat, verum ſummi atque infimi, & prope omnis aetas conſenſit, itumque eſt in ſententiam, primum pedibus, mox etiam clamore. Legationis principes fuere Berardus Camers, & Matthaeus Ubaldus, quorum opera BRACHIVS, pro ſingulari induſtria rerum gerendarum, plurimum utebatur. Poſt haec, quod reliquum fuit, hyemis, in hybernis tranſactum. Aeſtate adveniente, BRACHIVS, eductis copiis, ad Caſtellum plebis paludes Cluſinas traiecit, in Senenſium fines profectus. Cauſa traiiciendi fuit Citonienſium iuvenum fuga, qui Citonii regnabat, duos filios ad BRACHIVM militatum miſſos, nondum completo ſtipendio revocaverat, qui, ut patri obtemperarent, iniuſſu ducis militia diſceſſere. Eo traducto exercitu, BRACHIVS primo impetu oppidum altero arcem expugnavit. Senenſes, quod eorum agrum contingeret, decem millibus nummum oppidum emerunt: ſic transfugae perfidiae poenam dedere. Inter haec Legati, quos ad Pontificem miſſos oſtenderam, poſt aliquot men-

Legati Peruſinorum ad novum Pontificem.

Citonium a Brachio occupatum, Senenſibusque reſtitutum.

Iudicatur Brachius a Pontifice hoſtis reli-

menses, re infecta, redierunt, nec aliud, quam iudicatum BRACHIVM religionis hostem devotumque, retulerunt: quod seminarium futurae contentionis fuisse putant. BRACHIVS, satis iam auctis viribus, ut finitimos, quos nondum bello adierat, affinitate devinciret, Oddoni, ex concubina nato, Fulginatum tyranni filiam dedit uxorem. Stetit deinde Perusinis ex ea re, magna cum Fulginatibus amicitia. Post haec, BRACHIO ad Saxum ferratum profecto, proxima castella sua sponte venere in potestatem. Sancti Severini, magni oppidi, Dominus, veritus, ne bellum in se converteretur, misit statim de pace Legatos, qui dicerent, omnia, quaecunque essent imperata, facturum. Quibus diebus haec in Piceno agerentur, Cherubinus, parva manu missus in fines Urbivetanorum, oppida quaedam in fidem potestatemque recepit. Per idem tempus Perusiae ingens orta pestilentia, urbem non solum militari praesidio, sed fugientibus etiam per agrum civibus, spoliavit. Qua re audita, Senenses, qui iam pridem BRACHIO post captum Citonium maxime afficiebantur, centum equites, quadringentosque pedites, publico aere conductos, ad urbis custodiam misere. Gratiorem fecit eam rem ducis absentia. Hoc tam liberale beneficium paulo post inita societas excepit, & Senenses, quorum permagnae erant opes, sponte sua stipendiarii facti,

gionis devotusque,

Novae finitimorum cum Brachio amicitiae.

Inter quas eminet societas cum Senensibus inita.

cti, quotannis deinde conferenda militibus aera tribuerunt. Quae liberalitas eo maior est habita, quo ne remunerationem expetere, sed ultro beneficium accumulare, visi sunt. Secuta deinde non societas solum, sed arctior quaedam amicitia, & Senensium, & Perusinorum tutiorem habuit rem. Dum in agro Piceno moraretur BRACHIUS, misit, qui a Ludovico Firmano quatuor millia nummum repeteret, quae pecunia ex superiore Piceno bello pro redemptis captivis debebatur. Ferunt, Ludovicum, hoc nuntio accepto, respondisse, se dormire; qua voce ad BRACHIUM perlata, & ego, inquit, dormientem excitabo. Pronuntiato in sequentem diem militibus itinere, nondum orto sole, movit exercitum, miraque celeritate profectus in hostes, Falleronum, Ludovici oppidum, de subito atque improviso aggreditur. Hic trecenti equites loci praesidio impositi, cum extra portas temere praelium capesserent, ad unum capiuntur: facto mox celeriter in portas impetu, frustra repugnantibus oppidanis, intra moenia milites irruperunt, oppidumque diripuerunt. Hac re perculsus Ludovicus, cui BRACHIANORUM virtus cognita iam pridem fuerat, pecuniam misit. BRACHIUS, ingenti simulata ira, pecunia repudiata, propius castra permovit, nec ante duplicatam bello discessit. Octo millibus nummum redempta pax est. Hic BRACHIUS inquit,

Redimere coguntur pacem a Brachio numerata pecunia Ludovicus Firmanus,

inquit, quia, quod debebat, non persolvit, id persolvere coactus est, quod non debebat. His in Piceno gestis, quasi altero orbe gesturus bellum, traiecto flumine Tyberi, longis itineribus Mugnanum pervenit, quod oppidum ab Ulisse Ursino tenebatur. Exercitu admoto, veritus Ulisses, ne oppidum nullo praesidio munitum oppugnaret hostis, misit, qui bellum deprecarentur, ac sese imperata facturum dicerent. Eo in fidem accepto, in Senensem contendit agrum, Clusinaque traiecta palude, haud procul inde surgentia Cocchi Salimeni oppida oppugnare est aggressus. Cocchus, cui longe plus pecuniarum, quam militum, erat, Legatos cum quatuor millibus nummum de pace misit. Ea impetrata, tutiorem deinde habuit agrum. Continuo Lucenses petiturus, summa cum celeritate Senam prætergressus, in Florentinorum penetravit fines. Nec hic quidem demoratus, facto per Arnioram itinere, ubi flumen transivit, expeditam militum manum ad excurrendos Lucensium fines praemisit. Ipse cum ceteris subsecutus copiis, paululum substitit: mox, in agmina disposito exercitu, parata intentaque acie, ad portas usque percurrit, celeritate atque impetu, quanto nunquam antea, delatus in hostes. Causa celeritatis fuit spes Lucensium Tyranni de improviso capiendi, quem, fama erat, insana extra urbem moliri aedificia: nec illum praeterire diem, quin

Ulisses Ursinus,

Cocchus Salimenus,

Lucenses,

ad visendam eam substructionem, incitandosque operarios, cum paucis exiret urbem, magnamque diei partem operi inspiciendo consumeret: alii, non in suburbana aedificia, sed ad Castellum Pisanum, proficisci solitum, hortos ac pomoeria pensilibus muris aedificare, nuntiabant. Utcunque res esset, BRACHIVS maturandum sibi vincendamque celeritatem velocitate censebat. Quae profectio tam praeter Lucensium spem fuit, ut, vix depopulatoribus visis, tantum spatii tam subito e Piceno, veluti pennis in intimam Hetruriam crederent pervolatum, simul, qui excurrerant agrum, praedam agebant, simul ad portas ceterae constituerunt copiae. Tyrannus celeriter per adversam se recepit portam, primum agrestium, mox oppidanorum, vocibus conclamatus. BRACHIVS, ubi frustra petitum Tyrannum cognoscit, omnes simul copias quam effusissime praedatum dimittit. Lucenses, quod subitis in rebus solet accidere, tanta invaserat trepidatio, ut, obditis civitatis portis, oppugnari se statim aut obsideri, dubitaverint. Quam ob rem factae celeriter munitiones, propugnacula praesidiis completa, vigiles per stationes collocati, machinae ad hostem arcendum in moenia convectae, fossae circum urbem altissimo munitae vallo, haec omnia populi subita & incredibili celeritate confecta. Interea hostes, late populati omnia, praedae tantum coegerunt, ut totius

agri

agri Lucensis pecore agrestibusque correptis, vastata cuncta, & in solitudinem redacta viderentur. Res improvisa praedam auxit, oppidanis, quorum plerosque longa pax, & metenda colligendaque seges, in villas atque agros adduxerat, nihil hostile metuentibus. Tyrannus, bellicis rebus insuetus, tanta suorum calamitate accepta, misit, qui de pace conficienda, redimendaque praeda & captivis, agerent, commodius arbitratus, pecunia propellere ferocem hostem, quam ultimum belli discrimen expectare: nec delectus tantos habere poterat, quibus bellicosissimum hostem reprimeret, cuius conatum atque vires nemo ante id tempus, sine suo magno incommodo, contemsisset. Pax ita convenit, ut Tyrannus quinquaginta millia nummum ad biduum persolveret, partim numerata pecunia, partim Florentinorum mensariorum sponsione promissa: BRACHIUS, restituta praeda, finibus agroque decederet. Facta cum Lucensibus pace, deductoque inde, ut convenerat, exercitu, Perusiam per Florentinorum agrum eadem, qua profectus erat, celeritate revertitur: nec ulla commissa mora, facto per Fulginatem itinere ad Nursiam obsidendam contendit. Iam ad portas pervenerant copiae, cum Nursinorum Legati, de concordia occurrentes, multis ultro citroque habitis, tandem quatuordecim millibus nummum bellum redemerunt: veriti, ne nondum collectam Nursini.

messem hostis incenderet, Augustus enim erat mensis: & Nursini prope gelidissimos Italiae montes habitant, quo fiebat, ut tardius exucta frumenta, nondum meti atque excuti potuissent: & iam autumnus, altera non minor agricolarum imminens spes, aderat. Motis inde castris, profectus cum omnibus copiis in Picenum, Casteneam oppidum cinxit obsidione, nec multo post acri oppugnatione perrupit: sed, arce aliquamdiu frustra tentata, oppidum incendio vastavit, qua in re plus indulsit irae, quam humanitati consuleret. Inde Pergulam profectus, statim recepit in potestatem. Sed, iam instante bruma, tot undique exactis ad stipendium pecuniis, militem ad hyemandum dimisit, ipse cum paucis ad Esim urbem in hyberna concessit. Haec dum geruntur, Martinus, quem Pontificem declaratum ostendi, in Italiam reversus, Florentiam venerat. Qua re cognita, BRACHIVS, semper antea secutus Pontificum amicitiam, Legatos ad eum quoque, qui opem ac fidem pollicerentur, misit. Romanum imperium, multis tempestatibus iactatum, ac prope demersum, paulum sub hoc Pontifice attolli coeperat. Quae res BRACHIVM, iam tum longo intervallo futura praecogitantem, magis ad societatem impellebat. Legatis & gratiae actae, & spes foederis iniecta est, ceterum nihil certi reportatum. Eam ob rem, unum post mensem, redire Flo-

Castanea incendio vastata.

Pergula in potestatem recepta.

Mittit Brachius Legatos ad Pontificem Martinum.

Florentiam iussi, tunc quoque, infecta re, atque omni spe concordiae sublata, redierunt. BRACHIUS, ubi videt, pertinacia laborare Pontificem, omni via congerendam pecuniam censuit, ut si quid belli exoriretur, stipendium non deesset ad militem conducendum. Mittuntur igitur ad Guidonem Feltranum, qui duodecim millia nummum, reliqua ex sponsione, repeterent. Illo verba magis, quam pecunias, reddente, post crebros missos repetitores, bello ius suum statuit prosequendum. Eductis ex hybernis copiis, in fines Asisiatum, quae illius erant imperii, castra movit. Malatesta Balionio ad urbem occupandam praemisso, direpto Feltranorum praesidio, urbe est potitus. Arces duae, arduo in colle sitae, capi statim non potuerunt, sed, ne tempus vana oppugnatione consumeret, modico ad urbis custodiam relicto praesidio, Eugubium cum cetero exercitu proficiscitur: quod iter eo maturius fuit, quod prodendi oppidi spem quidam ex oppidanis fecerant. Rugerius Perusinus, cum aliquot equitum turmis praemissus, ingressus oppidum, magna vi atque impetu oppidanorum repulsus, ad subvenientem exercitum refugit. BRACHIUS, ubi videt, proditores neque ad signum, neque diem, apparuisse, in suburbia quadrato delatus agmine, leve cum praesidiariis, qui urbi a Feltranis erant impositi, praelium commisit: sed, urbe mon-

Guidonem Feltranum bello aggreditur.

tosa atque aspera situ, & hostium munita praesidio, desperata, populatus agrum, ad Gualdium oppidum reduxit exercitum. Motis inde castris, quarta die, postquam Assisium est reversus, minorem arcem a custodibus traditam recepit, decimoque inde die maiorem & ipsi quoque sua sponte aperuere custodes. Assisio subacto, Legati Florentinorum ad BRACHIUM venerunt, qui nomine quidem a populo Florentino, re autem a Pontifice missi, agere de pace coeperunt. BRACHIUS ad eam conficiendam suos & ipse Legatos Florentiam misit. Interea, confecta in hybernis hyeme, circiter Calendas Martias stipendium dare militibus coepit. Tantum enim superiore anno pecuniarum coegerat, ut nihil novis auctionibus opus esset. Milites, quo civitas belli commoda sentiret, ex stativis Perusiam convocati, hic equos, hic arma coemere iussi sunt. Omnibus celeriter comparatis, in castra copias eduxit, equitum duo millia, peditum ingentem numerum. His viribus, atque hoc belli apparatu, ad obsidendam urbem Spoletum, caput nunc Umbriae, proficiscitur. Spoletani, aliquot exulibus, qui sub BRACHIO militaverant, receptis in urbem, uno omnium consensu deditionem fecerunt. Arx erat inexpugnabilis, omnium non modo in Umbria, sed in cetera Italia, situ atque opera munitissima. Haec, arduo posita in saxo, ex altera parte urbi supereminet

Cum Legatis Florentinorum de pace agit.

Spoletum obsidet,

Atque deditione facta in fidem recipit.

Descriptio arcis.

minet, ex altera inviis altissimisque cincta praecipitiis, finitimorum montium societate, lato intervallo disiungitur. Tum ex arce ipsa pons ad montes pertinet, crebris erectus fornicibus, ac tam altus, ut despicientium oculi exorta hebescant caligine: extremo autem ponte turris alta munitaque medio in monte prosurgit, unde, quoties urbano tumultu impetus in arcem fiat, subsidium recipere custodes queant, & hostes munitum turri pontem occupare non possint. Porro naturae munimentis etiam hominum accessit industria: quippe arcem triplex latissimus praecingit murus, quam etiam sine muro natura defenderet, tam lubrico undique & praecipiti lapsu, ut vel devoluta saxa arcere oppugnatores possint. BRACHIVS, capta exteriore turri, cum & pontem libero aditu occupare contenderet, ipse quoque instrictus clypeo, egregie inter ceteros pugnam ciebat, & cautior futurus in Praelio, ne quis se Imperatorem appellaret, inhibuerat. Pugnantem emissa ab arce sagitta infimo pede traiecit: quae alte defixa humi, nec avelli pede, nec terra effodi poterat. Quod ubi gregarius advertit miles, trabem forte ad extruendam congeriem portans, accurrit, Imperatoremque BRACHIVM appellans nomine, tormento & ipse corripitur, vulnere haudquaquam feliciori: quippe traiectum telum per mediam, ut erat extensa, palmam, & trabi,

Inusitatum Brachii gregariique militis vulnus.

 quam

quam gestabat, infixum, tenaci haerebat morsu, nec deponere trabem poterat miles, nec palmam inde sine aliena ope devellere. Hic BRACHIVS, velut sui periculi oblitus, bene, inquit, habes, qui me alieno tempore vocas Imperatorem; aegreque hic terra, ille trabe diffuti, risum ceteris, nec sine suo dolore, praebuerunt. BRACHIVS, vanam oppugnationem ratus, ne quid temere aggressum militem saxa colliderent, cingendam obsidione arcem, claudendamque, etiam a monte constituit. Sed res multo egebat peditatu; nam equitum, loci iniquitas, vanam operam faciebat. Mittuntur ergo, qui militem mercede conducerent, Perusiaeque inprimis peditum haberent delectus. Perusini sponte sua mille in castra venerunt, indubitatum bello robur, praeter domesticam & insitam illi genti animorum magnitudinem, rei militaris minime imperiti. Hi, post paucos dies obsidioni relicti, egregia belli egere facinora. BRACHIVS, quod dubitabat de Spoletanorum fide, undecim obsidibus imperatis, ac Perusiam missis, extra urbem cum equitatu processit. Causa procedendi fuit, quod nuntiatum est, Sfortiam a Regina Neapolitanorum, adversus se missum, magno cum exercitu adventare. Sed, quoniam res admonuit, pauca de Regina dicere aggrediar, quo magis reliqua in aperto sint. Ladislaus Rex, cum duas uno tempore habuisset uxores, tamen sine cer-

Ortus Reginae Neapolitanorum, Ioannae, resque gestae.

tis

tis liberis & legitima prole decesserat. Factum profecto indignum tanto regno, ceterum Regis illius immanitate dignissimum. Huic mortuo Ioanna soror successit imperio, non virtute aliqua, aut prudentia, sed praecipua Neapolitanorum in regiam stirpem fide. Haec nihil mulierum natura indignum egisse in vita traditur; nam & maritos alios purpureo laqueo suspendit, alios nudos a thoro extra fines regni praecipitavit, & liberos, quos viris parere non poterat, per adoptionem nulla cum stabilitate suscepit. Quippe nunc primum Alphonsum, Valentinorum Siculorumque Regem, mox deinde Ludovicum, quem diximus, ex Gallorum gente, adoptavit. Quae res multorum malorum origo Neapolitanis fuit. Regina vel aliquo suorum hortatu, vel, quod magis putaverunt, a Pontifice sollicitata, tria millia equitum duce Sfortia mittere adversus BRACHIVM ferebatur. Qua re cognita, BRACHIVS, Perusinis in obsidione arcis relictis, cum delectissimo equitatu, nulla interposita mora, Tudertum proficiscitur. Huc profecto, Sfortiae literae redduntur, quibus significabat, nihil se contra eum moliturum: Tartaliam unum esse, quem peteret. BRACHIVS, ut erat summi consilii, cognita fraude, fere in haec verba rescripsit ad Sfortiam: Sibi quidem, quem ille peteret, incertum esse, ceterum vel se, vel Tartaliam, peteret, id contra se fu-

Mittitur ab ea contra Brachium Sfortia.

Huius ad illum literae.

Brachii mutuae.

futurum. Neminem sibi Tartalia esse cariorem, privatam amicitiam publico etiam foedere roboratam esse: proinde sciret, BRACHIUM amicum illi esse non posse, cui Tartalia esset inimicus. Mittitque extemplo, qui rem omnem Tartaliae nuntiaret, simulque diem diceret, qua die Volsenum cum omni exercitu convenirent. Inter haec Sfortia, deductis e Monte Rotundo copiis, inter Viterbium & Montem Flasconem castra collocaverat. Sed, BRACHIO diutius in Tudertinorum finibus haerente, Tartalia prior Volsenum, ut erat constitutum, pervenit. Quibus de rebus certior per speculatores factus, BRACHIUS, traiecto Tyberi, eodem & ipse contendit. Iunctis ad Volsuvium castris, missi exploratores, qui hostium iter exciperent, Sfortiam radices montis occupasse, paulatimque in cacumen evadere, nuntiabant. BRACHIUS maturandum sibi censuit, & supremum iugum magna cum celeritate occupandum. Mons Flascus ingenti est altitudine, sed, qua parte Viterbium despectat, a quo octo passuum distat millia, molli ac declivi lapsu in planitiem descendit: quá vero in subteriacentem desinit lacum, a superiore clivo quinque passuum procul a Volsuvio prosurgit: tanto finitimis editior montibus, ut longo tractu terrarum regionumque intervallo prospiciatur: nec tam altitudine, quam vini copia & praestantia, notus.

Iungit Brachius cum Tartalia ad Volsuvium castra.

Montis Flasci descriptio.

tus. Hoc monte ab utroque ducum ingenti celeritate occupato, cum Sfortia ad supremum cacumen, BRACHIVS nondum ad moenia oppidi, quod in cacumine situm est, pervenissent, modico spatio consederunt. BRACHIVS, accusata militum tarditate, exercitum ad planitiem, non satis tutum fore locum arbitratus, eduxit: non procul a radicibus montis, ratus, quod postea evenit, superiorem numero hostem aut descensurum ad praelium, aut Viterbium per saltus rediturum. Igitur, Tartalia ad se vocato, quid facto opus esset, ostendit. Primum varii dimissi exploratores, qui totam noctem in speculis vigilarent, &, cum movere hostis coepisset, quam celerrime nuntiarent. Tartaliam deinde ad extremos saltus occupandos obliquo tramite cum duabus cohortibus proficisci iubet. Ipse, ad arma per speculatores citatus, cum reliquis copiis ingressus sylvas, parata intentaque acie equorum vestigia sequebatur. Iam Tartalia non procul a Viterbio hostem anteverterat, qui paululum subsistens, properantem Sfortiam, &, quod accidit, metuentem, tam diu pugnando demoratur, donec a tergo urgentes BRACHIANAE cohortes adorirentur. Quae tanto impetu se in hostes intulerunt, ut dissipati subito, relictis omnibus impedimentis, in fugam se converterent. Et via partim angusta erat, partim recurva atque inflexa, ut non commode prae-

Sfortia a Brachio in fugam coniectus.

praeliari milites poſſent. Tum, ſi potuiſſent, ſubitus hoſtium & improviſus impetus modicum conſilium ingenti terrore diſcuſſerat. Duo millia & trecenti equites capiuntur. Sfortia prementi hoſti, plurimis acceptis vulneribus, propinquitate urbis evaſit. Tartalia poſt victoriam non procul inde ſtativa poſuit. BRACHIVS primum Tudertum, mox Spoletum, magna cum praeda, nec minore gloria, revertitur. Inter haec Sfortia, tam ſubita calamitate afflictus, belli reliquias cogere, &, qui pugna evaſerant, ingenti, ut fama erat, Reginae, ut res habebat, Pontificis ſtipendio confirmare coepit. Tartalia quoque a Pontifice ſolicitatus, magno accepto ſtipendio, cum Sfortia coniunxit. Quae res haud multo poſt infeliciter vertit. Neque enim facile nova atque incerta amicitia conſtare poteſt, ubi vetus & probata deſeritur. Pontifex, cui iam pridem inviſa erat BRACHII potentia, etſi agebatur de pace, omni tamen ſtudio proximos, cum populos, tum duces, concitare conabatur, ut, nondum confecta pace, BRACHIVM opprimeret: Sfortiam & Tartaliam iunctos alterum alteri conciliaverat. Guidum Feltranum, qui Urbinatibus & Eugubinis imperabat, cum Peruſinorum & Aſiſiatium exulum manu, ſolicitabat ad bellum. Carrariae Comitem magno cum exercitu mercede conduxerat. Angelum Pergulenſem, quem Peruſino bello victum

Tartalia a Pontifice ſolicitatus a Brachio deficit.

Mirae Pontificis artes Brachium opprimendi.

ctum profligatumque ostendi, & multos praeterea militares duces, cum duobus millibus equitum, una in castra coegerat. Undique hostiles apparatus nuntiabantur. BRACHIVS, veritus, ne tanta bellorum mole opprimeretur, antequam omnes hostium copiae unum in locum convenirent, aut confligendum cum singulis, aut distinendas, quoad posset, existimavit. Igitur ipse cum parte copiarum profectus Asisium, ut Feltranis obsisteret, reliquum exercitum in obsidione arcis dimisit. Hostes interea de coniungendis exercitibus consilia inibant. Guido Feltranus, quod de proditione Asisii per quendam agebatur, Sfortiam & Tartaliam, ut Narem ac Tyberim traiicerent, crebris nuntiis hortabatur. Quod eo faciebat consilio, ut, BRACHIO ad arcendum illorum adventum converso, Asisium sine praesidio relinqueretur. BRACHIVS interceptis nuntiis, cuncta hostium consilia, praeterquam prodendae urbis, interceperat. Nec multis post diebus per exploratores cognoscit, Sfortiam, confirmato leviter exercitu, praedatum tendere in Perusinum agrum, ad arva Clusina depopulanda, quo non solum Perusini, sed finitimi quoque, sua pecora compulerant. Iam Sfortia, transmisso flumine, leviter armatam manum ad excurrenda arva praemiserat. Ipse, firmioribus cohortibus paulululm subsistens, non multo intervallo sequebatur. Sed veritus,

Brachii ad hæc consilium.

Sfortianos praedatores dissipat.

ritus, ne, quos Urbevetanorum praesidio BRACHIVS imposuisset, redeuntem cum praeda invaderent, cautior cunctatiorque procedebat. Ubi arvis appropinquavit, exercitus, quam latissime fusi, ingentem praedam hominum pecorumque coegerunt. BRACHIVS, de hostium profectione certior factus, celeriter cum quingentis equitibus ad transitum fluminis occupandum intercludendumque hostem delatus, Sfortiae praeverterat, tanta velocitate, ut, triginta passuum millibus una nocte confectis, vix trecenti cursum eius aequare potuerint. Reliqui in itinere fessi defecerunt. Hoc in loco expectato hostium reditu, praedatorum inconditum agmen aggressus, ingenti terrore perculit: paucisque captis equitibus, praeda omnis est erepta. Sed, milite tam longo noctis itinere fatigato, persequi latius hostem non potuit. Plurima bella consilio hic dux, nonnulla invicti militis virtute, cuncta tamen incredibili celeritate, confecit. Quem hostes tot millibus passuum procul dormire crediderant, a tergo atque a fronte prius invadentem sensere, quam quidquam de eius motu vel suspicari potuissent. Praeda his, quorum erat, restituta, collectisque, quos in itinere fessos reliquerat, Asisium proxima nocte revertitur. Hic non amplius uno demoratus die, quo miles quietem caperet, in fines Eugubinorum acie infesta proficiscitur. Oppugnato Glomesio, cum

Laudatur Brachii celeritas.

cum arcem capere non posset, oppidum direptum a militibus incendi iussit. Proximo deinde vastato agro, exercitum cum praeda reduxit. Inter haec speculatores vario demissi, Sfortiae & Tartaliae adventum referebant, iam Tyberim flumen traiecisse hostilem exercitum, iam pervenisse Narniam, & Capitonum oppidum in Narniensi cepisse, etiam transfugae nunciabant. BRACHIVS, ratus, hostem ad solvendam Spoletanae arcis obsidionem venire, Asisii modico praesidio relicto, dimissis, qui Feltranorum motus exciperent, ad Sanctumgeminum non procul a Narnia movit castra, invasurus hostem, si Narem amnem traiicere aggrederetur, simulque, si quid Feltrani processissent, solita celeritate profligaret. Quod ut tutius facere posset, omnes fluminum ac montium aditus iussit occupari, interclusurus hostes, si ad defendendam arcem venire properassent. Feltranorum aliud erat consilium, qui, ubi videre relictum ab hoste Asisium, nec magno teneri praesidio, solicitare, qui prodere oppidum promiserat, coeperunt: dicunt horam atque locum. Asisium, arduo in colle situm, Fanum ad radices habet, pro moenibus omnium, quae in Italia sunt, opera & structura pulcherrimum. Hic angustum erat, tenui muro obductum, & eam ob rem paucis ante id tempus observatum, foramen. Qui proditionem agebat, Idibus Octobribus de prima vigi-

Glomesium direptum incenditur.

Sfortiae & Tartaliae obviam ducit Brachius exercitum.

Asisium Sfortianis proditum.

vigilia venienti hoſti locum aperuit. Et, quia plures aditus anguſtiae non capiebant, ſingulos ad ſe equites medio noctis ſilentio recipiebat. Iam in multas horas proceſſerat res, nec recipiendi finis ante factus, quam duo millia equitum & mille ducentique pedites eſſent intromiſſi. Qui, ubi ſuperiorem urbem, mediaque in urbe forum, occupavere, ſubito ſublato clamore, oppidanorum ſomno graves animos terruerunt, &, qui BRACHIANAE factionis erant, eorum domus fortunaeque direptae ſunt. Mox, facto nequidquam in arces impetu, cum eas expugnare nequiviſſent, munita urbis occupaverunt loca, nec caede quidem aliquot oppidanorum abſtinuere, nocte ut augente audaciam, ſic furorem cladem que tegente. Aſiſii defectione nuntiata, BRACHIVS ingenti affectus eſt dolore, cum quod urbs erat finitima Peruſinis, & aſſidui belli futura materia, tum quoniam plurimum ex ea re ſuae detractum gloriae iudicabat: ſed, ubi intellexit, neutram arcem expugnare hoſtem potuiſſe, recuperandae urbis conſilium requirebat, cui rei nulla re magis, quam celeritate, opus eſſe arbitrabatur. Igitur ſub occaſum ſolis cum mille equitibus Aſiſium verſus contendit. Vix mille proceſſerat paſſus, cum ſtatim praemittit, qui quingentos pedites Peruſia accirent, item qui, triginta imperatis obſidibus, reliquas copias, quos obſidendae Spoletanorum

A Brachio multo labore recuperatum.

rum

rum arci reliquerat, contraherent. Fulginatum praeterea tyranno literas dat, ut quadringentos pedites Spellum ad se mitteret. Ubi Spellum est festinatum, Perusini, quod longius aberant, ad diem non convenere. BRACHIVS, tanto coacto peditatu, quod montuosum futurum erat praelium, addito virtuti dolo, primum Tudertinis recuperatum Asisium, profligatumque hostem, nuntiavit, simulque iussit, ut luminaria prima, ut fieri solet, nocte per moenia turresque disponerent. Quod ideo factum, ut urbis desperata defensio, quamdiu Asisium oppugnaretur, venientem hostem retardaret. Nec consilium fefellit. Nam, cum solicitati a Feltranis Sfortia & Tartalia, traiecto Nare, ad ferendum Asisiatibus auxilium venirent, prospectis in Tudertino luminaribus, quod erat victoriae signum, tardum esse subsidium rati, non procul a Narnia restitere. BRACHIVS interea paucos ad minorem praemisit arcem, ferreos cancros, ingentemque vim malleorum, comportare, & continentem arci murum, quantum duodeni simul equites intromitti possent, demoliri, iussit: misso deinde ad occupandum superiorem montem peditatu, ipse cum equite, ante primam lucem, ad minorem se ostendit arcem. Hostes, etsi praeter civem numero praestabant, ferocitate tamen BRACHIANORVM perculsi, quam maximis inter urbem atque arcem munitionibus fa-

S ctis,

ctis, fossas, longissime ductas, vallo aggereque munierunt. Huc, quicquid usquam inventum est trabium tabularumque, congestum. Multis in locis, ubi debilitas loci maiorem exposcebat opem, ingenti saxo late ac praealte constructae maceriae. BRACHIVS, peditatu in aciem producto, equitatum omnem, qua muri erant deiecti, turmatim intromittit, dispositisque a latere sagittariis, qui oppugnantes eminus ferirent, signa in hostium munimenta inbet inferri; sed, quamvis magno facto impetu, nihil tamen in tanta congerie milites proficiebant, &, qui intra munitiones pugnabant, numero ac virtute resistentes, ubi vis hastarum urgeret, infra trabes occulebant sese. Alii, modico intervallo remotiores, eminus in hastatos coniiciebant tela, quae res oppugnationem durissimam faciebat. BRACHIVS, invidia tam subitae defectionis, incendebat militem. Feltrani, quod credebant, Sfortiam ac Tartaliam insecutos hostem, subsidio venturos, vana spe fortissime impetum sustinebant. BRACHIVS, ubi videt, frustra tentatas munitiones, directis in hostem sagittariis, triginta fortissimos delegit equites, atque ita parva manu ingens orsus est bellum. Haec simul agebat, simul aliquot pedites ad maiorem arcem secundum urbis moenia dimittit, qui praelio intentum hostem superne adorti, munitionibus averterent. Interea, qui munitiones tuebantur, & quos

quos eminus tela coniicere dicebamus, acerrime pugnantes, a ſagittariis confodiebantur. Tum BRACHIVS, propius ſignis inferri iuſſis, age, inquit, ſequere me miles: atque ita, concitato equo, primus omnium perrupit in hoſtem. Ceteri tanto virtutis exemplo, ſimul ne Imperatorem, iam inter hoſtes ſummo cum periculo dimicantem, desererent, uno globo conſerti, proſiliere intra munimenta, repenteque omnis eſt ſubſecutus exercitus, tanta vi animorum, ut nonnulli, foſſam tranſire nequeuntes, a ceteris equitibus contriti conculcatique ſint. Hoſtium milites tam diu obſtitere, donec interiora munimenta tutiore conficerentur loco. Sed haec quoque ſuperno adventu peditatus perfracta, reiectaque, victori iam militi patuere. Oppidani, conterriti, ſuas quisque domos, diuerſa fuga repetebant, atque urbis direptionem metuentes, pretioſiſſima quaeque defoſſa obruebant terra. Iam aegre a militibus repugnabatur, cum diuerſae factionis cives clypeis tecti ſuccurrere. Quae res, ut victoriam tardavit, ita maioris cauſa caedis fuit. Nuſquam pugnatum eſt atrocius, hoſtium fortiſſimus quisque trucidatus, nec quisquam, niſi vulneratus, referebat pedem. Civibus clypeatis BRACHIVS, ne equos verutis aut haſtis confoderent, Peruſinum peditem, ab obſidione revocatum, opponit: qui recens atque integer magnam civium edidit ſtra-

 gem.

compertum habuit, excubiis ac vigiliis confirmatis, rem omnem dissimulatam ad BRACHIVM detulit. Illi, re cognita, non prius de supplicio coniuratorum, quam de hostis profligatione, consilium occurrit. Summa igitur celeritate cum octingentis profectus equitibus, noctu clam urbem ingreditur, statimque civitatis portis claudi iussis, proditorem capiendum curat, cui arctissime catenis iniectis, quanto in periculo sit, & quam iuste pereat, ostendit: uno facinore recuperari posse, si eius opera Tartalia hostis interciperetur. Hac una re & famam, & vitam, recepturum, alio, quin crudelissimo, exemplo & cruciatu periturum esse. Ille magnitudine periculi, simul quod videbat frustra iam moliturum reliqua, mittit, qui Tartaliam ad urbem occupandam advocaret, dicitque & diem & horam, qua urbem esset ingrediendum. Adiecit, vigilem se ea die ad urbis stationes excubiturum, clavesque habiturum civitatis, frustra deinde rem tentatum iri, si nunc tam opportunum prodendi tempus elaberetur. Tartalia, motis a Monte Flascone castris, magna spe potiundae civitatis elatus, quod sperabat, primo tumultu alteram factionem ad arma concursuram, non cum omni exercitu, sed, quo tectior esset res, cum trecentis delectis equitibus, totidemque peditibus, ad urbem contendit. BRACHIVS intenta expectabat acie, iam ad portas pervenerant

Parum ab.

venerant milites, cum crepitum armorum intra urbem resonantium excipientes, veriti insidias, referre pedem coeperunt. BRACHIUS, dolo non procedente, instructa, ut erat, acie, magna vi & clamore erumpit in hostem, tam diu persecutus fugientem, donec Tartalia ipse cum paucis Suganum confugeret, ceteri omnes caperentur. Mox, Sugano oppugnato, suburbanisque direptis vicis, qui cum Tartalia eo confugerant, equos ad unum amisere, ipsi ad interiora oppidi se receperunt. Sed, quo minus oppido potiretur BRACHIUS, causa fuit paucitas peditatus, cum nec sagittarios quidem in subitam expeditionem adduxisset. Sunt, qui affirment, Tartaliam e moenibus appellasse BRACHIUM, multisque in veterem amicitiam commemoratis, ut obsidione discederet, exorasse. Post Tartaliam profligatum, BRACHIUS, sexaginta imperatis obsidibus, primoribus Urbevetanorum, Tudertum cum exercitu revertitur. Post paucos dies Matthaeum Ubaldum Legatum ad Pontificem mittit, ut saepe iam tentatam pacem societatemque postularet, nihil reliqui facturus, quo minus Pontifici se conciliaret. Interea Perusiam cum omnibus copiis reversus, inferendum Eugubinis bellum constituit. Motis itaque Perusia castris, Serram, Eugubinorum munitissimum oppidum, oppugnandum contendit: quod eo facilius futurum putavit, quoniam media

fuit, quin ipse caperetur.

Alius ad Pontificem Brachii Legatus.

Serra expugnata.

 hyeme

ritus, ne, quos Urbevetanorum praesidio BRACHIVS impofuiffet, redeuntem cum praeda invaderent, cautior cunctatiorque procedebat. Ubi arvis appropinquavit, exercitus, quam latiffime fufi, ingentem praedam hominum pecorumque coegerunt. BRACHIVS, de hoftium profectione certior factus, celeriter cum quingentis equitibus ad tranfitum fluminis occupandum intercludendumque hoftem delatus, Sfortiae praeverterat, tanta velocitate, ut, triginta paffuum millibus una nocte confectis, vix trecenti curfum eius aequare potuerint. Reliqui in itinere feffi defecerunt. Hoc in loco expectato hoftium reditu, praedatorum inconditum agmen aggreffus, ingenti terrore perculit: paucisque captis equitibus, praeda omnis eft erepta. Sed, milite tam longo noctis itinere fatigato, perfequi latius hoftem non potuit. Plurima bella confilio hic dux, nonnulla invicti militis virtute, cuncta tamen incredibili celeritate, confecit. Quem hoftes tot millibus paffuum procul dormire crediderant, a tergo atque a fronte prius invadentem fenfere, quam quidquam de eius motu vel fufpicari potuiffent. Praeda his, quorum erat, reftituta, collectisque, quos in itinere feffos reliquerat, Afifium proxima nocte revertitur. Hic non amplius uno demoratus die, quo miles quietem caperet, in fines Eugubinorum acie infefta proficifcitur. Oppugnato Glomefio, cum

Laudatur Brachii celeritas.

cum arcem capere non posset, oppidum direptum a militibus incendi iussit. Proximo, deinde vastato agro, exercitum cum praeda reduxit. Inter haec speculatores vario demissi, Sfortiae & Tartaliae adventum referebant, iam Tyberim flumen traiecisse hostilem exercitum, iam pervenisse Narniam, & Capitonum oppidum in Narniensi cepisse, etiam transfugae nunciabant. BRACHIUS, ratus, hostem ad solvendam Spoletanae arcis obsidionem venire, Asisii modico praesidio relicto, dimissis, qui Feltranorum motus exciperent, ad Sanctumgeminum non procul a Narnia movit castra, invasurus hostem, si Narem amnem traiicere aggrederetur, simulque, si quid Feltrani processissent, solita celeritate profligaret. Quod ut tutius facere posset, omnes fluminum ac montium aditus iussit occupari, interclusurus hostes, si ad defendendam arcem venire properassent. Feltranorum aliud erat consilium, qui, ubi videre relictum ab hoste Asisium, nec magno teneri praesidio, solicitare, qui prodere oppidum promiserat, coeperunt: dicunt horam atque locum. Asisium, arduo in colle situm, Fanum ad radices habet, pro moenibus omnium, quae in Italia sunt, opera & structura pulcherrimum. Hic angustum erat, tenui muro obductum, & eam ob rem paucis ante id tempus observatum, foramen. Qui proditionem agebat, Idibus Octobribus de prima vigi-

Glomesium direptum incenditur.

Sfortiae & Tartaliae obviam ducit Brachius exercitum.

Assisium Sfortianis proditum.

vigilia venienti hosti locum aperuit. Et, quia plures aditus angustiae non capiebant, singulos ad se equites medio noctis silentio recipiebat. Iam in multas horas processerat res, nec recipiendi finis ante factus, quam duo millia equitum & mille ducentique pedites essent intromissi. Qui, ubi superiorem urbem, mediaque in urbe forum, occupavere, subito sublato clamore, oppidanorum somno graves animos terruerunt, &, qui BRACHIANAE factionis erant, eorum domus fortunaeque direptae sunt. Mox, facto nequidquam in arces impetu, cum eas expugnare nequivissent, munita urbis occupaverunt loca, nec caede quidem aliquot oppidanorum abstinuere, nocte ut augente audaciam, sic furorem cladem que tegente. Asisii defectione nuntiata, BRACHIUS ingenti affectus est dolore, cum quod urbs erat finitima Perusinis, & assidui belli futura materia, tum quoniam plurimum ex ea re suae detractum gloriae iudicabat: sed, ubi intellexit, neutram arcem expugnare hostem potuisse, recuperandae urbis consilium requirebat, cui rei nulla re magis, quam celeritate, opus esse arbitrabatur. Igitur sub occasum solis cum mille equitibus Asisium versus contendit. Vix mille processerat passus, cum statim praemittit, qui quingentos pedites Perusia accirent, item qui, triginta imperatis obsidibus, reliquas copias, quos obsidendae Spoletanorum

A Brachio multo labore recuperatum.

rum arci reliquerat, contraherent. Fulginatum praeterea tyranno literas dat, ut quadringentos pedites Spellum ad se mitteret. Ubi Spellum est festinatum, Perusini, quod longius aberant, ad diem non convenere. BRACHIVS, tanto coacto peditatu, quod montuosum futurum erat praelium, addito virtuti dolo, primum Tudertinis recuperatum Asisium, profligatumque hostem, nuntiavit, simulque iussit, ut luminaria prima, ut fieri solet, nocte per moenia turresque disponerent. Quod ideo factum, ut urbis desperata defensio, quamdiu Asisium oppugnaretur, venientem hostem retardaret. Nec consilium fefellit. Nam, cum solicitati a Feltranis Sfortia & Tartalia, traiecto Nare, ad ferendum Asisiatibus auxilium venirent, prospectis in Tudertino luminaribus, quod erat victoriae signum, tardum esse subsidium rati, non procul a Narnia restitere. BRACHIVS interea paucos ad minorem praemisit arcem, ferreos cancros, ingentemque vim malleorum, comportare, & continentem arci murum, quantum duodeni simul equites intromitti possent, demoliri, iussit: misso deinde ad occupandum superiorem montem peditatu, ipse cum equite, ante primam lucem, ad minorem se ostendit arcem. Hostes, etsi praeter civem numero praestabant, ferocitate tamen BRACHIANORVM perculsi, quam maximis inter urbem atque arcem munitionibus factis,

ctis, fossas, longissime ductas, vallo aggereque munierunt. Huc, quicquid usquam inventum est trabium tabularumque, congestum. Multis in locis, ubi debilitas loci maiorem exposcebat opem, ingenti saxo late ac praealte constructae maceriae. BRACHIVS, peditatu in aciem producto, equitatum omnem, qua muri erant deiecti, turmatim intromittit, dispositisque a latere sagittariis, qui oppugnantes eminus ferirent, signa in hostium munimenta iubet inferri; sed, quamvis magno facto impetu, nihil tamen in tanta congerie milites proficiebant, &, qui intra munitiones pugnabant, numero ac virtute resistentes, ubi vis hastarum urgeret, infra trabes occulebant sese. Alii, modico intervallo remotiores, eminus in hastatos coniiciebant tela, quae res oppugnationem durissimam faciebat. BRACHIVS, invidia tam subitae defectionis, incendebat militem. Feltrani, quod credebant, Sfortiam ac Tartaliam insecutos hostem, subsidio venturos, vana spe fortissime impetum sustinebant. BRACHIVS, ubi videt, frustra tentatas munitiones, directis in hostem sagittariis, triginta fortissimos delegit equites, atque ita parva manu ingens orsus est bellum. Haec simul agebat, simul aliquot pedites ad maiorem arcem secundum urbis moenia dimittit, qui praelio intentum hostem superne adorti, munitionibus averterent. Interea, qui munitiones tuebantur, & quos

quos eminus tela coniicere dicebamus, acerrime pugnantes, a ſagittariis confodiebantur. Tum BRACHIVS, propius ſignis inferri iuſſis, age, inquit, ſequere me miles: atque ita, concitato equo, primus omnium perrupit in hoſtem. Ceteri tanto virtutis exemplo, ſimul ne Imperatorem, iam inter hoſtes ſummo cum periculo dimicantem, desererent, uno globo conferti, proſiliere intra munimenta, repenteque omnis eſt ſubſecutus exercitus, tanta vi animorum, ut nonnulli, foſſam tranſire nequeuntes, a ceteris equitibus contriti conculcatique ſint. Hoſtium milites tam diu obſtitere, donec interiora munimenta tutiore conficerentur loco. Sed haec quoque ſuperno adventu peditatus perfracta, reiectaque, victori iam militi patuere. Oppidani, conterriti, ſuas quisque domos, diuerſa fuga repetebant, atque urbis direptionem metuentes, pretioſiſſima quaeque defoſſa obruebant terra. Iam aegre a militibus repugnabatur, cum diuerſae factionis cives clypeis tecti ſuccurrere. Quae res, ut victoriam tardavit, ita maioris cauſa caedis fuit. Nuſquam pugnatum eſt atrocius, hoſtium fortiſſimus quisque trucidatus, nec quisquam, niſi vulneratus, referebat pedem. Civibus clypeatis BRACHIVS, ne equos verutis aut haſtis confoderent, Peruſinum peditem, ab obſidione revocatum, opponit: qui recens atque integer magnam civium edidit ſtra-

 gem.

gem: ancipiti aliquandiu pugna, tamen hostes plerique a ſagittariis ac peditibus vulnerati, deficiebant magis, quam cadebant. Equitatus anguſto loco nihil egit aliud, quam quod hoſti, paulatim cedenti, ne quando ultra procederet, reſiſtebat, cum pedites a fronte, dextra, laeva, continuo, ultro, inferentes ſigna, dimicarent. Iam ventum erat ad declivia urbis: hic primum hoſtes, iniquitate loci reiecti, manifeſtam cepere fugam. Pauci per adverſam urbis partem muro ſeſe eiecere: portis euaſere nonnulli, ceteri capti omnes. Cecidere in praelio ducenti: BRACHIANI non multi deſiderati: ceterum vulnerati complures. Inferiore deinde urbis parte, cui hoſtes, quod alterius erant factionis, pepercerant, diripienda militibus data, praeter ignobilem multitudinem, Septingentos ex hoſtibus coniecit in vincula, eosque partem Peruſiam, partem Tudertum obſervandos dimiſit: qui aliquot menſes non publica ſolum ergaſtula carceresque, ſed privatas civium domos, complevere. Exules Peruſinorum Peruſiae, Aſiſiatium Aſiſii capitali ſupplicio affecti. Qui urbem hoſti prodiderat, altiſſima turri praecipitatus: in ceteros minus ſaevitum. Dum haec ad Aſiſium geruntur, ducenti milites, qui arcem Spoletanam tuebantur, facta eruptione, vacuam & urbanis & militaribus praeſidiis invaſere urbem. Depulſi, quos BRA-

CHIVS

CHIVS ab exilio revocaverat, ipsi tenuere imperium. BRACHIVS, post devictum Assisium, in Tudertinum, ad copias hosti obiiciendas, transitumque in Hetruriam atque Umbriam prohibendum, concesserat. His diebus Bertha uxor Perusiae moritur. Haec, nobili Armannorum familia, septem & viginti annos coniugio, sterilis tamen sine prole, expleverat Eius funus magnifice celebratum, sepulchrum genere & viro dignum erectum est, denique humana atque divina persoluta omnia. Inter haec Tartalia, quanto ante id tempus amicus fidelior, tanto post violatam aut certe desertam amicitiam hostis infensior. Ut plerumque mortalium animos delicta sua exasperant, omni via tentare, virtute, dolo, quo pacto BRACHII & imperium offenderet, & dignitatem. Hic ex Urbevetanis captivis quendam solicitat, ut urbem sibi proderet, totius Italiae situ munitissimam. Multa atque ampla pollicitus, facile hominem ad proditionem impellit: dimissum ad suos, hortatur, ut rem pulcherrimam, quam occultissime posset, maturaret. Sunt, qui non captivum, sed alterius factionis hominem, solicitatum velint. Quicunque is fuerit, constat, de proditione agitatum. Coniuravere in eam rem ex civibus nonnulli, quibus suae fortunae non satis placebant. Urbi autem Malatesta Balionius paucis cum equitibus praesidebat: qui, ubi clam de proditoribus

Mors Berthae, Brachii uxoris.

Perfidia Tartaliae.

Urbe vetanos solicitat.

Spe vero sua frustratus.

compertum habuit, excubiis ac vigiliis confirmatis, rem omnem dissimulatam ad BRACHIVM detulit. Illi, re cognita, non prius de supplicio coniuratorum, quam de hostis profligatione, consilium occurrit. Summa igitur celeritate cum octingentis profectus equitibus, noctu clam urbem ingreditur, statimque civitatis portis claudi iussis, proditorem capiendum curat, cui arctissime catenis iniectis, quanto in periculo sit, & quam iuste pereat, ostendit: uno facinore recuperari posse, si eius opera Tartalia hostis interciperetur. Hac una re & famam, & vitam, recepturum, alio, quin crudelissimo, exemplo & cruciatu periturum esse. Ille magnitudine periculi, simul quod videbat frustra iam moliturum reliqua, mittit, qui Tartaliam ad urbem occupandam advocaret, dicitque & diem & horam, qua urbem esset ingrediendum. Adiecit, vigilem se ea die ad urbis stationes excubiturum, clavesque habiturum civitatis, frustra deinde rem tentatum iri, si nunc tam opportunum prodendi tempus elaberetur. Tartalia, motis a Monte Flascone castris, magna spe potiundae civitatis elatus, quod sperabat, primo tumultu alteram factionem ad arma concursuram, non cum omni exercitu, sed, quo tectior esset res, cum trecentis delectis equitibus, totidemque peditibus, ad urbem contendit. BRACHIVS intenta expectabat acie, iam ad portas pervenerant

Parum ab-

venerant milites, cum crepitum armorum intra urbem resonantium excipientes, veriti insidias, referre pedem coeperunt. BRACHIVS, dolo non procedente, instructa, ut erat, acie, magna vi & clamore erumpit in hostem, tam diu persecutus fugientem, donec Tartalia ipse cum paucis Suganum confugeret, ceteri omnes caperentur. Mox, Sugano oppugnato, suburbanisque direptis vicis, qui cum Tartalia eo confugerant, equos ad unum amisere, ipsi ad interiora oppidi se receperunt. Sed, quo minus oppido potiretur BRACHIVS, causa fuit paucitas peditatus, cum nec sagittarios quidem in subitam expeditionem adduxisset. Sunt, qui affirment, Tartaliam e moenibus appellasse BRACHIVM, multisque in veterem amicitiam commemoratis, ut obsidione discederet, exorasse. Post Tartaliam profligatum, BRACHIVS, sexaginta imperatis obsidibus, primoribus Urbevetanorum, Tudertum cum exercitu revertitur. Post paucos dies Matthaeum Ubaldum Legatum ad Pontificem mittit, ut saepe iam tentatam pacem societatemque postularet, nihil reliqui facturus, quo minus Pontifici se conciliaret. Interea Perusiam cum omnibus copiis reversus, inferendum Eugubinis bellum constituit. Motis itaque Perusia castris, Serram, Eugubinorum munitissimum oppidum, oppugnandum contendit: quod eo facilius futurum putavit, quoniam media

fuit, quin ipse caperetur.

Alius ad Pontificem Brachii Legatus.

Serra expugnata.

hyeme nihil tale ſuſpicari hoſtem exiſtimabat. Oppidum magno militum impetu expugnatum, alii direptum tradunt, nonnulli, duobus millibus nummum ab hoſte redemtum, autores ſunt. Serra capta, Peruſiam, ad augendum exercitum, reparandamque expeditionem, revertitur. Interea, qui ſpeculatum erant miſſi, omnes, hoſtium reliquias ad Eugubium conveniſſe, referebant: iis etiam Peruſinorum atque Aſiſiatium exules coniunctos eſſe. Suſpectiora haec faciebant duo duces, Angelus Pergulenſis, & Guidus Feltranus, qui cum omnibus copiis, quae ex ſuperiore bello ſuperfuerant, eodem convenerant. Huc accedebat ingens agreſtium peditatus, ex proximis accitus oppidis, qui ad multa millia in armis eſſe, quotidieque magis augeri, ferebantur. BRACHIUS, certior rerum omnium per ſpeculatores factus, Nonis Ianuariis in fines Eugubinorum, qui Appennini colunt radices, pervenit. Fuere in eius exercitu equitum non amplius mille, peditum circiter duo millia, partim quos tirones civitate delegerat, partim qui erant veterani, & belli variis periculis probati. Hac manu tripartita tres ſimul urbis portas eſt aggreſſus, tanto militum ardore, ut, hoſtibus fruſtra repugnantibus, refractis portis, multi capti direptique eodem undique impetu referentur. Sed urbs, edito in loco ſita, ſua ſe natura ſituque defendit, tum ingens

Eugubium fruſtra obſidione tentatum.

gens hoſtium ac validum erat praeſidium, ut facile vel ſaxis propellere poſſent oppugnantem hoſtem. Illud fuit omnium longe maximum, totum triduum conſediſſe intra moenia, & neque in ſuperiorem evadere urbem, neque ſuburbanis depelli ab hoſte potuiſſe, nec tamen unquam interea, nunc levi, nunc gravi praelio ceſſatum. Tertia iam die nequicquam periculis conſumta, BRACHIVS, ubi videt, nihil ſe proficere adverſus hoſtem, deſperata urbis expugnatione, ſolvit obſidionem, ſuburbiis tamen lato igni vaſtatis. Miſerrimum hoſtium oculis fuere ſpectaculum vicorum incendia: ſed nec ad ea reſtinguenda ante hoſtis diſceſſum deſcendere auſi ſunt. BRACHIVS, quicquid prope fuit agri, vaſtato, ad Fractam revertit. Hic, urgente adhuc hyeme, equitatum ad hyberna, peditem ad ſuam quemque domum dimiſit: ipſe paulo poſt Peruſiam hyemandi gratia conceſſit. Iam paululum hyemis reſtabat, cum Sfortia & Tartalia, confirmato, quoad potuerant, exercitu, in fines Tutertinorum populatum venerunt. Pauca quaedam, nec ſitu, nec opera munita, caſtella ab his capta: quae res cauſae fuit expeditionis in Tudertinum maturandae. Nec hoſtes quidem eius adventum expectavere, ſatis rati, quod imminentem Eugubino bello avertiſſent. Ergo, modico caſtellis, quae ceperant, relicto peditatu, ad ſua ſtatim hyberna, quae erant trans Tyberim

Suburbia tamen igne,

Agri depopulatione vaſtati.

Expeditio in Tudertinos ſuſcepta.

Nicolai Picinini virtus singularis.

rim, se contulerunt. Per hos dies, cum Eugubini hostium absentia latius ac licentius vagarentur, Nicolaus Picininus, cuius paulatim augebatur virtus, parva manu eorum excurrit agrum, vastavitque, ut sunt semper improvisa mala graviora, multum praedae, multum captivorum actum est. Hoc primum eius viri auspicium fuisse tradunt: nam ante id tempus gregarius miles, nec nobilitate, nec potentia clarus, semper postea virtute & gloria insignis, aetate mea ducum omnium in Italia praeclarissimus: quos tanto post se reliquit intervallo, ut, cum multi variique duces ex BRACHII familia, veluti ex militiae officina, prodierint, hic unus imperatoris sui, & nomen & exercitum retinere ausus sit, fide nemini secundus, qui & viventem BRACHIVM nunquam deseruit, &, illo mortuo, BRACHIANAE militiae assertor esse ac dici voluit; nec quidquam nunc in Italia BRACHIANORVM nomine magnificentius: quod alter maiore imperio peperit, non minore fide educavit alter. Quibus diebus haec in Eugubinis gesta sunt, Legati, qui cum Pontifice de pace conficienda iam diu egerant, Tudertum cum conditionibus redierunt. BRACHIVS, consilio Florentinorum, qui foederis autores fuerant, quo praesens pacem confirmaret, Florentiam proficiscendum constituit, commodius futurum, arbitratus, & ad benevolentiam propensius, si ipse Pontificem

Brachii Florentiam tendentis comitatus.

tificem adiisset, loco praesertim minime suspecto: ubi, si quid insidiarum in se strueretur, vindicem habiturus esset violatae fidei Populum Florentinum. Sed, quo famam sui nominis & expectationem hominum compleret, curandi erant novi ac magnificentissimi vestium, comitum, equorum, apparatus. Primum omnium familia cuncta pari vestitu est ornata: quadringenti praeterea ex omni exercitu delecti milites, vestibus armisque conspicui. Duces, Praefecti, Centuriones, argento aurove, ut cuiusque erat dignitas, vestimenta, frena, phaleras, vario labore texturaque distinxerant. Arma tam bene jussa expoliri, ut mirantium perstringerent aciem. His adiecti ex aliquot populis, quibus imperabat, Perusinis, Tudertinis, Urbevetanis, Narniensibus, Reatinis, Asisiatibus, aliquot instructissime ornati cives: turba quidem illa togatior, sed cultu & magnificentia tanta in profectione haud contemnenda; &, ne quid deesset gloriae, Fulginatium & Camertium tyranni, pari hominum atque equorum ornatu accessere comites. Rebus ita compositis, nono Calend. Martias ad iter se paraverunt. Quadringenti fuere equites, pedites haud amplius quadraginta. Ex his pars hastati, pars sagittarii; omnes utrumque ducis claudebant latus, nec usquam itineris ab illo recedebant. Prima die ventum est ad Thrasimenum, Perusini agri atque imperii terminum.

A Florentinis magnifice habitus.

num. Postridie Cortonensium ingressi agrum, hic Florentini imperii est limes, miro rerum omnium apparatu accepti sunt. Quippe Florentini per omnia ditionis suae loca dimiserant, qui transeuntibus non haec usitata & vulgaria genera cibariorum, sed rarissima & deliciosissima quaeque, ministrarent: nec ulla gens est accipiendis amicis, exhibendaque liberalitate, magnificentior. Quatuor praeterea nobiles domi cives ad eum excipiendum praemissi, continenti itinere comitati sunt: ipse armatus, tamen sine galea, procedebat; pauci erant inermes, quos e civitatibus ad honestandam profectionem delectos ostenderam, ceteri veluti ad bellum intenta pergebant acie. Tertius iam illuxerat dies, cum in agrum Florentinum traiecto flumine Arno est perventum. Hic magnificentiora videri coepta, si qua difficilius fuisset iter, limites iacebant aequati solo, saxa quaedam malleis praerupta, quaedam in dextram, aut laevam sevoluta, expeditum reliquerant aditum, modicis praeterea intervallis, frequentia exposita cibaria crebrique per montem dispositi ignes adspiciebantur, ut, cum equis descenderetur, simul cibo potuque, simul igni reficerent corpora, ubi vero ad liberam devenere planitiem, tum ingens civium obviam emissa multitudo, & Cardinalium familiae universae occurrerunt. Turbae quoque puerorum, qui studio videndi multum erant

erant progressi, late compleverant vias. Horum altissimae voces, BRACHIVM geminantes undique, exaudiebantur, nec grandiores se iam continere poterant cives, quin pari studio adducti, BRACHIVM & ipsi bis terque conclamarent. Paululum iam ab urbe aberant, cum in proximam divertens casam, positis armis, ornatissimas induit vestes, turpe ratus, si tam amicam civitatem hostili salutasset vultu. Purpureae vestes, auro atque argento distinctae, fulgebant, puniceum involucrum, veluti globus in ambitum circumductus, supra verticem latius se proferebat, nec equi cedebant, ornamenta, phalerae, aureis crispatae bullis, longo tractu per dorsum atque armos descendebant, aurea lora aureos quoque excipiebant frenos. Dum id more intercessisset, populus frequens undique extra portam corruere, & quasi deum aliquem visere, nunc toties auditum nomen, nunc invicti ducis fama & gloriae gestarum rerum occurrebat, &, quem animis vix capiebant, eum oculis satis intueri non poterant. Crescebat enim adspectandi studium imperatoria quadam & supra mortalem iucunda praesentia. Constat enim, statura supra mediocrem fuisse, facie oblonga, sanguine quodam cum dignitate suffusa, non nigris quidem oculis, sed tamen laetis, & nescio quid grave iucundumque spirantibus, membris ceteris, nisi quae vulnerum deformassent cicatrices, mirifice cedentibus,

denique

denique adſpectu erat pro tempore feſtivo & gravi, ſemper tamen imperatorio, ut inimici confeſſi ſint, quantavis in frequentia aut corona permixtum, ſtantem ſedentemve, ab ignotis unum ex omnibus pro imperatore dignoſci primo adſpectu potuiſſe. Ergo Florentinis non ſatis erat vidiſſe ſemel: quacunque ſe latior aperiret via, praetereuntem antevertebant, iterumque adſpecturi, editos occupabant tumulos, limitibus tam diu confidentes, donec praetergreſſi ducis reſpicerent terga: tum vero magno accelerabant gradu, quam diu a fronte venientem rurſus intuerentur, nec turba magis, quam clamor, faventium, & BRACHIUM iterum atque iterum reclamantium, augebatur, portas ingredientem principes omnium ordinum cives, iuventute & ipſi ſtipati, recepere medium, multi per anguſtos vicorum inflexus conculcati contritique ab equis, &, quo magis procedebatur, hoc magis complebantur omnia, magisque conclamantis plebis vocibus cuncta reſonabant. Nec ſegnius mulieres, patrio exornatae more, ad compita vicosque prodierant, illum pueri, iuvenes, ſenes, viri, mulieres, intuebantur. Nemo unquam acceptus in ea civitate magnificentius, nec tanto favore omnium civium. Non illi externi externum Principem recipere, ſed Florentinorum Regem venerari, nec maiore obſervantia, quam amore, complecti videbantur. Hac pompa comitatuque ad Pontifi-

A Pontifice perbenigne exceptus,

cis

cis atrium perventum eſt: intromiſſum ad interiora penetralia, procumbentemque ad pedes, Pontifex perbenigne complexus, excitavit, gratiasque egiſſe Deo Opt. Max. dicitur, quod aliquando tantum ſibi virum conciliaſſet. BRACHIVS, poſt Pontificis complexum, primum pedem, mox manum, ſacro more deoſculatus, ſua in ſuperiores Pontifices beneficia commemoravit, neminemque pro illorum imperio plura maioraque geſſiſſe, redactam toties ac retentam in fide Bononiam, Ladislaum non Roma ſolum, ſed Hetruria, ſed Latio toto, depulſum: graves, cum in Piceno, tum in Umbria, toleratas obſidiones, deinde pauca de fortuna ſua diſſeruit, patria pulſum diu, in exilio egiſſe aetatem, a Bonifacio deceptum, in fide tamen manſiſſe. Peruſiam urbem, in qua ipſe natus educatusque fuiſſet, non quidem Pontificibus, ſed regiis ſociis communibus, Hetruriae hoſtibus, eripuiſſe. Sic Tudertinos a Rege, ſic Aſiſiates a Feltranis deficere coactos, in ſuam receptos eſſe poteſtatem, quae omnia, etſi ad Pontificum iura pertinerent, ab hoſtium tamen manibus eſſe detracta: quam diu in Pontificum fuiſſent poteſtate, nihil contra eſſe molitum, eosdem ſe belli ſocios, quos Pontifices iuſſiſſent, eosdem amicos atque hoſtes, habuiſſe. Quae quanto maiora eſſent, tanto ſe graviore dolore affectum, quod hoſtis eſſet judicatus, quod divinae in eum imprecationes habitae, &, quicquid

ſua ipſi deſideria exponit.

quid vix in sceleratissimum quemque fieri decuisset, congressu hominum, sermone, communione, esse inhibitum, postremo templis, aris, focis, interdictum sibi esse. Nunquam se nec laesisse, nec violasse religionem Romanam, nec Deorum immortalium templa profanasse, nihilo secius, perinde quasi humana divinaque polluisset funestassetque, religionis inimicum iudicatum devotumque fuisse, quae ut multo gravissima essent, ita se posthac quam aequissimo laturum animo, fretum conscientia rerum a se pro Ecclesia summa cum fide gestarum, modo opera sua Pontifex uteretur, nunquam pro sanctissima religione defatigatum iri. Postremo orare Pontificem, ne graviora haec putaret, quam quae ipse oblivisci posset, si quid unquam fortiter pro superioribus Pontificibus ac fideliter gessisset, nunc multo fidelius gesturum omnia. Nullam iniuriam acceptam tanti apud eum fore, ut a fide & opinione laudis deficeret. Bella non magis virtute constare, quam fide, se sic a pueris institutum, eum virum esse praeclarum, quem nullae iniuriae, quamvis graves, efficere possent iniustum. Natum se sub Pontificum imperio, sub eodem & adolevisse, & patria extorrem actum, pulsis Roma Pontificibus, locum sibi in Hetruria non fuisse. Illis receptis, se quoque aliquid habuisse virium, eandem sibi, quam illis, allusisse fortunam, nec nunc quidem alieno

alieno esse animo. Habere Diis gratias, opes, quam nunquam, antea maiores, & eas ipsas non aliena ope, sed beneficio fortunae & virtute sua partas, has omnes Pontifici polliceri, venturum in bellum cum exercitu, Romani iuris oppida redacturum in potestatem, denique facturum omnia, quaecunque pro re sua facere quisquam posset. Ad haec Pontificis pauca fuere verba: Se, quicquid fecisset, coactum novitate imperii fecisse, nec magis BRACHIVM, quam ceteros, qui aliquid Romani iuris arripuissent, hostem esse indicatum: imprecationes vero & divinas illas execrationes incitamenta quaedam fuisse terroris, nihil tamen periculi habuisse, nec omnia, quae ore coram proferuntur, nocendi animo proferri. Ea iam expiata esse. Ceterum tam liberales pollicitationes grato accipere animo, iam nunc eius consilio atque ope bello paceque usurum. Haec ubi ultro citroque dicta, BRACHIVS, facta potestate abeundi, ad refertum populo, undique visendi studio confluente, vestibulum exit. Exceptus ab illis ipsis civibus, quos una comitatum profectos ostendi, Pontificis quoque stipatus familia, ad Arnum flumen, qui mediam secat urbem, reductus est. Paratae erant amplissimae civitatis domus, comites, qui venerant, suo quisque susceptus hospitio, ipse in patentissimam egregio cultu extructam deductus domum: etsi saepe alias audiverat, tum primum, quanta esset

Amica ad haec Pontificis responsio.

Maximus pulcherrimusque rerum, quoad Brachius Florentiae moraretur, apparatus.

T eius

eius urbis magnificentia, perſpexit. Parietes erant Gallicis tapetibus conteсti omnes, tum latiſſimi ſtrati tori, vacuis, ſed auro purpuraque pictis, in cubiculis eminebant: vaſa quoque in coenaculo partim aurea, partim argentea, longiſſimo ordine feriebant oculos. Huc publice, huc private congeſtae delitiae, tum epularum quicquid unquam mortalium gula potuit excogitare, aurata fercula, aurata condimenta, nam vulgares ſucci liquoresque ſorduerant, haec omnia regio cultu ſuccincta inventus honeſtabant. Nobiliſſimi civitatis iuſſi menſas ſternere, apparare atque adeſſe diſcumbentibus, quam lectiſſimi ornatiſſimique conuenerant, tum civium, qui autoritate & praeſentia pollerent, duplex confectus ordo: alteris parandarum rerum datum negotium, alteris comitandi ducis impoſita cura. Ludi quoque per ſingulos dies inſtituti celeberrimi, ubi, ne quod deeſſet Hetruſcae opulentiae, ne mulieres quidem virorum cultui magnificentiaeque ceſſerunt: has aurea monilia, has ultimo ſolis orbe petitae gemmae decorabant, denique, quicquid divitiarum in civitate fuit, publice privatimque oſtentationi datum. Poſtero die in Curiam Florentinam ad Dominos ſalutandos acceſſit; ſic enim Decemviri, quos penes imperium civitatis ſitum eſt, appellantur, duorum menſium Magiſtratus. Hic multa benigne utrinque amiceque dicta. BRACHIVS pro tanto hono-

honore, simulque pro conciliato sibi Pontifice gratias agere: Florentinus pristina eius in se beneficia commemorare, uterque se devinctum facere: Quibus ex rebus ingens est conflata benevolentia, cum vterque, sui beneficii oblitus, meminisset alieni: hinc illud tacitum & nunquam postea violatum foedus, perpetuaque cum Florentinis amicitia. Postridie eius diei, Pontificem iterum adivit, nec minore comitate acceptus, multa de pace concordiaque, multa etiam de Pontificis statu disseruit: sic totus in consultatione gerendarum rerum ille consumtus est dies. Inter haec Florentini, qui mirifice iam pridem BRACHIO favebant, Guidum Feltranum Florentiam acciverunt, quo vicini duo duces paulo ante amicissimi reconciliarentur: nec fuit difficile. Quippe BRACHIVS, commemoratis offensionibus, nec beneficia quidem suppressit, sic novum odium veteri officio sopitum, & duo Duces precibus populi Florentini eadem, qua prius, amicitia devinciuntur. Haec res non finitimos solum, sed totam Hetruriam, in pace diu continuit. Nec fefellit Florentinos, una opera & patrium bellum sedatum iri, & utrumque Ducem devinctum, concordiae autoribus fore. Iam aliquot praeterierant dies, cum BRACHIVS, quoniam alia magnificentia uti alieno in regno non poterat, equestres ludos celebrari instituit, apparatu, quanto nec

Amicitia cum Guido Feltrano restituta.

Ludi equestres restituti.

antea nec postea quicquam est usus. Fuere in ludis milites galeati centum viginti, cives etiam nonnulli, &, (quod ipsi mirantur, qui interfuere,) unis in ludis hastarum sex millia confracta. Multa Florentini priora audiverant, plura postea eiusmodi videre certamina, nullum tamen huic, neque numero cursorum, neque apparatu & pompa militari, comparandum: nec quidquam ludis ipsis, quam tanti ducis praesentia, decori fuit. Ille militem instruebat, ille porrigebat hastam: idem currentem & subsequebatur, & incitabat: quae res adeo grata fuit populo Florentino, adeoque visa gloriosa, ut nihil in ore omnium aliud, quam unus BRACHIVS, versaretur; illum interdiu per urbem universi comitari, illum domi taciti ac fere attoniti suspicere, noctu carmina per urbem, ceteris ignominiosa, illi laudem dicentia, canebantur. Primo noctis adventu, pueri, iuvenes, & ipsae ante sua limina mulieres, haec ad lyram cecinerunt: BRACHIVS invictus omnem debellat gentem, Martinus Papa non valet quadrantem, multis in locis haec eadem parietibus inscripta, nec praeconiis saepe factis parebatur, quod adeo Pontificis offendit animum, ut saepe postea Florentinis quadrantem exprobraverit, capitaleque in eos conceperit odium. Iam vigesimus venerat dies, cum, omnibus compositis rebus, percutienda erant foedera: nec deerat Sfortia,

Carmina in laudem Brachii publice recitata.

tia, qui Pontifici acceptior, omni studio ad pacem hortaretur: persuasitque, vt BRACHIVM contra Bononienses, qui paulo ante rebellaverant, cum exercitu mitteret. Hoc si faceret, Neapolitanorum regnum vacuum Rege, a mollissima invasum muliere, facile in eius venturum potestatem: cui rei, nisi procul distineatur, BRACHIVM impedimento fore. Nam regni optimates aegre ferre mulieris imperium, iam tantam eius esse inconstantiam, ut duos regni instituerit haeredes, &, cum prior displicuisset, alterum ad inferendum patriae bellum armaverit. Iturum se cum exercitu ad regnum occupandum, nec aliter fieri posse, nisi BRACHIVM, stipendio adstrictum, quam posset, procul a regno distraheret. Bononiense bellum diuturnum & periculosum fore, hoc illum aut nunquam aut sero confecturum. His verbis persuasus Pontifex, nullam pacis conditionem repudiandam constituit, modo BRACHIVS exercitum contra Bononienses traiiceret, ratus, uno tempore duplici se victoria, & Bononiensium, & regni, potiturum. Foedera in hunc modum percussa sunt: BRACHIVS exercitum omnem in Galliam traiicito. Bellum cum Bononiensibus gerito. Oppida, quae capientur, Pontificis sunto. Ante confectum bellum, neque exercitum reducito, neque ipse in Hetruriam sine exercitu redito. Pontifex equitatui

Foedus inter Brachium & Pontificem initum.

peditatuique ſtipendium praebeto. Perufini, Aſiſiates, Camarienſes, Spellani, Efini, Gualdenſes, Tudertini, ſub BRACHIIque, liberumque nepotumque imperio manento. Caſtellum plebis, Montemalboddi Rocham contractam, ipſe, filiique, nepotesque, in poteſtatem habento: quibus velint, vendunto, largiuntorve. Sed neque adverſus Romanum imperium arma ipſi capiunto, nec hoſtibus praebento auxilium. Vices Pontificum his in locis gerunto, vitae necisque in municipes poteſtatem habento: qui non parebunt, iis etiam, ſi ad Pontifices perfugerint, bellum, quantum velint, inferunto. Si Bononienſes non ſubegerit, idque culpa non fiat, Pontificis foedera rata ne ſunto. Si quid ipſeque liberique molirentur contra, funeſti profanique hominum congreſſus fugiunto. Templa ne intranto, ignem & aquam ne inveniunto, urbibus agrisque ſpoliantor.



IOAN-

IOANNIS ANTONII CAMPANI, EPISCOPI APRVTINI, DE VITA ET GESTIS ANDREAE BRACHII, PERVSINI, ITALICAE MILITIAE IMPERATORIS OLIM STRENVISSIMI,

LIBER QVINTVS.

ICto in eum modum foedere, BRACHIVS, quo expeditionem maturaret, Perusiam ad conducendum militem, cohortesque ex hybernis deducendas, revertitur, non minore a Florentinis dimissus honore, quam acceptus. Ergo, novo dinumerato stipendio, primum confectam cum Pontifice & Feltrano pacem a praecone declarari iussit, totoque animo intentus ad bellum, ad paucos dies profectionem militi pronuntiavit. His diebus legati Ariminensium Perusiam venere, petentes, ut natam ex concubina filiam Roberto, Pandulfi Malatestae filio, desponderet: quae res hoc facilius est impetrata, quod genus Malatestarum inprimis clarum atque antiquum habebatur. Post haec, antequam in Galliam traiiceretur, pulcherrima coepta aedificia: primum testudinem pro foro quam longissimo protendendam, muros deinde

Novum paratur contra Bononienses bellum.

Natam ex concubina filiam Roberto Malatestae despondit.

Nova coepta aedificia.

inde civitatis reficiendos curavit, & qua devexior est urbs ad orientem, praecipitem lapsum, ut plerumque labes fierent, altissimis erectis fornicibus aequavit, alterum nunc urbis rerum venalium forum. Simul haec curabantur, simul, quae ad novam profectionem expedirent, arma, equi, milites, parabantur. Nec multis post diebus, exercitus parte collecta, quo reliqui celerius sequerentur, octavo Calend. Maias, vexilla ad arva Clusina iussit promoveri: ipse biduum in urbe componendis rebus, & magistratibus creandis commoratus, tertio die eodem contendit. Hic, quoad omnes convenirent copiae, expectaturus, ac loci usurus commoditate, (quippe pabuli atque ligni mira feracitas,) dum ad Thrasimenum moram traheret, Nardum Vetulum, veteranum quidem militem, sed tunc fugam ornare cupientem, iuvenis famulus accusavit: iussum ingredi tabernaculum, ac causam dicere, vultus sanguisque defecerat, mox, accito tortore, cum proposita novi exempli tormenta expavesceret, nihil, inquit, opus est quaestione, tuo accepto stipendio, tamen ad Sfortiam properabam, cum quod aere premebar alieno, & arma atque equos vendere durissimum erat mihi, tum quoniam & id ipsum, quod acceperam, a te stipendii consumseram, & ille duplicare promiserat: una fuga & aes alienum non reddere, & integram accipere mercedem pote-

Nardus Vetulus, fugae reus, suspensus.

poteram. Haec confessum, proxima in arbore suspendi iussit, dataeque perfidiae poenae, nimis durae fortasse: sed nullum erat scelus, quod ille tam gravi puniendum supplicio putaret, semper alias transfugas & proditores supra, quam sibi expedierat, exosus. Nonis Quintilibus, cum undique conducti milites unum in locum convenissent, lustrato exercitu, inventa sunt equitum arma ferentium duo millia, calonum peditumque fere totidem: ex his plerique erant sagittarii. Hac manu tantum gesturus bellum, facto per Cortonensem agrum itinere, ad Tysernum urbem, vel, ut hodie vocant, Castellum, pervenit. Hic per exploratores de Sfortiae apparatu cognoscit, nec credidit quidem primo, sed in dies sine certa causa maiores habiti delectus rem verisimilem faciebant. Hac re diligentius explorata, cum omnia suspicionem augerent, mittuntur clam, qui ad Reginam cuncta perferrent. Movebat eum partim mulieris imbecillitas, auxilio non tamen magis, quam consilio, digna: partim, quod verebatur, Pontificem, occupato regno, tanta imperii accessione facta, omne in se bellum conversurum. Sed Regina, praeter mulierum naturam, nullo pacto, ut fidem adhiberet nuntio, adduci potuit, verita, ne fraude bellica decepta, Sfortia a se alienato, sine duce, sine armis destituta invaderetur. BRACHIVS, ne quid ad Tysernum traheret morae, superato ce-

Iter in fines Bononiensium susceptum.

Apparatus Sfortiae bellicus.

Ad Reginam frustra delatus.

leriter Apennini montis iugo, in hostium fines traiecit. Adscito sibi Angelo Pergulensi, eius adventum in itinere cum septingentis equitibus expectaverat, a Legato Pontificis mercede conductus. Interea Bononienses, tanto belli apparatu cognito, undique petiverant auxilia, duces complures accitos, in Galliam partem intra urbem subduxerant, partem per oppida atque agrorum dispartierant, denique tantum roboris collectum, ut non obsistere solum hosti, sed vincere, posse confiderent. Equitum habuere tria millia & quingentos, peditum incertum, sed tamen ingentem, numerum, quos ex omni acciverant Gallia: sed duces erant varii, quorum neque animi ad bellum, neque auspicia, conveniebant. Gabrinus, Cremonensium Tyrannus, Albericus novellus, Loisius Vermes, Symon Canusinus, & alii permulti, quorum nec res gestae, nec nomina ipsa erant contemnenda. B R A C H I V S, primo statim ingressu, castra posuit non amplius, quam quinque millia passuum procul ab urbe: quae res, ut magno civibus terrori fuit, ita ducibus, qui militaris rei erant periti, spem fecit hostilis exercitus profligandi. At B R A C H I V S, quo magis irritarentur ad praelium, simulque, ut eorum tentaret vires, ultro signa moveri ad vrbem iussit: cum vero mille passus moenibus appropinquasset, ceterum exercitum paratum, intentumque ad pugnam, in ponte, quem vocant Crucitate, dimittit, ad-

Bononiensium copiae atque duces.

Brachii cum Loisio pugna.

monitis

monitis praefectis, ut non prius inde moverent, neve pontem desererent, quam ipse movendi signum fecisset: ipse cum octoginta lectissimis equitibus, centumque pari robore peditibus, ad urbis usque vallum processit, ut & provocantium ad praelium, & respondentium, captarentur voces. Huic Loisius, unus ex ducibus, quem dixi, ea tempestate clari nominis, egressus urbem, cum trecentis occurrit equitibus, coeptaque levis est pugna. BRACHIVS, veritus, ne multitudine circumveniretur, misit, qui signum daret. Quo signo quindecim galeatos equites vocari iubebat, nec quidquam in illo duce ordine & celeritate insignius fuisse constat, qui, ubi advenere, iussi expectare pugnae exitum, &, si qui portis egrederentur, observare, aliquamdiu praelio abstinuerunt. Sed, nemine egrediente, pugnam & ipsi capessentes, conglomerati recto per viam cursu dant sese in medium hostem. Horum tanta vis fuit, ut equo Loisius hasta ictus excuteretur, eius milites perturbati, partim, qui erant animo praesentiore, ut iacentem ducem excitarent, equoque imponerent, acerrime resistebant, partim moliebantur fugam, veriti, ne omnis simul adventaret exercitus. Capti sunt ex hostium equis octoginta, triginta caesi, milites utrinque sex desiderati. Loisio fugiente, magna urbani praesidii egrediebatur manus, qui, spectata ex moenibus pugna, atque hostium spreta paucitate,

citate, fugientibus suis sero auxilium ferebant. BRACHIVS, parva quidem, sed pro loco atque numero insigni, potitus victoria, ad castra rediit. Haec, ut prima pugna, ita felici auspicio gesta, nimis hostium depressit animos, contra BRACHIANI ab re bene gesta belli avidiores facti, pars late praedatum ire per hostium fines, pars, si pari robore hostis ad praelium exiret, paratique pro portis armati pugnam expectare, interdum excursare ad urbem, & moenibus haerentem hostem contumelia lacessere. Bononienses metu belli primum omnes vires in vrbem contraxerant, sed mox populatione agri permoti, ducum alios aliò oppidorum praesidio dimiserant, qui, etsi oppugnationes fieri prohibebant, liberum tamen praedatoribus relinquebant agrum, nec totis uno in loco resistebatur viribus, nec collatis signis usquam dimicabatur. Iam milites, late circumvecti, quotidiana praeda castra stationesque compleverant, nec parva & expedita peditum manu, sed gravi equitum mole, fiebant excursiones, nullumque dabatur quieti tempus. Tum Bononienses haud multo gravius ab hoste, quam urbanis atque oppidanis praesidiis, urgeri, hostes foris, illi domi, cuncta absumebant, erant alendi equi, tecto recipiendi, sustentandique milites, nec quidquam magis, quam pudicitiae periculum, civibus timebatur: promiscue praefectos cum mulieribus, milites cum ancillis,

Brachianorum praedationes.

cillis versari, tectorum cogebant angustiae. Uno bello variae erant obsidiones, agrestes nisi agmine in campos pabulatum lignatumque exire minime audebant, praesidia magis hostium fines furtim praedatum incurrere, quam a praeda hostem prohibere. Quae res mature conficiendo bello plurimum profuit. Oppidum erat Bononiensium, Medicina, munitum, opulentumque: hic cives initio belli quadringentos equites praesidio locaverant, qui multitudine ducum magis, quam peritia freti, saepe & ipsi in proxima exibant Pontificis oppida, &, qua hostis non immineret, licentius, quam opus erat, fusiusque praedae cupidi vagabantur. At BRACHIVS, & oppidi & praesidii fama pellectus, dum eo quasi exploratum octoginta cum equitibus proficiscitur, forte in itinere frequentia equorum comperit vestigia, quae, Medicina egressos, Oriolum versus contendisse, ostendebant. Hac re animadversa, BRACHIVS, quod crebra erant & recentia, praedatum, inquit, hostes exiere, bono (si Diis placet) omine perreximus, milites, quo dirigunt vestigia, prosequamur hostium incautam aciem: atque ita tritum equis ingressus iter, multo spatio quadrato processerat agmine, quacunque occurreret, invasurus hostem. Aliquot passuum millia progressis, non procul ab Oriolo, ingens praedatorum exauditur clamor, pecora & captivos late agentium. Oppidani

Praedantes, qui Medicinae praesidio erant locati.

ad Oriolum

pidani, qui non erant capti, in tuta se receperant loca, nec alium populationis finem, quam hostium discessum, sperabant, nec terruit BRACHIVM multitudo, quippe pedites erant quadringenti, equites trecenti, sed eorum (ut est industria militaris) pars collectam agebant praedam, utilior numero, quam bello, manus, pars armis atque equis magnifice fulta, subsidio parata perveniebat. Permittit equum in hostes BRACHIVS, milites quoque concitant suos, & ducem, quanto possunt, impetu subsequuntur. Atrox hic praelium, nec praelio remissior exoritur clamor. Hostes, periti locorum, repente, ubi palustres traiecere fossas, ad vada substitere, atque omnes transitus celeriter occupavere, illinc prementem a tergo militem repulsuri. Fossae erant perangustae, ut, nisi hostis a fronte repugnasset, facile transilire milites potuissent. Iam &, qui praedam agebant, ad ferendam suis opem recurrere ad fossam. BRACHIANIS, dum pro vallo dimicarent, equi a pedite confodiebantur, ita nec transilire poterant vallum, nec hostibus praedam relinquere statuebant. Exaudiunt interea oppidani clamorem, BRACHII nomen, ut fit, in praelio resonantem, subitaque spe elati, ut in certamen iretur, alter alterum hortabatur, nec ira magis illati belli, quam amissae praedae dolor, animos incendebat. Corruunt undique ad BRACHIVM agrestes oppidanique, quibus confestim productis

ctis in aciem, & equiti admixtis, quadripartito agmine tenditur in hostem; qua fossae transitus pateret, agrestes ostendunt. Equites, auxilio peditum usi, pars lato campo circumvecti, fossa traiiciunt, pars intenti bello, dum hostis ad superiorem equitatum vado arcendum contendit, fossam & ipsi celeriter superant, praelium aequo gesturi loco. Sed, eorum impetum cum hostes sustinere non possent, fusi fugatique, non modo dimisere praedam, sed ipsi quoque in praedam cessere. Capti equites centum & octoginta, duces octo, praeda oppidanis restituta. Nec quidquam mirabilius, quam a paucis victoribus, tot captivos vinci, trahi, ligari potuisse. Singuli milites binos ternosve contrahebant. Hac victoria reversus in castra BRACHIVS, utendum occasione ratus, omnem armari exercitum iubet, motisque celeriter ad Medicinam castris, perfractis aggeribus, & altissima, qua muniebatur, completa fossa, oppidum milite, scalis, machinis, invadit. Oppidani, superiore praelio magna praesidii parte spoliati, portas victori aperuere, seque eius permisere potestati. Nihil hac celeritate clarius Bononiensi bello. Haec cum allata Bononiam essent, ingens trepidatio civium animos invasit. Nec oppidum erat, in quo plus spei praesidiique imposuissent. BRACHIVS, Medicina capta, propius ad urbem movit castra, graviore bello pressurus

a Brachio fusi fugatique plerique capiuntur.

Medicina expugnata.

rus

rus obsessum civem: & milites tantum iam animorum conceperant, ut urbana praesidia non pluris facerent, quam si armis atque equis illa caruissent. Tum, quod antea non erant ausi, solo agmine incursiones facere, & veluti desertum ab hoste agrum passim libereque populari. Hostes non magis bellum, quam fames, urgebat, quam subducta in urbem praesidia maiorem in dies acrioremque faciebat. Inter haec secutae aliquot dies continuae pluviis, plurimum difficultatis importavere militi: quippe solum natura coenosum, ac palustre & lubricum, ubi pluvia quoque dissolvitur, ne equis quidem satis pervium est, sed media aestate, ubi primum cessavit tempestas, coenum, aestu soleque duratum, facilem reddidit incessum aequato solo. Interim, obsessa urbe, parte copiarum ad occupandum omnem agrum castellaque dimissa, intra paucos dies omnia venere in potestatem. Iam urbs universis copiis, &, quod aegrius civis ferebat, a suis etiam agrestibus, obsidebatur, nec deerant urbana praesidia, quae levia interdum praelia committerent, sed ab hoste, frequenti victoria elato, saepe intra munimenta repellebantur, nonnunquam, cum aliter effugere non possent, in suburbanas se praecipitabant fossas. Nec ullum ex tot bellis ab hoc duce gestum felicius, nullum praeter Pontificis spem celerius convectum, & in quo minus sanguinis perfusum sit. Bononienses

ses amisso agro, cum nec auxilia commeatusque suppeterent, & fame gravi urgerentur, emittendos de pace Legatos decreverunt. Principes civitatis erant Bentivolii, ut tunc publice Pontificis hostes, ita olim BRACHIO privata amicitia & familiaritate coniuncti, a quibus leopardi insignibus donatum, quidam autores sunt. Eos BRACHIVS per Legatos hortatur, ut suae se fidei permittant, nihil iniuriae passuros esse. Igitur Antonius Bentivolius, facta deditione urbis, parvo comitatu ad BRACHIVM in castra venit, paulo post ad Pontificem deductus honestatusque, semper postea in fide permansit. BRACHIVS, Bononiam reversus ad res urbanas componendas, simulque vectigalia, diu intermissa, exigenda, paulo post Perusiam redit. Hunc exitum habuit Bononiense bellum, altero mense, postquam geri coeptum est, BRACHII ductu auspicioque confectum. Bononia subacta, quod reliquum erat aestatis, BRACHIVS, dimisso exercitu, urbanis aedificiis consumsit. Inter haec Sfortia hortatu Pontificis cum omnibus copiis profectus Neapolim, ad arcem novam instructa contendit acie, iussaque ad fenestram vocari Regina, hactenus, inquit, tuum stipendium secutus sum, nec fide, nec vigilantia, tuendo imperio defui, quanta potui, ope tutatus & regnum & dignitatem tuam. Nunc tua tibi reddo signa, felicia sane ad hunc

Ipsa Bononia recepta.

Sfortiae expeditio Neapolitana.

diem, & a me nunquam in hoc regno sine victoria cum hoste collata. Nunc alius tibi quaerendus dux, stipendii, quod acceperam, id omne finitum perfectumque est, ad hoc tempus rem tuam sic gessi, ut & mea fides, & regni tui dignitas, requirebat, nihil est amplius, quod tibi a me meoque exercitu debeatur. Ad haec Regina, tum demum sentiens, vera BRACHIVM monuisse, primum dissimulata ira precibus retinere armatum ducem conata, mox terrere minis coepit, postremo, cum nec precibus, nec minis, proficeret, contumelia agere, & accusare violatam fidem. Nam ita repente destitutam esse, quanquam finito stipendio, tamen proximum esse perfidiae. Tum in suo regno aliena contra se invecta arma, & amicitiae specie comparatum, paulo post hostem futurum exercitum, hoc plus quam perfidum videbatur. Denique, muliebri succensa ira, illum transfugam, illum proditorem, appellare, concitareque Neapolitanos ad arma contra novum ac subitum hostem capienda. Sunt, qui affirment, Sfortiam, Reginae contumelia irritatum, sagittas in eam iussisse intendi, atque ita illam fenestra discessisse, quae res magnarum rerum initium fuit. Neapolitani minus aegre, quam decebat, Reginae iniuriam tulisse videbantur, vocati ad arma, nec omnes, nec frequentes, concurrerant, tanto postea suspectiores, quanto tunc vindicandi negligentiores

res

res habiti. Fama eſt, Sfortiam, facto per inermem populum tranſitu, conſenſu civium urbe egreſſum, evaſiſſe. Mota ſubito diverſa bella, regni Proceres plerique ad Pontificem defecere, regiae quoque urbes & cum his Appuli, Lucani, Calabri, Samnites, fecere rebellionem, ſoli Neapolitani, Campani, Venafrani, & cum his pauca oppida, in fide manſerunt. De Reginae rebus modo tam late imperatis actum videbatur, nec prope erat, unde auxilia peterentur, & undique adſtabant feroces ab nova rebellione hoſtes, nec imperium modo, ſed ſpes quoque brevi defectura videbatur. Nam unde gentium imploraret opem? Arma hoſtium undique circumſonabant, optimates, ſemper alias ſuis auxiliati Regibus, Pontifici adhaerebant, reliqua Italia partim Romanis armis, partim Gallicis Regibus, quos illa expulerat, favebant. Alfonſum, Valentinorum ac Siculorum regem, quem filium ſibi adoptione fecerat, in Hiſpania morantem, terrae mariaque longo intervallo dividebant. Sicilia, quanquam erat propior, nihil eius Regis iniuſſu parabat auxilii, &, quia pecunia in ſtipendium opus eſſet, ea exinanito aerario, vectigalibusque ad hoſtem translatis, non extabat. Tot circumventam malis, etiam externae opis deſperatio ſubibat. Nam, etſi primo ſtatim belli initio Legatos ad Alfonſum miſerat, durum erat, tam procul venientem expectare Regem, cui

U 2 nec

nec naves essent, nec milites parati: sic, antequam delectus militum, remigum, equorum, haberentur, hostis, omnia occupaturus, imminebat. Inter haec Legati ab Hispania rediere, simulque Regis ad eam venere Legati, monentes, quando Rex non ita statim traiecturus in Italiam esset, nondum parata classe, nec equitatu, quo plurimum esset opus, conducto, interea contra Italica arma Italicam opem implorandam. Et iam ad BRACHIVM Regina saepe antea respexerat, tum vero, hortatu Legatorum omni abiecta cunctatione, petendum ab eo auxilium constituit, rata, id quod necessitas suadebat, resisti hostibus ab alio posse nemine. Hunc unum invictum bello ducem fama praedicari, hunc Pontifici terrori esse, tum, quod magis impellebat, eundem de Sfortiae defectione primum admonuisse, iam tum, nisi esset ingrata, initium amicitiae factum. Adiecere etiam Legati, Regem ipsum, virtute fideque adductum, spem omnem in eo duce recuperandi regni posuisse. Mittuntur ergo ad BRACHIVM a Regina Legati, & cum his, qui a Rege venerant, una iussi proficisci. BRACHIVS, exercitu in Perusinum reducto, quod reliquum erat labentis autumni, militem inquiete habiturus credebatur, cum nec belli facies usquam appareret, & anni tempora paulo post adventu hyemis quietura a bello videbantur: milites pars in Tudertinum ad hyberna,

Mittuntur ad Brachium a Regina Legati.

hyberna, pars in Perusinum ad suas quisque stationes dimittuntur, ipse cum paucis in urbe Perusia submovendis civium contentionibus, aedificiisque excitandis, remansit. Sed Tudertini, quod a Sfortiae ac Tartaliae militibus, qui superiore anno pauca in eorum agro occupaverant castella, infestarentur, quaestum venere. BRACHIVS, in Tudertinum contendens, deducta ex hybernis parte copiarum, circumsedit hostem, ac brevi delevit, sed, ubi ex militia & labore secutum est domesticum otium, cogitatio animum incessit ducendae coniugis, & sobolis procreandae desiderium, quod & cives & amici omni suadebant studio. Quaeritur digna tanto viro uxor, cumque multae in mentes multorum occurrissent, Nicolam, Berardi Camertis sororem, desponderi placuit, ut tanta benevolentia duorum Principum sanguis etiam coniunctione firmaretur. Nec res diutius est dilationi data, idem mensis & desponsionem & nuptias vidit. Perusinorum apparatus ac pompae magnificae satis fuere, sponsa recenti matris morte lugubrior incessit, tyranni Fulginatium & Fabrianensium interfuere nuptiis, ornatu, quanto nunquam antea quisquam maiore. Centum tota urbe delectae mulieres, sexagintaque ancillae in comitatu, Camertes, Perusini, Fulginates, Fabrianenses, Tudertini, vestitu ornatuque certabant. Sexaginta purpurati tubicines, totidemque pares tibiae, anteibant

Nuptiae Brachii, cum Nicola, Berardi Camertis sorore, celebratae.

teibant sponsam. In urbe lautissimae usque ad delicias parata omnia, nec magis reliquo ornatu inter comites, quam tripudiis, cantuque, & publica decreta pompa, decertatum. Nuptiis patrio more celebratis, ne nimis uxorius censeretur, in Tudertinum colligendi sui ab civilibus studiis gratia concesserat, cum horrendum & atrox nuntiatur facinus. Fulginei & Nuceriae regnabant tres fratres; ex his unus, cum saepe Nuceriam pergeret, in arcem divertens, forte in custodis uxorem coniecit oculos: nec multo post verba facta exceperunt. Custos dominum in adulterio deprehendit, dissimulat in tempus iram, &, quo altior caderet vindicta, tres simul fratres interficiendos cogitat. Quod ut efficere possit, tyrannos, & cum his aliquot cives, venatum ad saltus Nucerinos invitat. Duo fratres Nuceriam magna canum turba contendunt: tertium Trebulanum, nam illis quoque imperitabant, ad feliciores ludos vocaverant forte, & Berardum Camertem, qui paucis ante diebus Fulgineum venerat, Nuceriam compellunt. Cum vesperi ad urbem atque insidias pervenissent, adulter & Berardus frater, intra arcem recepti, diversis in cubiculis dormitum eunt. Custos, prima vigilia utrumque agressus, adulterum occidit: Camertem coniecit in vincula. Peracta caede, alter frater, qui ad amicum noctu in urbem diverterat, prima luce, tanquam a fratre accitus in

Custodis Nuceriae horrendum & atrox facinus.

in arcem, eodem, quo ille, telo interimitur. Fulginates, qui una venerant, pari ſcelere & ipſi vinciuntur: facinus in occulto erat. Interea tam nefandae caedis autor, quo populum ad rebellionem excitaret, primores urbis, ad concionem pro foribus vocatos, hortatur, ut ad libertatem recuperandam arma caperent, ſimulque docet, duos tyrannos in vinculis teneri, eos ſe paulo poſt necaturum, non auſus quidquam de caede fateri ante concitatum populum. Cives, contemta hominis temeritate & perfidia, ne tantum facinus agitaret, neve a fide deficeret, admonebant: praeſto fore tanti ſceleris ultorem Nucerinum populum, nec tam procul inde Fulginatium fines eſſe, adventurum ſubſidio reliquum fratrem, nunc locum eſſe poenitentiae, interceſſuros ſe pro venia, ſi conſilii tam temerarii poeniteret. Ille, ubi videt, fruſtra de rebellione tentatum, duos ex ſatellitibus emittit, qui, neſcio, quam reliquam familiam, extra Fulginatium & Nucerinorum fines aſportarent, veritus, ne, ſcelere patefacto, tyrannus ſaeviendi facultatem haberet. Illi tamen rei atrocitate permoti, primum incerti, quid acturi eſſent, multis ultro citroque agitatis, tandem rem omnem deferre ad tertium fratrem decreverunt, tutius rati, liberos tyranni gratiam inire, quam obſeſſos in arce omnium odia in ſe convertere, nec perfidiae ullum eſſe diſcrimen, quippe, ſi conticuiſſent ſcelus,

communem dominum, sin aperuissent, custodis fidem esse violandam. Nondum a Trebula redierat, eunt recta satellites ad tyrannum, & rem omnem, ut sese haberet, patefaciunt, duos fratres occisos, Berardum & Fulginates arctissime devinctos esse. Ille, celeriter Fulgineum sine sella reversus, BRACHIO tam nefariam caedem & Berardi periculum nuntiavit, orans obtestansque, ut ad sceleris ultionem auxilio veniret. BRACHIVS, novitate exempli graviter commotus, simul, quod amici tam in gravi periculo deserendi non essent, militi, qui aderat, subitam edicit profectionem, reliquos e stationibus evocari, & se celeriter sequi iubet, ipse, non expectato militum adventu, cum paucis Nuceriam est profectus, missoque ad custodem caduceatore, percontari iubet, cuius hortatu, aut quanam causa tantum facinus admisisset. Ille, nullius hortatu, sed suo impulsu, fecisse respondit, causam vero, si nulla subesset alia, satis magnam esse, suorum quaesisse libertatem, & cum publicam omnium, tum privatam suam, iniuriam vindicasse. BRACHIVS, totum triduum in obsidione commoratus, dum reliquae convenirent copiae, omnia, quaecunque ad oppugnationem usui viderentur futura, scalas, trabes, machinas, comparaverat. Ornata erant varia oppugnationum instrumenta, ut, si uno non proficeretur, multis simul, diverso modo, diversis locis, oppugnationem

Ad quod ulciscendum Brachius Nucerium proficiscitur.

tionem tentaret. Quarto die arcem undique simul adoritur, admovit muro, quae paraverat, prosiliunt intra primas munitiones milites, custodis parentem, & praeterea novem & triginta satellites, qui pro moenibus pugnabant, subita vi corripiunt, trahuntur in forum manus pedesque revincti. Tyrannus, fratrum interfectoribus prospectis, rabie magis, quam ira, concitatus, parentem, ante oculos occisum, canibus dispartit: satellites vario supplicio diversis in locis affici iubet: quippe statim alii in crucem sublati, alii equis distracti periere, nonnulli subito ferro trucidati, plerique quatuor in partes secti, expositique per trivia, & suae perfidiae, & tyrannicae crudelitatis, fuere exemplum, oculosque inimici foedissimo satiavere spectaculo. Sed interiorem arcis ambitum, quanquam defensoribus vacuum, altiores cingebant muri. Custos, ubi, deiectis propugnaculis, suffodi ad radicem cuniculum, & turrim ferro excidi, cognovit, ut omni ex parte ultus moreretur, uxorem, suspicientibus hostibus, supremo turris fastigio praecipitavit: dubium tamen, ne in potestatem inimici deveniret, an ut suae tam graviter exceptae libidinis poenas lueret. Iam hostes cuniculo in turrim editi, inferiorem superaverant testudinem, fratres superne se acerrime defendebant; stricti erant in subeuntes gladii, nec comportata in eum usum deerant saxa. Illi

Qua expugnata, auctores sceleris gravissimas poenas luunt.

parietes, illi tecta evulsa deiiciebant. Ingens militum sine mercede discrimen segniores affecerat animos. Tum BRACHIVS, magna strue sarmentorum & stipularum comportari iussa, flamma atque fumo inferiora turris complet atque incendit. Simul oculi caligine fumante defecerant, simul tabulata accepto conflagrabant igni. Hoc malo subactus custos, cum iam nec incoctos lapides vellere, nec hostem intueri posset, BRACHII potestati se arbitrioque permisit. Sic milites, occupato cacumine, iussu ducis custodem fratremque, quod illi paulo ante in muliere docuerant, lapsu altissimo praecipitavere. In mortuos quoque a tyranno saevitum, sic crudele facinus nescio an crudelius punitum est. Per hos ipsos dies Legati Reginae ac Regis, quos dicebam, ad BRACHIVM venere, ostendentes, quanto in periculo res esset, nisi celeriter occurreretur, orantes, superiori, quo Reginam admonuisset, aliud maius adderet beneficium, ferretque perditis ac prope afflictis rebus auxilium, non ingratos Regem ac Reginam futuros: stipendii nunc acciperet, quantum opus esset ad exercitum Neapolim traducendum: ubi eo ventum foret, pecuniarum satis habiturum: pretio preces adiecere. Misereret imbecillae & nova fraude deceptae mulieris, non defuturum, si quid usquam esset iustitiae, causae suae Deum. Nec quidquam in

Reginae Ioannae, Regisque Siciliae Legatorum instantissimae preces.

in bello magis valere, quam caufam. Sufpiceret tam iuftum bellum, cui, fi etiam fortuna deforet, officium profecto & humanitatis opinionem non defuturam. Regis Legati, ne quid ipfi negligentius agere viderentur, fortius locuti, maxima quaeque pollicebantur. Inprimis amicitiam potentiffimi Regis, cuius opes late mari terraque paterent: iret modo in regnum, anteverteretque, paulo poft venturum auxiliarem Regem, iam milites, claffem, commeatus, in parato effe, nam, quo minus celerius in Italiam traieciffet, hyemis importunitatem fuiffe impedimento. Regna atque imperia nulla re magis, quam amicitia, conftare. Cogitaret, quantum fplendoris confecuturus effet, tanto in Regem collato beneficio, nullum effe mortalium eo gratiorem: hoc beneficium eo futurum acceptius, quo minus ante id tempus interceffiffet confuetudinis. BRACHIVS, cum altiora volutaret animo, non putabat committendum, & Pontificis opes eo magnitudinis procederent, ut fibi foret aliquando ab nimia illius potentia metuendum: itaque Legatis refpondit, indignum fe putare amicitia tanti Regis, fed ultro oblatam, tanto gratiorem futuram, quanto minus fperatam. Reginae vero iam pridem affuiffe, quamobrem, hoftium perfidiam quominus patefaceret, fuftinere nequiviffe. Ceterum ad hanc tam fubitam expeditionem opus effe multa pecunia. Mili-

Brachii refponfio.

Milites, quod magnam partem aestatis in otio transegissent, equis armisque deficere. Tum in augendas copias novum militem conducendum. Ad haec Legati respondere: Habere se in mandatis, quod opus esset pecuniae, a Florentinis mercatoribus, quorum affines & cognati per eorum urbes negotiarentur, peterent, eos aut pecunias, aut sponsiones, daturos. Atque ita, missis utrinque Florentiam, quibus hoc negotii datum est, ducentorum millium nummum sponsiones acceptae, pauca etiam enumerata pecunia. BRACHIUS duodecimo Calendas Apriles, stipendio clam militibus dato, quicquid usquam in Hetruria inventum est peditum equitumque, conduxerat. Paucis post diebus, imminente iam aestate, exercitum in expeditionem eduxit: primum fuit in Picenos iter. Carrariae Comes, qui Esculanis imperitabat, vicinitate regni adductus, cum ceteris coniurasse, & occulte intulisse bellum Reginae, ferebatur. Hic, ubi subitum tanti Ducis adventum intellexit, cum nec parem exercitum, nec tantum autoritatis gratiaeque haberet, & Esculani factiones agitarent, Legatos ad eum misit, orans, ne quid in se suosque fines hostile moliretur, nihil secum inimicitiarum intercedere, a quo, si qua in re Perusino bello fuisset offensus, id belli iure, non animi malevolentia, factum: parendum iis fuisse, a quibus militari more stipendium accepis-

Item alia Legatorum.

Nova Brachii expeditio.

Carrariae Comes per Legatos de pace transigit.

cepisset, non subesse causam, cur nunc tandem bello peteretur: non illum a se, non Reginam lacessitam, nec se quidem negare, hostes commeatu frumentoque iuvisse, verum id libertatis suae fuisse indicium, non illati belli. Si Reginae milites frumentum aut commeatus petivissent, non fuisse illis, ne nunc quidem esse negaturum, neminem BRACHIO fideliorem futurum amicum, si bello abstineret. BRACHIVS, commodius ratus, nihil morae in Piceno committi, quo minus mature in intimos regni fines contenderet, Legatis respondit: Se quidem compertum habuisse de illato Reginae bello, ceterum, si filium obsidem dedisset, excussurum finibus, ac pro socio amicoque habiturum. Mittitur statim in castra filius, quem, summo honore exceptum, BRACHIVS cogendo agmini praeposuit, non magis obsidis fide, quam militaris praefecti virtute, usurus. Inde primum excussum bellum, mox, quanta potuit celeritate, profectus in Samnium, frequentiorem invenit hostem. Samnites universi rebellaverant: horum principes Laureti & populi comites, coniuratione inter se facta, ad Castilionem oppidum omnes convenerant: inde impedituri BRACHII transitum, omnibus occupatis itineribus, oppida, qua foret in intimum regnum aditus, validioribus munierant praesidiis, arbitrati, quod erat existimandum, si hostem vel paulo retar-

Filiumque obsidem mittit.

Hinc contendit Brachius in Samnites.

tardassent, difficiliora Reginae futura omnia: labi interea reliquam aestatem, & Sfortiam, Reginae cervicibus inhaerentem, excluso Campania BRACHIO, ante victam Neapolim repelli non posse. Nec BRACHIVM hostium consilia latebant, quocirca maturandum sibi magis ac magis intelligebat, etsi nihil hostile a tergo statuebat relinquendum. Igitur, permotis ad Castilionum castris, veluti statim oppugnaturus, varia machinarum instrumenta praeparabat. Nec oppidum erat natura satis munitum. Comites, novo & nunquam antea viso apparatu conterriti, non expectandam oppugnationem, decreverunt. Emissis, qui dicerent, imperata facturos, paulo post in castra & ipsi exiere, receptique in potestatem, in pristinam Reginae fidem redierunt. Hos BRACHIVS, ad maiorem ceteris incutiendum terrorem, simul, quo plus esset autoritatis, castra sequi iussos, ducum habuit numero: deducto celeriter ex eorum finibus exercitu, ne quid socius ager caperet detrimenti, Placentum contendit, Pelignorum oppidum. Hic tres hostium centuriones praesidio erant impositi: satis magna ad defensionem manus, nisi, excussa ratione, pavor animos invasisset. Circumsidebantur iam infesto exercitu, &, quae oppugnationi usui erant futura, proximorum montium sylvis comportabantur: minae quoque auxere formidinem; quippe ducis, nisi

Quos aeque in fidem recipit.

Sequuntur Placentini.

nisi oppidum dederent, ultimum supplicium minitantis, voces audiebantur. Igitur, non expectata pugna, sese dedidere. Sic Placentum parato quidem, sed non tamen coepto, praelio devictum est. Placentinis proximi erant Sulmonenses, qui & ipsi quoque secuti fortunam, paulo ante a Regina defecerant. Itur signis infestis ad populandum primum agrum. Sulmo, Pelignorum caput, circumlabente clauditur flumine, sed nec tam alta aquae profunditas, ut vel peditatu superari non possit. Sulmonenses, conspectis cis flumen hostibus, veriti, ne subita oppugnatione victi captique diriperentur, Legatos, qui bellum deprecarentur, emisere, cum fama invicti ducis, tum subita Placentinorum defectione conterriti, nec iam ullas vires aut praesidia restitura existimabant: iussi Magistratus Reginae, praesidiumque accipere, nulla mora imperata fecerunt. Sulmone subacto, BRACHIVS, ne quid celeritati suae obstaret, simul, ut iam sociorum consuleret fortunis, quam maturissime copias inde deduxit, motisque ad Capiiugum castris, quod oppidum Iacobus Caudola obtinebat, vir, nobis pueris, nobilitate & potentia clarus. Cum oppidani omnem pacis conditionem reiecissent; magna vi militum expugnati, ut primi tentavere hostium impetum, ita primi sustinere non potuerunt. Omnia praeter libera corpora mulierum puerorumque, praedae mili-

Sulmonenses.

Capiiugum expugnatum.

Iacobus Caudola Brachianos, qua potest, fugit.

militibus data. Non procul inde magna hostium convenerat manus, dux erat Iacobus Caudola, quem diximus, cuius imperium tunc quidem in Samnio, postea vero reliquo in regno, longe ac late patuit. Hic, omnium Reginae infestissimus, Samnites partem compulerat bello, partem precibus ad rebellionem sollicitaverat. Qui, audito adventu hostis, nihil magis veritus, quam celeritatem, quantum usquam inventum est copiarum, comparaverat, egressusque per Furcas Pelignorum in aciem, ut a fronte cursum properantis retardaret, octo millibus passuum procul ab hoste consederat: tenditur in eum infestis signis, qui & numero & animis militum impar. Ubi videt hostem, celerius, quam fuerat opinio praelio paratum, adventare, in proxima refugit castella. Partito deinde exercitu, quacunque penetraturus videbatur hostis, firmissima obiecit praesidia, maxime omnium Castellumsangri valido peditatu equitatuque munierat. Oppidum est, medio in transitu prosurgens, situ egregie munitum. Huc ubi ingentem equitatum missum, BRACHIO per transfugas est nuntiatum, partem copiarum per latissimam, ut in montibus, dimittit planitiem (quinque millia enim passuum in longitudinem patens, a mensura nomen accepit,) iis imperat, ut hostem ad bellum irritarent. Ipse cum reliquis copiis modico intervallo suis auxilio est

est subsecutus. Hostibus deinde oppidum deserentibus, & per suprema iuga montium ferarum more fugientibus, ad castellum Sangri celeriter proficiscitur. Oppidani, non expectato impetu, portas statim aperuerunt, & paulo ante deturbata Reginae signa pro foro atque moenibus sustulerunt. Dum haec a BRACHIO geruntur, Sfortia, magnis coactis copiis, Cantalupum, ad arcendum Campania hostem, provenerat: huc ceteros Pontificis Duces, Praefectos, Centuriones, & quicquid obiici hostibus posset, unum in locum convocaverat. Tot deinde simul duces in agrum Suessanum, inter paucos Italiae fertilissimum, contenderunt. Erant in hostium castris Iacobus Caudola, Fabricius Campanus, Michilectus, & Sfortia Cotignolani, omnes & tunc clari viri, & postea multo clarissimi duces. BRACHIVS, quanto numero inferior erat, tanto militum animis & virtute praestabat: qui, ubi de hostium discessu cognovit, motis a Sangro castris, factoque per agrum Venafranum itinere, ad urbem Cales obsidendam profectus est. Cives postridie, quam obsessi sunt, deditionem fecerunt. Inter haec Legati Campanorum ad BRACHIVM venerunt, petentes, ut Capuam ad delendas hostium reliquias proficisceretur. Non procul ab urbe Capua templum est celeberrimum, quod vicus frequens hominibus cingit colitque, supra templum ingens

Castellum Sangri in fidem receptum.

Duces Pontificis a Sfortia convocantur.

Cales a Brachio recepta.

Legati a Campanis ad Brachium missi.

exsur-

exſurgebat turris: eum locum Sfortia paucis ante diebus occupaverat, &, quod ab urbe non amplius quam duo paſſuum diſtabat millia, duos praefectos militares, & ſub his trecentos lectiſſimos equites, praeſidio collocaverat. Hi noctes ac dies Campanorum infeſtabant agrum, civesque intra urbem magno cum detrimento detinebant. His de rebus, cum Legati quaeſtum veniſſent, BRACHIVS, firmatis ad Cales rebus, caduceatorem Capuam praemittit, atque edici iubet, ne ſuis militibus, qui paulo poſt erant tranſituri, neque publice, neque priuatim, quidquam cibi potusve daretur, neve hoſpitio ſuſciperentur, nec a cauponibus tabernariisve quidquam iis venderetur. Eadem in caſtris a praecone militi ſunt denuntiata, quod eo fecit conſilio, ne quid properaturum ſtatim exercitum retardaret. Sequuntur quadrata agmina caduceatorem tanta celeritate, ut pari ſemper intervallo graviter armatae cohortes unius inermis curſum adaequarent. Traiicitur ad Capuam Vulturnus amnis, facto per mediam urbem tranſitu: ſic paucis horis, octoginta decurſis ſtadiis, ad vicum perventum eſt. Invaduntur terribili clamore imparati hoſtes, nihil tale ſuſpicati, ſubitoque ad unum capti ſpoliantur. Eunt deinceps oppugnatum turrim, eamque ex omni parte levis armaturae milites adoriuntur, ſed ingens altitudo vanum faciebat militum conatum: eius ſum-

Huius Edictum.

Dolo hoſtes bis circumventi capiuntur.

summum verticem tres hostium milites defendebant. Ex his forte duo erant Perusini, quos patria per factiones exulantes ea fortuna iactaverat. Hos BRACHIVS hortatur, ut turrim ac se ipsos dedant, promittit liberos illaesosque futuros. Vana erant ducis verba. Illi se nunc pro fide pugnare aiebant, nunc saxa in eos, qui turri appropinquarent, deiiciebant. BRACHIVS, vincendam dolo pertinaciam, statuens, sagittarios post ianuam vicinae domus collocat: ipse domum egressus armatus, captatum de industria sermonem trahit, ex his duo colloquentes, nihil veriti insidiarum, plurimis uno momento clam sagittis traiecti sunt, nec multo post clamant, ut conditione reciperentur. Sed ira percitus BRACHIVS, nisi eius se arbitrio permittant, omnem conditionem repudiat. Pacta deditione, Perusini quidem suspenduntur, reliquus autem est dimissus illaesus, sive quod graviter erat vulneratus, sive quod tanto sunt indigniores iniuriae iudicandae, quanto minus alienus est, qui committit. Non procul inde latissima & quadrata prominet turris, Herami vocant accolae, vetustum opus, & ad mediam prope altitudinem lateritia massa confectum, quam hostes initio tot simul rebellionum cum per fraudem occupassent, quod opera erat munitissima, ut a paucis defendi possit, modicum praesidium imposuerant. BRACHIVS, solus

profectus ad turrim, atque equo circumvectus, ubi, omnibus diligenter exploratis, videt, turrim humana vi, nisi ad multum temporis, expugnari non posse, & hic quoque militari usus est dolo. Primum viginti pedites inter munitionem turris & frutecta, quae circa fossam exortae sylvae speciem praebebant, occultari iubet: duos deinde primae lanuginis adolescentes, qui fugam simularent, paulo ante primam lucem emittit castris. Non procul a turri subterraneae latent magnifice extructae testudines, opus vetustate antiquius: nam & simulacra veterum apparent Deorum, & vestigia speculis mirifice distinctis accipiunt diem. Quadrati operis tria latera aditu patent perangusto, exitus ad vetustissimum Campanorum vergit Theatrum, Criptas vocant Campani, praeclarumque antiquitatis monumentum. Supra testudines quam latissima strata est via; inde fit, vt icta pedibus transeuntium terra late sonet. Ea res arcis custodibus pro vigiliis erat, quippe cum terrae velut clamantis sonitum audirent, excitati statim ad propugnacula decurrebant. Adolescentes, ubi ad cavernas devenere, quo fugam magis simularent, de industria terram altius vehementiusque feriebant. Experrecti eo strepitu custodes, quinam essent transeuntes, percontari minarique coeperunt. Illi, ut erant edocti, fugere se e BRACHII castris, & ad hostes Mata-

Matalonium pergere, cum respondissent, vestium involucra reiecta tergo, fugam verisimilem faciebant. Orare deinde voce supplici coeperunt, ut, qua esset iter ad Matalonium, illic enim erant hostium stationes, ostenderent. Custodes, rati, adolescentes furto quidquam, ut fit, abeuntes surripuisse, pars itineris longas ambages nectere, pars clam adversa turri scalis delapsi, faciunt in eos impetum. Illi, fictis inter preces lachrymis, resistentes manibus elabi, nec tamen multum, conabantur. Ecce, qui frutectis insederant, de improviso repente adorti, magno clamore, stricto gladio circumsistunt homines, tribusque ex his captis, curritur confestim ad arcem, quam vacuam praesidii ac desertam existimabant. Tum, qui tutelae erant relicti, e turris fastigio saxa iacere, peditesque propellere coeperunt. Captivi, revincti post terga manus, ad BRACHIUM deferuntur: ille perduellionis agendum in eos, quod a Regina deficientes, praeter ius imperii rebellassent, & novo supplicio ad triremim mittendos, cum decrevisset, quo supplicio nihil auditu est acerbius, ex his unus, cum saepe antea durissimos eos labores, famem, sitim, algorem, sordes, verbera, &, quod immanius est, incuratas aegritudines, semivivas mortes, in mare deiectas intellexisset, procumbens ad pedes, flebili voce, per Deum atque hominum fidem obtestabatur, ut, quo

 vellet,

vellet, supplicii aut mortis afficeret genere, potius quam ad triremem destinaret, ubi inter perpetuos labores deficienti esset moriendum. Cum parum proficere lachrymis, nec flectere ducis sententiam videretur, prodere turrim, si se dimitteret, promittebat. Id perque Deos, perque homines iuratus dimittitur. Nec fefellit, reversus ad turrim, cum evasisse vinculis simularet, receptus a custode, proxima nocte, immissum recepit in fastigium turris hostem. Dum haec ad Capuam geruntur, Neapoli res in angusto erant, hinc finitima & iam ante muros bella, hinc durior bello fames urgebat, tum aliquot hostium triremes, ne quid in urbem commeatus frumentique importaretur, libere omnem maritimam oram excurrebant. Neapolitanorum fides, quod adversus Sfortiam non statim cepissent arma, plus suspicionis, quam periculi, afferebat Reginae; quae tot circumventa malis, ubi advenientem BRACHIVM, atque iter sibi, quacunque tenderet, victoria facientem, intellexit, deposito paululum metu, tamen solicita, ne quem tumultum fames excitaret, mittit, qui BRACHIVM cum omnibus copiis Neapolim advocarent, rata, id quod res fuit, eius adventu hostes procul inde diffugituros, & totius agri vicos atque oppida reditura in fidem, frumentique, quantum opus esset, in urbem convectura: simul quod per crebros nuntios afferebatur, Alfonsum Regem,

Angusta res Neapolitanorum.

gem, magna parata classe, nihil aliud, quam priorem BRACHII adventum, expectare, iam Hispania solvisse, iam Siciliam, nec multo post Drepanum, appulisse. Quae res BRACHIO maturandae profectionis causa fuit, ut venientem mari Regem terrestri praesidio exciperet. Motis igitur castris, Marsanesium, opulentissimum ac maximum agri Campani oppidum, in ipso itinere adortus, expugnavit, diripiendumque militibus concessit. Hic Trasaccus, hostium centurio, dum acriter defenderet moenia, pugnans occiditur. Postridie in fines Neapolitanorum profectus, omnem agrum biduo subegit, frumentumque imperavit. Positis deinde ad Phanum divi Antonii castris, non amplius, quam duo millia passuum, ab urbe, Regis adventum expectabat. Interea Populus Neapolitanus frequens in castra, videndi studio salutandique, ut cuique erat dignitas, confluere: iam commeatus abunde urbi, mari, terraque, suppeditabant, (nam hostium triremes, metu regiae classis, in intimos se Caietae sinus receperant) & agrestes carris ac iumentis farinam comportabant, statimque, ad supplementum urbanae annonae, missae in Siciliam duae naves onerariae. Iam Rex, classe ad Prochytam delatus, triremem, quae eius adventum nuntiaret, Neapolim dimiserat: sed, quo paratior ingrederetur urbem, ad Castellum Ovi, cinctam un-

Marsanesium expugnatum.

Adventus Brachii Neapoli.

undique mari arcem, classem appellendam, atque inde terrestri acie adeundam urbem, statuebat. Hac re cognita, BRACHIVS eodem cum omnibus copiis proficiscitur, &, quo commodior ac magnificentior descensus in terram foret, asseribus trabibusque proximis e locis comportari iussis, quam longissimum intra mare pontem aedificavit, &, qua fundum asseres non attingerent, asseribus substratae naviculae pontem & ipsae faciebant: tanta quidem altitudine, ut pons suprema navium adaequaret tabulata. Regia classis apparere iam in alto coeperat, confluunt Neapolitani agmine ad occupandum pontem, quo suis ipsi manibus venientem exciperent novum Regem. At BRACHIVS militem partim secundum utraque pontis latera disponit, partim extra pontis aditum in aciem quam structissime producit. Ubi terrae appropinquavere navigia, simul clamor toto exoritur littore, tubarumque clangor late circumsonat: simul aeneae bombardae, quas longo ordine prima littoris ora intendi iusserat, excutiuntur. Nec regii milites defuere. Illi tubis, illi tympanis & minoribus bombardis, circumpatentia maria ingenti plausu resonare faciebant, & nauticum nescio quid dulce tota complens littora, omnium aures barbarica suavitate mulcebat. Regia navis, ne quid suspicionis osten-

Eiusdem coniunctio cum Rege Siciliae.

ostenderetur, prima littori admota, Regem intra pontem edidit: hic, incertum, nimio pondere, an aedificantis inertia, duo simul asseres Regi sub pedibus defecerunt. Sunt, qui factum id per iocum putent, simulque ut diripiendae regiae navis occasio militibus foret. Rex praecipiti lapsu inter asseres in substratam decidit quadriremem, multaque perfusus sentina, sive illud omen, sive iocus fuit, in risum non minorem sibi, quam ceteris, convertit, qui, qua die, qua hora haec scribimus, post octo & triginta, quam haec gesta sunt, annos, vita decessisse nuntiatur. Ingens Italiae regnique iactura, quae parem ante hoc seculum neque potentia, neque moderatione habuit neminem. Pontem egresso pergit obviam BRACHIVS, ut procumbens ad pedes regio more salutaret, sed tanta fuit Regis in levando celeritas, ut, porrecta dextra, quam oscularetur, laeva procumbere incipientem excitaret, saepe ad longum complecteretur excitatum. Sed, quae salutationes, qui mutui complexus, quae & quam amica intercesserint verba, is demum potest cogitare, qui, re diligentius mente agitata, hoc quoque considerabit, incognitum ante id tempus Regem, eumque potentissimum, & cum aliis multis, tum maxime Balearibus insulis, & praeterea Siciliae, Corsicae, Sardiniae, Cataloniae, Aragoniae, imperitantem, exigua & certe terrestribus praeliis inutili classe, ad media hostium ar-

ma venientem, aliena gente, diversis moribus, varia lingua, solum inter instructam militum aciem ad hominem venisse, etsi genere nobilem, certe fortuna novum, atque in eius se manus potestatemque coniecisse, cuius fidem, etsi antea saepe audiverat, raro tamen quisquam tanta in re esset expertus. Denique, ultimo facto periculo, Italicae fidei, tot simul destituta regna, &, quod omni regno clarius, libertatem, corpus, animam, commisisse, quae quanto erant maiora, tanto perfidos quidem magis incitare ad facinus, fideles vero caritatis atque officii admonere potuerunt. Post haec universa classis, duae & viginti triremes, in quibus erant equitum duo, sagittariorum totidem millia, cum aliquamdiu iussu Regis mari substitisset, littori paulatim appropinquavit. Desiliunt tandem in arenas regiae cohortes, Italam gentem armatam armatae salutantes; nec arctior Imperatorum, quam militum, fuit complexus: & sunt Hispani ceteris nationibus natura blandiores. Placuit deinde Regi, ut una urbem, neutri eorum antea visam, ingrederentur. Quod ubi Reginae est nuntiatum, totam urbem magnifice iussit apparari, quanto maximo poterat, honore acceptura & Regem, quem filii loco habitura esset, & BRACHIUM, cuius ope paulo ante amissum regium culmen recuperare speraret. Fit ergo, quicquid undique excogitari potuit publici privatique

Magnificentissimus utriusque in urbem ingressus.

vatique ornatus, nec civitas eſt toto terrarum orbe, quae tantam hoc tempore nobilitatis & magnificentiae habeat opinionem. Nec tamen famae ipſa rerum facies cedit, hic urbis aedificia altiora, quam alibi turres, & ea ipſa plus ad oſtentationem, quam commoditatem, erecta, foris ornatiora, quam intus. Hic prope coelum tangentia complura templa, hic regiae ſex arces, quarum aliae perpetuo clauduntur mari, aliae muniuntur terra, quaedam partim mari, partim terra, cinguntur. Huc totidem accedunt ſedilia, (ſic enim appellantur civium diurna receptacula,) quae mirifice inter ſe, ut nobilitate, ſic etiam opibus magnificentiaque, contendunt. Hic equeſtres ludi frequentiores, quam alibi convivia; tum civilium rerum & muliebris mundi tanta luxuries, ut faſtidio iam ſint etiam, quae pretioſe iudicantur. Nec usquam tanta vaſtitas elatioque nobilitatis, mercatores iis & opifices contemtui ſunt. Ceterum ipſi, etiamſi domi pauperes, tamen otio dediti, cetera ſtudia, praeter militaria, contemnunt, &, quaecunque honeſte opes parant, tanquam inimica nobilitati deteſtantur. Ergo adventu Regis omnia publice privatimque ſupra modum adornata, parata templa, expurgata fora, &, quacunque eſſent inceſſuri, aulaeis, auro purpuraque per pulpita diſtinctis, interlucentia late radiabant. Omnem tamen ornatum ſuperaverant magnificentius exſtru-

cta

cta sedilia. Hic mulieris cultu praesentiaque Neapolitanae, tripudiis & cantu regium & BRACHIANVM nomen in coelum tollere, laudes duorum Principum intermiscere, transeuntibus audiebantur. Rex, quo tutior urbanis insidiis foret, ad Castellum novum, munitissimam Italiae arcem, recipitur. BRACHIO privatae quidem, sed tamen amplissimae, urbis aedes datae. Postridie eius diei Regina BRACHIO, ad se vocari iusso, primum gratias egit, quod hostilis perfidiae admonuisset, nullo adhuc foedere coniunctus: adiecit deinde, sero quidem, sed tamen aliquando, Deo, sibi, suoque regno, consuluisse, quod eius amicitiam adepta esset, iam tunc eius fidei vitam fortunasque committere, illum exercitus facere Imperatorem, illum urbibus, oppidis, arcibusque praeficere, penes eundem creandorum abdicandorumque magistratuum, & denique exigendorum vectigalium, ius & potestatem fore, sed, quia haec verecundius accipi, quam dari, videbantur, statim BRACHIVM, Fogiae, quae est Appulorum civitas, Comitem, & Capuae Principem, declaravit, &, ne quid regiae potestatis deesset, perpetuum copiarum omnium Imperatorem, Connestabulum illi vocant, & totius regni gubernatorem, designavit, idque postridie a Rege post coenam in convivio confirmatum, qui, aureo porrecto sceptro, quod tibi, inquit, Regina mihique bene vertat,

Novi Brachii honores.

vertat, hunc ego BRACHIVM meique tuique exercitus Imperatorem facio. Accipe tu hoc aureum ſceptrum dextra manu, in hoc ego tibi pariturum me, quicquid bello iuſſeris, promitto, iuroque: promittite vos, qui me ſecuti eſtis, iurateque parituros. Cum milites ac duces Hiſpani & Neapolitani ſceptrum coniuraſſent, converſus ad unum BRACHIVM, graviſſimis eum verbis ad regni defenſionem eſt hortatus, nec defuere ſummi ducis laudes. Ut, inquit, hoc te bello, tam nefarie nobis illato, praeficeremus, non magis tua virtus nos impulit, quam fides: altera quidem, ut poſſis tueri dignitatem noſtram, altera, ut velles, promittebant nobis. Quod reliquum erat, ne privato imperio rem gereres, fecimus, regia ut eſſes poteſtate, &, ubi ferro decernere ſederet animo, non magis regni noſtri, quam tuae gloriae, ſubires diſcrimen. Non te neceſſitas huius belli ſuſcipiendi, propter anguſtias rei familiaris, non domeſticae calamitates, pertulerunt: ſatis tibi, Diis gratias, cum rerum aliarum, tum maxime imperii, eſt: gloriae quoque dicerem eſſe ſatis, niſi maior foret, quam ut nos eius parte contenti mortales ſimus: &, quam imperii tui termini non capiebant, alio tu diffundendam exiſtimaſſes. Latius enim mortalium nomina, quam geſta, pervagantur. Illa quidem cum periculo brevem ſibi gradum faciunt, haec cum laude

Oratio Alfonſi ad Brachium.

de summa quam latissime proferuntur. Nec me imperandi cupiditas huc gentium pellexit: stultum enim fuisset, pro incerta spe certissimum deserere patrium atque avitum regnum. Sed, quo Italiam fama nominis implerem mei, nec dubito, multo me pluribus hodie, quam heri, esse notiorem. Sed haec fama nominis, si honesta est, quo plus profertur, eo plus habet gloriae: si turpis, nihil est, quod non defoedet. Satius est, ignotum intra vestibulum latere, quam cum ignominia per hominum ora linguasque versari: illum nemo accusat, omnes hunc detestantur. Nec quidquam tam est gloriosum, quam bella cum fide gerere, contra nihil turpius, quam, ubi belli ac vitae periculum subeas, gloriam laudemque contemnere. Nec tamen idcirco haec commemoro, ut suspectior mihi sit hodie tua fides, quam heri fuit, cum reliqua longo intervallo classe, solus atque inermis, in tua castra desiliebam: sed alia quaedam est ratio, vicisti Hetruriam, Bononienses brevi subegisti, fortissimum Regem pepulisti Roma, (nam ad nos quoque rerum a te gestarum pervenit fama, & sumus Reges etiam externorum curiosi) nulla cum gente bellum habuisti, quam non statim superaveris: nec tamen maior victoriarum tuarum, quam fidei, praedicatur gloria. Quo tibi hoc bello ut & virtuti & fidei consulas, vehementius est enitendum, ut nec fortunam fati-

ſatigaſſe tuam videaris, nec minus integer, neſcio, an etiam magis aliena in re, poſſis videri, quam in tua. Totum hoc bellum cervicibus tuis conſtat: ſi qua ex parte tanta moles excutietur, neſcio, an propter hoc ipſum perfidum, certe, quem ante invictum putabant, vinci te poſſe homines iudicabunt, gloriaque illa tua priſtina multum intra opinionem recedet. Copiarum habebis, quantum voles, Diis gratias, terra marique pollemus: hoc unum vide, ne ſaepius confligendum putes, quam anceps illa & ſemper varia belli fortuna patiatur. Succumbit enim aliquando virtus, quae nimis ſaepe cum temeritate in diſcrimen adducitur. Habes duces, habes praefectos, quorum opera in bello uti poſſis. Non ſemper ipſe te committas fortunae, cum per alios obire pericula poſſis. Boni quidem imperatores ſemper conſilio, nonnunquam etiam praeſentia, rem gerunt. Saepe vel modico imperatoris ictu cadit exercitus: haec, etſi pro gloria non fugienda, non tamen ſaepius tentanda ſunt, quae nulla re magis, quam frequentia, poſſunt mortalibus accidere, & temeritas eſt ſaepius, quam neceſſe ſit ſubire periculum, tum nihil periculoſius, quam nimis ſaepe vel ſecundam tentare fortunam. Proinde ita haec velim accipias, ut belli dilationem non minus hoſtem, quam nos ipſos, fatigaturam putes: maturitate opus eſt nobis,

nobis, non festinantia. Sic acerba decussa poma, ramum plerumque frangunt, matura sponte sua cadunt. Nec tamen pugnandi tibi, quotiens velis, eripi libertatem censeas, ego quoque, si ire in bellum tecum, una iubeas, pugnantem sequar, etiam in manifestum discrimen, sed novi, quanti sint ardores animorum iis, qui bella gerunt, quam moleste occasionem rei bene gerendae soleant expectare, & pro victis habeant, quos pares esse cognoscant, ubi tamen fortunae temeritas valet plurimum, nobis tum demum confligendum est, cum non speratum, sed compertum de victoria erit, quippe mora nobis salutaris, hosti perniciosa. Dedimus operam, ut, quaecunque bello usui futura sunt, si terra nequeant, mari comportentur: iam ante nostram profectionem, classem, quam potuimus, structissimam comparavimus: naves septem onerarias, mirum, nisi cras hoc in littore conspiciemus, & tamen novas iussimus aedificari. Milites Hispani, Valentini, Siculi, sunt in parato omnes, plus nobis erit copiarum, quam huic bello sit opus, &, quod hostibus contra est copia, nobis ex ipsa nascetur mora. Cetera regna, quibus imperamus, ipsi abunde commeatus, frumentum, sagittas, equos, subministrabunt. Ceterum, haec si tibi minus placuere, nihil erit impedimenti, utere pace belloque arbitrio tuo, dum tamen scias, me, sic locutum, non magis regni mei, quam

quam tuae & gloriae & salutis habuisse rationem. Ad haec BRACHIVS, quod saepe alias audierat, eum Regem magis fatigandis hostibus, quam opprimendis, conficere bella, paucis in eam sententiam respondit, ut primum gratias ageret, quod tantum in se concepisset fidei, mox ad belli mentionem pauca quidem, sed non praeter rem, adiiceret: scire se, quibus artibus in Italia constarent bella, nullam gentem consultius ad aciem procedere. Quod ad salutem suam tutelamque regni pertineret, daturum operam, ut neque Regem delati imperii, neque se accepti, poeniteret. Haec cum essent dicta, Hispani equites BRACHII sermonem de Italicis bellis exceperunt, statimque placita ac pulchra orta est, primum inter milites, mox inter Regem BRACHIVMque concio, utrisque suum militandi morem praeferentibus. Illi sua praelia in coelum tollere, quod & pluribus copiis in bellum irent, & maiores educerent caedes. Tanto enim certare se impetu aiebant, & ferocia animorum, ut pauci ex victis vivi in hostium venirent potestatem: plerosque in ipso praelio desideratos, mortiferum ensem expectare, quam terga vertere, consuesse. Nec quidquam esse speciosius, quam aut instantem vincere, aut occidere praeclare dimicantem. Sic vincentem a fortuna iuvari, morientem a virtute non deseri. Eundem esse Hispanorum, quem

Huius responsio.

Contentio inter milites regios & Brachianos de suo utrorumque more bellandi.

 Gallo-

Gallorum & Germanorum, morem, nec dubitari, Gallos ac Germanos omnium esse gentium ferocissimos, eos tantis copiis moliri bella, ut plures uno praelio cecidissent aetate illa, quam ex nostris in aciem ullo unquam in bello processissent. Eodem accedere veterem artem militandi, quippe nullam gentem Romanis potentiorem fuisse, sed nec eorum quidquam magis, quam ingentes bellorum strages, commemorari. Sic illos vetustiores omnem iuventutem in expeditionem emisisse, tum, si qui per ignaviam hostium manus victi effugissent, aut se vivos dedissent, exauctoratos statim, & prope infames habitos esse: nunc alia via procedere Italica bella, nam & ire paucos in pugnam, & eos ipsos languide quidem frigideque dimicare. Nam quo in praelio decem unquam aut ad summum viginti ferro cecidisse, ubi non insidiis magis, quam virtute esset pugnatum? Haec non solum a militibus iactabantur, sed ipse quoque assentiebatur Rex. BRACHIANI duces, qui frequentes convenerant, & corona stipaverant disceptantes, ipsi quoque vocem tollere, & sua iura defendere, coeperunt. At Rex indicto manu silentio, BRACHIUM, tanquam in ius vocatum, causam dicere iubebat. Ille semper alias benignus in suos, risu ad eos conversus, et nos, inquit, quando Rex iubet, nostra tueamur, milites, iura, ne qui factis in acie me saepe defendistis, ego verbo-

verborum vos contentione non defendam. Conversus deinde ad Regem atque Hispanos, ego primum omnium, inquit, bella non numero bellantium, sed virtute, constare arbitror, nec quidquam tam impedire potest aciem, quam imperita multitudo, sed ea virtus non magis corporis robori, quam animi consilio, est tribuenda. Vos otio nati, educati, assueti, magna turba completis castra, ignari tamen rei militaris, & animos, ut decet, praesentes pugnae accommodatis, ruitis in hostium gladios, ferarum more, & vestro vos impressu magis, quam hostium ictu, iugulatis; sic furentem temeritatem, pro virtute putatis extollendam? Accedunt pravae opiniones vestrae, qui honestius gloriosiusque ducitis, cum vincere non possitis, hostium oculos vestro cruore saturare, quam evadere incolumes, & meliori fortunae reservare vos ipsos. Editis magnas caedes, quia, dum pudet fugere, gloriosam hosti vestro, vobis ignominiosam, mortem non perhorretis. Permagni refert, parvo quis incommodo, an ingenti cum strage, vincatur, quo maior est caedes victi exercitus, eo victoris gloria insignior. Ite, porrigite vos iugulandos hosti, quo plura victor referre possit opima spolia; sic uno superati praelio, penitus bello excidistis. Sane vero praeclare agitur cum Regibus vestris, cum civitatibus ac liberis, si, ubi paululum inclinavit acies, nihil nisi de

Oratio Brachii ad Hispanos.

ſubeunda morte, id eſt, augenda calamitate veſtra, decoranda hoſtium victoria, cogitetis: illic libertatem patriae, illic Regum veſtrorum regna imperiaque, praeſidio veſtro ſpolianda obiicitis vincenti hoſti, quid ſecunda agitis pugna? Quo pacto victoriae moderamini? Fugientem hoſtem non capitis, ſed occiditis, ſed avulſa iugulatis galea, &, quibus de fortunis aut imperio bellum eſt, de vita & ſanguine dimicatis, nec magnitudo animi dicenda haec eſt, ſed immanitas crudelium barbarorum nominanda. Nam, ſi de imperio eſt vobis contentio, cur eos occiditis, quibus victoria parta glorioſius imperare poſſetis? Et, qui fugiunt, iam tum victi parere incipiunt, quos quidem occidere nihil eſt aliud, quam belli fructus amittere. Vaſtare etiam conamini regiones, non vincere. Nam, qui ſic vincit, ut deleat, is declarat, non ſe fortuna ſua belli, ſed hoſtium ſanguine, contentum eſſe. At aperto certatis bello, non inſidiis circumvenitis hoſtem. Quis ignorat, rem militarem induſtria atque arte plurimum procedere? Saepe dolus in bello pro virtute eſt: nulla tamen perfidia, militaria iura violando. Haec vos aliena vobis & ignota deſpicitis, ſed profecto non pulchrum eſt contemnere in nobis, quod ipſi praeſtare inſita quadam tarditate nequeatis. Imus pauci in bellum, quia inutilem & inſuetam pugnae turbam ad caedem non educimus: eunt in certamen

men non mollis & imperita ad ſubitum bellum delecta atque armata iuventus, ſed durata frigore ac ſole corpora, quibus ab ipſa iam inde infantia ſtrata equorum pro thoris fuere, qui pulverem ac ventos pati, & famem, inediam, ſitim, vigiliam, nullas delicias, immenſos labores, ſuſtinere didicerunt, qui inter medios hoſtium enſes ac tela educati, vulnera contemnere, ictus incutere, incuſſos excipere atque evitare, hoſtium capita, pedes, latera, pro loco, pro tempore, ferire, ſervare ordines, dimicare ad prima ſigna, uno momento acie digredi, ad hoſtem feriendum, ſtatimque redire in ordinem, nutum ducis aut diligenter expectare, aut iam longo uſu per ſe ipſos callere, locum infernum ſupernumque dignoſcere, inſtare fugientibus, prementibus reſiſtere, nec prius, quam deſperata victoria, de fuga cogitare. Hi ſunt ludi militum noſtrorum, quos, quia pauci frequentant, ſatius eſt paucitate docta, quam multitudine imperita, contendere. At pauci cadimus, quia durum eſt, quem ſpoliare fortunis volumus, eum privare ſpiritu & ſanguine. Sic fratres cum fratribus, interdum liberi cum parentibus, non quidem de ſanguine, quod eſſet immaniſſimum, ſed de honore atque imperio, certant, captiva corpora, quae redimi pecunia non poſſunt, armis ſpoliata dimittimus. Huc ratio accedit armorum; undique enim duro tegimur ferro, nec ſaepe alte deſcen-

 dunt,

dunt, mortiferaque penetrant in corpus vulnera, ubi illisum ferrum ferro detunditur. Tum ratio nobis mature confligendi, non furoris impetus, moderatur. Audio, Germanos istos, quos dicitis, non ad praelium, sed ad caedem, furentes ruere: quod necesse est fieri, cum ars ignoratur bellandi, regiturque stulta temeritate ferocitas. Suis exciti urbibus, enervata umbra & deliciis corpora, diutius solem pati nequeunt, nec rem ordine aut arte, sed, ut vos dicitis, ferocia, ut nos censemus, furore & insania, gerunt. Nam quid nobis obiectatis antiquos? Istam ego antiquitatem non plane novi, hoc scio, crescere cum aetatibus industriam, semperque novi aliquid addi vetustati. Rex, interpellato sermone, nimirum inquit, si nos contemnimur, qui audeatis etiam vetustatem, tanquam rudem & mancam accusare. Tum BRACHIVS: Haud equidem hoc ausim, quippe qui, quanta fuerit illa, aut qualis, non viderim, sed quantum scriptorum industria fuit comprehendere. Quanquam illi semper aliquid addunt rebus ornamenti: nihil adhuc video, cur quidquam vetustatis desideret aetas nostra. Nam imperia non hominum culpa, sed temporum mutatione, defecerunt. Plus veteres cogebant copiarum: primum fuere illa secula hominum ferociora fortasse: deinde non eorum, qui scirent industria ferre arma, sed qui aetate possent, delectus habe-

ban-

bantur: nec eos usus consuetudoque bellorum, sed subita & improvisa necessitas faciebat milites, ex agro Imperatores, ex tonstrina milites ciebantur, sed quid milites dicimus, quorum nonnulli semiermes, plerique sine armis, stipendia faciebant? Nos vero, non vulgo delecti, sed militiae nati, non praeustis particis & incocta pelle, sed durissimis ex chalybe telis ferrea contecti massa, bella gerimus. Quid illa tanta peditum multitudo? An parum indicio est nobis, imperitam turbam equis pugnare nescivisse? Nam, si quaerant equites, qui tamen paucissimi erant, quantum illi habebant roboris, quam referta peditum agmina conterebant? Et tamen solo impetu illi & ardore, non arte usuque, bellabant. Confer cum temporibus tempora, cum militibus milites, cum machinis machinas, imperitos pedites, leues fundas illis comperies: contra nobis, callidissimam ac vaferrimam militandi disciplinam, exercitatissimos equites, & rumpentes coelum, nedum muros saxaque, bombardas. Age deinde, suspende in trutinam etiam Imperatores, quanta vis, Dii boni, nostrorum ducum, quanti cum infantia ebibiti labores, quam nihil urbanum atque molle! Veteres non arte belli, sed vanae plebis studio, non per gradus instructi, sed statim creati, non virtute, sed potentia, non quaestu & viribus, sed patriae stipendio & delectu, fiebant Imperatores: quorum etsi non-

 nulli

nulli rei militaris fuissent periti, milite tamen carendum erat, intermittentibus bella, novique semper, atque ideo invalidi, habendi delectus, novi exercitus comparandi, tum ipsis quoque non perpetuo labore versatis, multum otii urbani capiendum: quid tale in nobis? Domi nascimur solum, nam ad militiam statim educti, ad pectendos equos, non parentem, non ipsam agnoscimus matrem, hyeme nudi ventos frigoraque perpetimur, praesepia nobis in deliciis sunt, aestate alieno usui factam, quam vix manibus levare possumus terra, galeam cervice perferimus. Pabulatum etiam, si nobiles domi nati sumus, eundum est nobis, &, ut pluviae metentibus pareant, matutino perfusi rore madescimus, ad stationes reversi, non molli cubiculo, non igni tectoque, fovemur, sed iisdem illis madentibus obstricti vestibus praesepibus complendis, letamine abiiciundo, expoliendis armis, sellis ad solem expandendis, totos dies tremendo sudandoque obduramus corpora. Dormimus, non quantum aetas & natura postulat, sed ad nutum vel stertentis militis excitati, ultimi somnum, primi vigilias capimus, saepe noctu, vel hinnitu equi, vel exiguo ventorum flatu, ad explorandam coeli tempestatem tabernaculis, strepitu, clamoreque, detrudimur. Tum fames nobis pro cibo est, hac alimur, haec nobis familiaris est, si semel contingat agrestium pomorum deliciosa saturi-

tas,

tas, id demum est lautissimum convivium. Sed haec pacis non minus, quam belli, rudimenta praeliis ineundis, etsi aetati parcitur, proxime tamen accedit, ad pugnam sequi semper latera pugnantis militis, & hastam paratam non ita statim porrigere, sed diu eius aequato cursu circumferre: tum horrendum hoc quoque, videre ictus, vulnera, minaces hastas, micantes & in ora semper strictos gladios, iam tum haec perdiscimus contemnere. Nec enim terrorem afferunt, nisi quae nova insuetaque sunt. Sic aves, cum primo capies, fugaces ac timidae, ubi diutius tenuisti, manu mirifice mansuescunt, & ad sibilum, quo prius terrebantur, concinunt atque accursitant. Sic usu edocti, saepe praeoccupamus aetatem, & immaturas adhuc bello conserimus manus, non tam iussu ducum, quam ardore quodam aemulandi: iam tum superne adoriri hostem, perturbare ordines, premere, instare, circumverti, ferire laevâ dextraque, perdiscimus. Tum gradum proferre, sustinere impetum, totaque mole corporis ad suffodiendos equos inclinari, &, contacta prope terra, acrius in hostium ora consurgere, circumvehi equo, & quasi trutina simul stimulis urgere, simul frenis moderari, atque omnem in partem veluti globo aut turbine circumflectere. Haec edocti, nostro militare incipimus stipendio, nullaque nobilitatis habita ratione, virtuti honor datur:

tur: &, qui pugnando praeſtat, ſi caute conſulteque rem gerat, locum dignoſcat, atque occupet aequiorem, ordines eleganter conſtituat, aciem commode inſtruat, pugnam non temere aggrediatur, recipiat ſe militemque ſuum incolumem, primus in petendo hoſte, ultimus praelio excedendo. Hic alter eſt noſtrae militiae gradus. Tum militum praeficitur agmini, hos praefectos militares, hos agminum duces appellamus. Horum quoque diſcrimina quaedam ſunt, & alius alium praeſtat, quo cuiusque maior eſt virtus, eo plus illi copiarum ac ſtipendii datur. Qui vero longe alios virtute, fide, animo antecedit, hunc milites, hunc Duces, Praefectique, ſequuntur. Hi ſunt Imperatores noſtri, haec Italica imperia. Nullum praeclarius inſigne, quam vulnerum adverſo pectore multitudo, & deformata cicatricibus corpora: quales multos memorare poſſem, qui noſtra aetate fuere Imperatores, quos non favor plebis imperitae, non Graeca aut Romana facundia, non urbana aeraria, ſed una virtus in gerendis bellis, ad eam ſuſtulit dignitatem. Utinam illi veteres adeſſe poſſent, ut, ſi oratione non liceret, armis cauſam diceremus: facerent, credo, in nos impetum, collectae ad ſubitam contentionem manus, ſine armis, ſine equis, ſine diſciplina militari, ordines noſtros, confertos armis, & ferreis conglomeratos nexibus, perturbarent. Tum etiam

etiam (si Diis placet) praeusta nos pertica cominus, eminus funda, propellerent. Ipsi, quia solide non durant, concavas hastas nostras expectarent, &, quibus ferreae massae nequeunt resistere, molliculae pelles aeneaeque loricae restitissent. Subsidio venirent inermi pedites, & nostris intermixti equitibus, ora nostra, insueto manibus eorum mucrone iugularent, Dii boni, quos obtritus, quantas caedes, quam ingentes strages, ederemus? Cogitate, quaeso, nunc ex hac urbe proximisque oppidis subitum acciri exercitum, creari nobilem domi, sed tamen novum, imperatorem, quem civium gratia decernat, concurrere in castra omnem civilibus armis instructam iuventutem, contra hos meos opponite commilitones, cogitate deinde, quae illorum mentes, quantus pavor armorum adspectu, quanta ferratorum & circumvolitantium equorum occursu trepidatio: tum qui ordo, imo vero quae confusio pavidae & sibi confusae multitudinis. An illi diutius repugnarent? Resisterent, credo, vel tironibus nostris, quorum aetas omnis militiae est transacta, ne aciem quidem oculorum, nedum telorum impetum, sustinerent. Multitudo inermis parata caedi, fugae, pavori. Quid facturos fuisse putatis commilitones meos, quanta vi, quantis animis, quo ordine aggressuros imbellem multitudinem? Quot inermium brachia, pedes, capita, recisuros?

suros? Ite nunc, conferte vetustatem. Haec paulo ardentius, quo militibus morem gereret, locutum, Rex ingenti amplexus est risu; nec fateri dubitavit, ex his pleraque vera esse, maxime quae de creandis imperatoribus essent dicta. Rugas contraxerant Hispani milites, & litem integram suscipere incipientibus silentium indixit Rex, confessus, Italicos arte, ceteros numero, praestare. Animorum primo ardore ferociores Hispanos Gallosque, Italicos maturo consilio, non praecipiti ira, dimicare. Ubi convivio est discessum, fama est, multa simul de bello intimo secessu arcis consultasse. Rex, omni ratione pacis bellique ad BRACHIVM reiecta, primum illi regia munera, purpuram atque aurum, largitus. Mox omnes Centuriones praefectosque, ut cuiusque decebat fortunam, equis atque armis donavit, gregariis militibus congiarium datum, atque ita, omnium inita gratia, ad belli studia convertit animum. Habeo tamen autores, utrumque prius cum suis quemque praefectis militaribus Cumas concessisse, ad visendam totius Italiae amoenissimam plagam, eosque partim terra fecisse iter, partim qua triremibus extrema maris ora delapsos, simul deinde, quique mari, quique terra ierant, ad Baias appulisse, totum lustrasse Baianum sinum, salutaribus tepentem aquis, otia Tyrrheni maris, & laetissima myrtetis litto-

Munera Regis inter Brachianos distributa.

Iter utriusque cum suis praefectis animi gratia susceptum.

littora: ſic pellectos amoenitate loci, Lucrinum atque Avernum, & opaciſſimis iacentem vallibus Acherontem, nec orienti, nec occidenti ſoli pervium. Tum, ut vulgus credit, immane atque auro refertum Sibyllae antrum, tam quidem vaſtum longumque, ut multos ſubire montes, proculque a conſpectu recedere, credatur, immenſum cum labore periculum ingredi volentibus. Antri deinde ora praetergreſſos, lacunam quoque adiviſſe Sibyllae, ingens & vetuſtum opus, &, quod nomen indicat, admiratione digniſſimum. Inde ad Puteolos converſos, deiecta mari domorum ac turrium fundamenta, tot ſulphureos per littus fontes, & prominens ſuperata vetuſtate theatrum, ſupra vero ardua fumum exhalantis montis iuga, nec obſcura Miſeni nomine, denique omnem eum tractum longe lateque peragraſſe. His luſtratis locis, terra Neapolim reverſos, effoſſum obſcura caverna Pauſilippum ingreſſos, Virgilii Poetae ſepulchrum, media imminens caverna, precatos veniam, ſalutaſſe, nec quidquam tam gratum utrique iucundumque fuiſſe. Qua die haec acta ſunt, ſeptem onerariae naves, quas Rex ſubſecuturas dixerat, cum ad recipiendum in Sicilia frumentum reſtitiſſent, Neapolim ſecundis ventis appulerunt, partim frumento, partim equis & ſagittariis, oneratae. Secuta eſt ingens annonae vilitas. Iam duobus malis, bel-

bello atque fame, liberati Neapolitani, & BRACHII & Regis beneficia sentire coeperant, liberiusque diu intermissos equestres ludos, aliaque festa, patrio more celebrare. BRACHIVS, totus intentus ad bellum, quo expeditionem maturaret, multis verbis Reginam ac Regem ad mutuam benevolentiam & concordiam hortatus, copiis urbe deductis, ad priora castra concessit: nec diu moratus, altero, quam profectus est, die, Angarium oppidum, quod paulo ante eius adventum rebellaverat, magno adortus impetu, expugnavit, diripuitque. Motis celeriter castris, Paganum infestis signis proficiscitur. Perterriti oppidani, deditione sub conditione facta, deiectisque hostium vexillis, regia signa receperunt. Dum haec ad Campanum geruntur, Tartalia cum octingentis equitibus auxilio missus a Pontifice, cum Sfortia coniunxit. Occulte enim, quasi non ipse gerendi belli autor esset, ante id tempus auxilia miserat, nunc cognito Regis adventu, confirmandum exercitum & peditatu equitatuque augendum ratus, manifestius omnia facere. Magnas undique belli vires moliri arbitratus, quod erat verisimile, plurimum posse eius nomen ad populos solicitandos; regias copias, mari, quam terra, meliores, & equitatu minores futuras, vinci delerique facile posse. Tum nihil Italicis Catalanorum nomine infestius, & Catalanos putari omnes,

Brachii nova expeditio.

Angarium,

Paganumque captum.

Tartaliae cum Sfortia coniunctio.

omnes, quicunque transmarinum Regem secuti in Italiam traiecissent. Unicum esse obstaculum. BRACHII nunquam antea victum, & supra mortale reputatum caput, sperare tamen, frequentibus praeliis inanem hominum opinionem, posse adversis illius rebus evanescere, nec dubitari, si pari robore in discrimen esset eundum, illum victorem fore, nec quidquam plus addere terroris militi, quam invicti ducis famam. Sed, auctis suorum viribus, exercituque multiplicato, aut non commissurum illum pugnam existimabat, aut, si committeret, equitatu defecturum, atque ita superatum iri, & partam longam felicitate gloriam, brevi, rebus semel male gestis, deperituram. Utcunque procederet res, vel fugeret ille, vel pugnaret, superiorem se futurum. Consilia erant magis otiosi Pontificis, &, verti res magnas uno momento, uno astu, nescientis, quam bellicosi Ducis. Ergo fiunt enixissimi bellici rerum omnium apparatus, stipendia largius, quam antea, decreta, milites longius acciti. Quae dum a Pontifice aguntur, BRACHIVS, ut prius, quam tot hostium adventarent copiae, finitimos ad defectionem compelleret, Hispanos milites regiosque sagittarios cogit in castra, totis viribus occupaturus nondum firmatum praesidiis hostem. Producto igitur ad Castellum maris media nocte exercitu, sopitas pro stationibus vigilias comperit, admotis muro sca-

Castellum maris expugnatum.

ſcalis complent moenia, atque oppidum irrumpunt milites, refractis portis, ac caeſis vigilibus, claſſicum canit tuba. Oppidani magno quoque militum clamore excitati ſomno, ubi hoſtem intra moenia ſenſere, ſubito perculſi pavore, latebras tacita fuga quaerere, pretioſa ſecum aſportare, mulieres ſarcinas efferre domo, &, dum effugiſſe ſpes erat, in praedabundum hoſtem incidere. Diripiuntur oppidanorum bona, ſed milites pars domorum intima rimari penetralia, pars ad portum incurrere, &, naviculis ac cymbis occupatis, natantia mari dolia cadosque corripere, denique terreſtri praelio maritimam praedam agere, quae omnia Neapolim prima luce delata, littora portusque compleverant, vinaria dolia, eaque omnia plena, ad viginti millia fuiſſe tradunt. Auxere praedam etiam Salinae. Sed

Arx obſeſſa.

arx, valido munita praeſidio, quanquam multis diebus oppugnata, nullo tamen impetu capi potuit, & res ad obſidionem redierat, quae res cauſa hoſtibus fuit celerius ad ſolvendam obſidionem occurrendi. Conſtituunt hoſtes diem, qua ad Sarnum flumen convenirent. Duodecim millia fuere equitum, peditumque tempeſtate illa ſatis ingens exercitus, & qui non aequare hoſtem ſolum, ſed circumvenire etiam, potuiſſent. Eius rei per exploratores certior factus B R A C H I V S, veritus, ne inter oppidi anguſtias opprimeretur, neve tripartito

Sed ob advenientes hoſtes iterum relicta.

tito exercitu, cum arce, cum oppidanis, cum hoste, simul committere praelium cogeretur, deserendi oppidi, movendique propius ad hostem, consilium cepit, facilius universis copiis, quam partito milite aditurus pugnam. Ergo, permotis ad Sarnum castris, ad alteram ripam non procul ab hoste consedit. Illi quoque adversae appropinquavere ripae, nec iam duas acies aliud, quam fluminis alveus, dirimebat. Positis hinc atque inde stationibus, duo de viginti dies circa flumen, ut alter alteri obstaret, inhaeserunt: sed fluminis haud sane ingens erat altitudo, frequentiaque patebant vada, quibus traiecti milites levia committebant praelia, & BRACHIVS de industria ad extenuandum hostem moram trahebat. Inter haec duo circiter millia Neapolitanorum, & cum his pauci sagittarii ad BRACHIVM venerunt. Sed cum Rex per literas, quod compertum de hostium numero haberet, ne praelium caperet, admonebat, turpe videbatur BRACHIO, quidquid esset copiarum in Regno, frustra unum in locum convenisse: tum milites, auctis iam viribus, quamquam non pares hostibus, praelium postulabant. Dux ipse, non adeo contemnens hostem, nihil existimabat committendum temere, dissimulatoque consilio, ne quid metus subesse videretur, quo minus signum militi daret, Regis literas causabatur, nec hostes magnifice praeliandi faciebant potestatem. Commeatus

utrique, magis tamen BRACHIO, ſuppeditabant. Illis Acerrae, Nuceria, Averſa: BRACHIANIS maritima ora frumentum ſuggerebat. Sic rerum copia dimicandi fecerat negligentiam. BRACHIVS, ubi videt, hoſtem, quamquam maioribus copiis & minore commeatu, tamen caſtris ſe continere, non auſus cum univerſis confligere alieno loco, aciem indies latius proferebat, ut citeriorem in planitiem ad aequum compelleret locum, vel occaſionem militi praeberet leviter dimicandi, nihil miſſum faciens, quo aut univerſos ad iniquitatem loci, aut partem ad leve certamen, eliceret. Nec hoſtes eam detrectabant pugnam, qui, etſi multi Duces unius BRACHII aſtu ſuperabantur, omnia tamen patienda ſtatuebant, ut aut conficerent fame multo opulentiorem hoſtem, aut ad alteram fluminis ripam belli cupidum provocarent. Conſtat, nusquam BRACHIVM, quantum hoc bello, hauſiſſe laboris, continuos complures dies nunquam exuiſſe arma, ſecutas etiam loricam ſitu laxatas veſtes. Erat enim vigiliae atque inediae, ſupra quam humanum eſt, patientiſſimus, laborum tamen multo patientior. Hic Centurionem manicatum exauctoravit. Militem, tecto capite propter pluvias ordine abeuntem, caſtris pellens, eius inſignia, quae ille caligis geſtabat, ademit, nec usquam exactius militarem diſciplinam ſervari voluit.

Qui Brachii dolo mire cir-

Qui, ubi videt, nullo conſilio impelli hoſtem, nec flumine decedere, quo tantam copiarum mo-

molem,uno in loco se continentem, dissiparet, militarem dolum excogitavit. Frequentibus enim leviter commissis praeliis,si quos Sfortiae cepisset milites, eos,in catenas coniectos, ad regiam classem trahendis remis destinabat. Quos autem ex Tartaliae copiis, eos, magnifice donatos, cum armis atque equis, quae belli iure amiserant,in hostium castra remittebat. Nec deerant blandæ & superioris amicitiae admonentia verba, quae cum saepius egisset, gravis inter duos Duces est orta suspicio, varia coepta agitari consilia, nec alter alterum admittere. Qui fuerant dimissi cum donis, rem magis excitare, BRACHIVM in coelum tollere, succendereque alterius Ducis iracundiam. Iam totis diffidebatur castris, geminamque factam aciem,duo dirimentia valla muniebant, multoque negligentius, qua parte instabat hostis, quam inter sese,vigiliae fieri coeptae. Nec melius inter se milites conveniebant. Demum eo processit res,ut veriti, ne tumultuariam seditionem concitantes, callidus invadere hostis, alius alio moverit castra,Tartalia Aversam, Sfortia Nuceriam, nihil inter se amice cogitantes,abiere. His rebus per speculatores cognitis, BRACHIVS, omni reiecta mora, flumen traiecit, factoque per Aversanorum fines itinere, agro Atellano leviter populato, Capuam agmen perduxit. Tartaliæ, transeuntem impedire cupienti, milites non paruerunt. Quippe educti in aciem pars simulata fuga repetivere urbem, pars metu validioris exercitus,intra munitiones regressi,neque facere,neque expectare,impetum voluerunt.

[margin: Circumventi parum amici discedunt.]

[margin: Hinc Brachius agmen Capuam perducit.]

IOANNIS ANTONII CAMPANI, EPISCOPI APRV-TINI, DE VITA ET GESTIS ANDREAE BRACHII, PERVSINI, ITALICAE MILITIAE IMPERATORIS OLIM STRENVISSIMI,

LIBER SEXTVS.

Brachius Minianum Sanctumque Victorem capit.

Profectus ad Capuam cum exercitu BRACHIVS, partem copiarum ad arcendas Tartaliae incursiones atque urbis praesidio reliquit, ipse, cum reliquis magna celeritate profectus in Marsos, in ipso itinere Minianum & Sanctum Victorem, alterum vi captum diripuit, alterum sub conditione in potestatem recepit, celeriterque egressus regni terminos, Pontificis, qui ad Marsos pertinebant, fines late est populatus.

Fines Pontificis depopulatus,

Eadem celeritate conversus in agrum Vestinum, duo Pontificis oppida, Castellum novum, & Sanctam Luciam, primo statim congressu expugnavit, diripiendaque militi permisit.

Castellum novum Sanctamque Luciam expugnat.

Ea res magnum Pontifici incusserat terrorem, quocirca missi celeriter ad eum Legati, de oppidis repetendis nihil benignum audivere. Responsum BRACHII fuit, Pontificem verbis quidem pacem agere, ceterum re ipsa bellum gerere asperrimum, cum adversum se Tartaliam auxiliatum

Legatis Pontificis haud benigne respondet.

tum hostibus misisset, tunc ruptum foedus, violatam amicitiam esse. Quamobrem non solum haec se oppida non redditurum, sed bello, quacunque posset, petiturum ejus imperium, nec novo foedere opus fore, quando priora, soluta pace, servata non essent. Capta nuper oppida belli iure sua facta, ea si Pontifex redimere vellet, non pecunia futurum opus. Si Tyferno cessisset, idque pleno iure traderet in potestatem, capta nuper a se oppida recepturum. Nihil restitere Legati, sed re infecta, novis perlatis ad Pontificem mandatis, paucos post dies reverterunt, agentes, si oppida restitueret, statimque excederet bello, Pontificem Tyferni cessurum iure; ceterum BRACHIVS suis viribus ius sibi vendicaret, nolle Pontificem Tyfernatibus vim facere. Haec cum Legatis pactus, BRACHIVS, conditione accepta, castella restituit, belloque statim excessit. Inter haec Sfortia & Tartalia, simulata magis, quam facta reconciliatione, cum omnibus copiis, quae iam mora comminutae defecerant, in agrum Suessanum, ut inde, si opus foret, obsisterent hosti, movere castra. Qua re per speculatores cognita, BRACHIVS, longis factis itineribus, altero die ad Lyrim amnem pervenit. Lyris ex Apennino defluens, modicus quidem primum & vadis transiri facilis, sed mox paululum infra magna vi fluminum augetur, & nusquam vadosus, alveo lato profundoque, ad Minturnas

Mox cum iisdem paciscitur.

Sfortiae & Tartaliae simulata reconciliatio, inque Suessanum agrum iter.

Lyris fluvii descriptio.

nas in mare delatus, pulcherrimam ac fertilissimam Italiae oram interfluit. Ille Ausonios & Vestinos agros, ille Miricae regna, & Minturnensium oram, olim Italiae celeberrimam plagam, (nunc ipsis ignota accolis nomina) ille Suessanum agrum (aureis, ut Poetae tradunt, arbustis consitum,) praeterlabitur, felicis Campaniae felicior terminus, & semper alias ejus regionis tutissimum munimentum. BRACHIVS, ubi ad ripam fluminis pervenit, patentes Suessanorum campos, & passim errantes greges atque armenta conspicatus, vel magna in re tentaturus fortunam, vel, quod magis putant, praedae cupiditate adductus, equitatum, qua latior fluebat amnis, natationi subiiciendum constituit. Nam latitudo alvei & facies tranquilla fluminis, atque ad ripam vadosa, faciebant animos. Ergo praemittuntur inermes ac nudi pauci, qui & maioribus veherentur equis, & natare ipsi didicissent, ad transitum pertentandum. Militum oculi, ut quisque sui discriminis est solicitus, omnes in transeuntem exploratorem coniecti haerebant. Pergit primum cunctabundus eques; mox cum gloria primum a se tentati periculi, tum spectantium militum clamore atque hortatu, impulsus, iam ad medium processerat amnem, cum equi supremas iubas, mediumque iam equitem, undae superaverant, eripit sese anterioribus pedibus equus, &, ubi modico progressu ne sic quidem aequa-

Quem Brachius cum equitatu traiicit.

quare altitudinem poteſt, pandit late ſupra amnem corpus, ac ſeſe aquis vehendum permittit. Nec deerat moderator, qui transverſum ad alteram ripam ageret natantem equum. Sic, ubi paululum eſt natatum, rurſus fundum pedes attigerunt, ſublatoque, ut prius, collo, modicum proceſſerat ſpatii, cum, iam toto eminente dorſo, ad alteram fluminis ripam evaſit: continuo ſecuti, quibus idem negotium datum erat, & ipſi quoque paululum natavere, mox, ſuperiorem inferioremque percontati amnem, eum locum commodiorem, quod non amplius, quam viginti pedes, erat natandum, retulerunt. Idem armis onerati iuſſi, eunt, redeuntque ſaepe. Sequitur deinceps omnis equitatus, &, quaſi non ſolum homines, ſed flumina etiam ſuperare didiciſſent, magno plauſu hoſtilem ripam complevere. Nam illo quoque Dux ipſe inter primos evaſerat, ſemper alias induſtria, nunc etiam fortuna uſus. Quippe cum neque ante id tempus unquam, neque poſtea, ne multo ſuperius quidem, & ante magnorum fluminum congreſſus, Lyrim quiſquam vado traiecerit, inde BRACHII vadum appellatus, memoriam tanti facinoris. Ipſe teſtatur locus, res, dubium, admiratione an ſtupore dignior, ex duobus millibus equitum, loricis, ocreis, toracibus, tot ferreis laminis impeditorum, ne unum quidem gurgites hauſiſſe. BRACHIVS, relictis ad citeriorem ripam impedimentis, ratus

Quem mox peditatus ſequitur.

 tus

tus, id quod res erat, ſuum adventum non ſolum incognitum Sueſſanis eſſe, ſed etiam incredibilem viſum iri, ſtatim rates ex ſicca materia confectas, ad traiiciendos pedites aedificari iuſſit, qui e veſtigio & ipſi undis perfuſi traiecerunt. Flumine ſuperato, BRACHIVS producit aciem, delecti leviter armati dividuntur in duo cornua, laevum dextrumque: medium erat agmen gravioris armaturae, hic nulli intermixti pedites, ſed omnes ad latera concedere, &, quantum curſu poſſent durare, iuſſi ſunt equitatum anteire. Signa mediam obtinebant aciem. Inter medium agmen & duo cornua multum intercedebat ſpatii, quo latius per campos extenderentur praedatores. Excurrendi ordo fuit, ut quam effuſiſſime popularentur agrum, &, ſi qua hoſtium occurriſſet manus, dextrum cornu ad laevum, laevum ad dextrum, ſe reciperet. Sic fiebat, ut etiam itineris errore ſublato, a medio ſignorum exciperentur agmine. Nec potuit maiore conſilio geri res. Inſtructa per hunc modum acie, funduntur in latiſſimos ac fertiliſſimos Sueſſanorum fines, eunt paſſim in praedam (longae pacis munera) greges atque armenta, & veluti uno flatu ventorum, quicquid obvium eſt, longe lateque corripitur. Rura illa, quae anni dies aequavere numero, vi, clamore, ferro, intermiſcentur omnia. Subitum & inſperatum malum multo plus incutiebat terroris, qui praedatum veniſſent, aut unde,

Inſignis praeda longe lateque coacta.

unde, nescientibus, & pavor trepidis consilium excutiebat, ut pro monstro res esset. Attoniti vulgo agrestes, sine voce, sine clamore, pavida fuga latebras quaerere, cadere, capi, trahi, vinciri: fuitque res supra mortalium fidem. Quicquid intra Gaurum & Massicum, Gallicanumque montes, ab infero mari & flumine Lyri, iacet agri, totum infesta populatione vexatum atque direptum, quod necesse fuit evenire securis belli & nihil hostile metuentibus. Tum regionis egregie munitae, situ fore se tutos, jam inde a belli initio crediderant. Quippe ad occidentem solem flumine Lyri, nunquam, ut dixi, alias, vado traiecto, ad meridiem infero mari clauduntur. Qua vero in orientem & septentrionem vergunt, altissimi ac praerupti surgunt montes, ut vix arctissimae pateant transeuntibus angustiae. Sed praedam, ut BRACHIO insigniorem, ita miserabiliorem hosti, duo duces effecerunt. Nam, ut huic pulcherrimum, ita indignissimum illis, videre late palantem praedantemque hostem, audire captivorum miserabiles questus, & praedam, quantam nunquam illa vidit aetas, ante oculos ducum & civium conspectum asportari, nec auxiliari fortunis suis miseros incolas audere. Praedae magnitudinem incertam ipsa multitudine fuisse tradunt. Illud constat, vendito pecore, captivisque redemtis, quinquaginta nummos viritim in capita militum distributos: tum

Capuae & Neapoli duplo minus diminutas macellariorum nundinas. Pars etiam mari ad Lucanos Salentinosque transvecta. Post haec BRACHIVS, reducto per maris angustias, quas occupari iusserat, ad Capuam cum praeda exercitu, iam suam urbem, suos vectigales in victoria cognoscere. Primum frequentem Campanum populum, in concionem vocatum, edocuit, id, quod iam pridem famam vulgaverat, datam sibi a Regina Campanorum urbem, datas arces, agrum, fontes, vectigalia: quod quia moleste quosdam tulisse audiebat, orare populum, & primum quemque appellare, ne se indignum putarent, quem sua in urbe regnare paterentur. Non se obscuro natum loco, sed vetustissimi generis splendorem, virtute, & imperio auctum, nec fuisse ausum haec ita coram dicere, nisi sciret, explorata esse omnia. Campano populo Perusiam exemplo esse, illam, quanta esset, intuentes imitarentur, nec ullum durius imperium, quam ubi civis civi imperat, & tamen ultro sibi esse latam communem libertatem, ut, quam illi publicis viribus tueri non possent, sua ipsa virtute auspicioque defenderet. Irent, mitterent, qui Perusinam rem, quo in statu esset, certam exploratamque referrent: scire se, Capuam regiam quidem esse urbem, & regiae stirpi parere solitam, sed eos demum esse Reges, qui & parerent Regna, & parta iuste moderateque regerent. Nec initio rerum alium

Oratio Brachii ad populum Campanum.

alio

alio nobiliorem fuisse: virtute primum factos, non stirpe natos Reges. Non latere populum Campanum, quam gravi bello ante suum adventum premerentur. Ad portas enim imminebat hostis. Frustra tunc regiae stirpis imploratam opem, sua se manu auspicioque hostem delesse, & regiam urbem non a Regibus quidem aditam esse, sed a se, qui Rex non fuisset, prope suburbano bello liberatam, captas duas arces, quae quantum molestiae, quamve urbis assiduae populationis, & tumultuariae formidinis fuissent causa. Civitatum Reges esse, qui civium capita & fortunas defenderent, propulsarent iniurias, propagarent imperii terminos, non qui vano nomine alienis fortunis abuterentur. Non fuisse haec dicturum, si quam illi regiam intuerentur sobolem, bona spe plenam. Verum non ita esse, non Regi, non Reginae liberos extare, quorum tutela conquieturi essent, & tamen sine regia stirpe Campanam rem esse non posse. Quid putarent commodius futurum, eum facere Regem, cuius clara pacis bellique facinora perspecta habeant, an accipere, nihil praeter vana nomina afferentem? Tum Regum arbitrio fortasse, aut crudelem, aut, quod foedius est imperantibus, ignavum accepturos. Utrum accideret, aut Regi, aut finitimis, contemtui futuros esse. Proinde uterentur occasione, non modo nihil unquam subituros periculi suis auspiciis, sed finitimis late imperaturos. Nihil magis

magis flexit Campanorum superbiam, quam invidia finitimorum. Tum recens erat memoria sublati belli, & vim cernebant paratam, nisi paruissent. Oritur clamor a plebe, primum Dominum Principemque salutante. Mox primores civitatis & magistratus omnes, ordine tribunal adeuntes, iureiurando ipsi sese adegere, perpetua fide mansuros. Deinde, frequenti stipatus populo, ad inferiorem arcem, quam Petrae vocant, ad ipsa urbis inferiora moenia concessit. Custos, cognito Reginae signo, arcem & munimenta tradidit. Fit iam ingens tota urbe plausus. Arcis custodes, multis simul excussis bombardis, late obtundebant mortalium aures. Huc cives ordine eunt gratulatum. Magna statim coepta munerum concertatio. Ut cuiusque maxime erant opes, ita plurimum frumenti, aliarumque rerum largiri; vincebatque ostentantium fortunas aemulatio. Nec ante inhibitam a BRACHIO largitionem finis muneribus factus. Tum inde variis ludis ille consumtus est dies. Postridie missis, qui superiorem repeterent arcem, duas pulcherrimas atque operae munitissimas Italiae turres custos non ante traditurum respondit, quam viginti millia nummum, & praeterea cunctam arcis munitionem diuturnae custodiae praemium recipisset. Mittuntur deinde statim primores civitatis, qui precibus contenderent. Sed nec illorum quidem valuit autoritas. Iam res ad apertam iniuriam

Qui lubentissime eum Dominum agnoscit.

Plausus publici.

Pertinacia custodis, qui superiori praeerat arci.

am ſpectare & hoſtium numero eſſe coeperat cuſtos. Pacano erat illi nomen, qui ingentes furando praedandoque in eam arcem convexerat opes. Sed ancipitem animum diverſa agitabant mala. Duo liberi, praeterea uxor, captivi a Sfortia in vinculis tenebantur, qui paucos ante dies, non procul ab arce, triplici ſimul erecta furca, horrendum & parenti & viro, niſi arcem traderet, ſpectaculum erat minatus, filiorum uxorisque ſuſpendium. Vereri, ne, ſi nunc BRACHIO tradidiſſet, ira illum praecipitem egiſſet in ſuos: tum cogitare coepit, regias opes ingentes eſſe, cernere paratam obſidionem, verſatum iri ante oculos hominum violata iura. Inde pietas, hinc metus urgebat. Ceſſit tandem parenti cuſtos, non veritus, dum impietatem effugeret, neſcio, an turpiorem ſubiret perfidiam, quam tamen multo foediorem pecuniarum inſana cupiditas faciebat. BRACHIVS, etſi putabat, vanam operam moliri, tamen cingendum iam hoſtem obſidione omniaque tentanda decreverat. Capuam Vulturnus amnis tribus prope circumfluit lateribus, ut multis in locis pro muro ſit flumen. Nec aliter illud, quam ponte, aut ratibus, transmittitur. Porro pontis extremum aditum duae illae munitiſſimae excipiebant turres. Itaque tranſeuntibus anguſtum inter turres ipſas iter erat. Urbem ab arce intercurrens flumen dirimebat. Tum ſitum ipſum ſtructurae magnitudo exſupe-

ſupe-

ſuperat. Murus ad medium uſque molem circiter triginta in latitudinem continet pedes, totus quadrato confectus marmore, & lapides pro calce liquatum connectit plumbum. Et ne quid muralia pila officiant, neve bombardae gravi ictu concutiant, altero facto ex caementis duplicantur continenti muro, qui ſic machinarum vim excipit, ut vix languido, ac levi adiri morſu, nedum latius perrumpi, queat. Inter duas turres regium cubiculum, qua iter erat, ſupra caput altiſſima prominet teſtudine, marmoreis ſtatuis vetuſtisque imaginibus diſtinctum atque ornatum. Pons quoque ligneus ſuprema turrium faſtigia committit. Huc accedunt circa utriusque turris ambitum in coronae modum educta propugnacula, quanto munitiora potuit excogitare artificum induſtria. BRACHIVS, occupato primum urbis ponte, frequentem opponit a fronte ſagittarium, qui propugnaculis averteret ſuperne reſiſtentem hoſtem, etſi cognoſcebat, eam rem magis terrori, quam periculo hoſti futuram. Pacanus adhuc inter pacis belique conſilium negligentius arcere tranſeuntem militem, & tamen ſaxa rara demittere, ſperans, mitigari oppugnantis Ducis iram, aut minus exaſperari, ſi ipſe militum caede abſtineret. Iam exercitus omnis ad alteram pervaſerat Vulturni ripam, paulatimque cingere arcem coeperat, cum ſtatim plurimi acciti foſſores quam latiſſimum producunt val-

Virtute Brachii tandem fracta;

vallum, productum aggeribus trabibusque circumveniunt: nec procul inde alteram latius deductam fossam praeacutis & eam obstruunt sudibus. Fervet simul utrinque opus, nec cedit fossori miles. Dux est partim excitandis, qui ducendae praeerant fossae, partim comportandis ex urbe trabibus, intentus, custodi manu voceque minatur. Hic primum ille belli non creditum apparatum, & futurae obsidionis indicia prospicere, hic agnoscere hostem, & fortunae suae paulatim subdubitare. Quippe diuturnae pacis otio demollitum animum subita belli terrebat facies, ut saepe ignaviam animi vix ulli satis tuentur muri. Productae iam erant circa turres geminae fossae, quarum medium, quod erat relictum, spatium materia plurima completum, ne qua penetrare quisquam ab hoste, si auxiliatum venisset, in arcem posset, militum stationes occupaverant. Pacanus, ubi videt, omnia in arctius spectare, sero mutato consilio leniendi hostis, totis viribus militem arcere contendit. Ille tela, ille saxa, in conserta coniiciens agmina, proximum quemque fodiebat. Immensum apparebat futurum laborem, conatusque omnes incassum recisuros, nec alia re vinci hostem, quam fame, posse. BRACHIVS, plurimum ratus momenti habere terrore, omnia maiora, quam opus esset, apparare, stativa tanquam illic transacturus, hyemem pro vallo facere, denique omnia moliri, quae pavi-

pavidam motura mentem arbitraretur. Contra Pacanus quoque magnifice loqui, dissimulare iactantia, premereque intimo corde metum, bombardas ad urbem intendere, omni via conari hostem ab obsidione propellere. Quod tum demum facile putabat futurum, si nihil meticulosi percepisset, statim inde discessurus hostis. Nec fefellisset consilium, nisi, quae plurimum bello potest, fortuna victori, expugnationem desperanti, aditum in arcem patefecisset. Faber erat Campanus, grandis natu, longae senectutis rarum exemplum, cum aetate, tum magis arte cognitus Duci. Hic, se puero, captas eas turres per cuniculum, & quo in loco quantumque terrae suffossum esset, memoria tenebat. Unus erat aditus ad subterraneam lacunam, quo, cum opus esset, aquam e flumine custodes arcis derivabant. Cetera undique latissimus vallaverat murus. Quippe turrium eadem est infra terram altitudo. Mirabile hac quoque parte & rarum opus. BRACHIUS, plurimis aedificatis ratibus, ligneum pontem, ab urbe ad radices turris pertinentem, construi celeriter iubet. Propugnatores arcis, e summo turrium fastigio saxa telaque deiicientes, rem difficillimam faciebant. Quicquid enim struebatur operis, id totum ingentibus perfractum saxis, demersumque flumen hauriebat. Nec sagittis arceri poterant propugnaculis, qui superne lapides devolvebant. Ergo eriguntur statim supra opus con-

convexa tabulata, frequenti ſubnixa trahe, quae ſuperne cadentia ſaxa ſic exciperent, ut,veluti pluviae tecto, geminum in latus exſpuerentur. Ponte ad biduum confecto, ſubruere cuniculum coeperunt, molle atque alias effoſſum ſolum, ligonibus egregie quidem cedebat. Nec amplius una die ad os ipſum lacunae a foſſoribus eſt penetratum, ſed crebræ factæ labes cavernam impediebant. Forte ſuperiore nocte duos arce dimiſſos utres, plenos olei, vigiliæ exceperant. His ad BRACHIVM delatis,ac coram diſſui iuſſis, inventae ſunt denſa ac tereti ſtipatae cera Praefecti literae ad Sueſſanum Ducem; petebat, ut quam ocyſſime quatuor ſagittarios & paulum medicaminis ad ſe mitteret. Illis ſupplendo arcis præſidio, hoc curandis vulneribus opus eſſe: niſi mitterentur, magnum periculum impendere paucitate defenſorum. Literas Pacani ſcripſerat nepos, cuius ille opera atque induſtria plurimum utebatur. Interim, ſervatis in tempus literis, BRACHIVS enixiſſime noctes diesque operi perficiendo imminebat. Quod ligonibus exedebatur, id tabulae, in. teſtudinis modum aequatae, ſuſtinebant. Ingens trepidatio cuſtodem invaſerat, cum tantum operis, tantum feſtinantiae, moliri hoſtem deſpiceret, & referiens aures fodientium ictus intra turrium convexa penetrabat. Quo enim plus cuniculo accedebatur, eo magis incuſſi ter-

A a rae

rae ictus ad testudinem interiora resonabant. Iam res aperte ad lacunae fauces spectabat, cum ille, non inops consilii, recta fronte duas aeneas bombardas directe ad fossores intentas opponit, ut duo inde simul excussi lapides, magna strage, quicquid obvium foret, toto permearent eliderentque cuniculo. Sed eadem hic illa, quæ ad Lyrim amnem, fortuna non defuit. Altior prodiit cuniculus, quam quo directae erant bombardae. Pacanus, ubi videt, occupatum iri ab hoste inferiorem turrim, simul paucos opponit, qui hastis ac telis sustinerent impetum, simul magnam vim aeque ad superiora comportari, & dolia ac cados, denique quicquid erat vasorum in turribus, compleri iubet. Prosiliunt interea pauci milites, &, fuga subita evadentibus ad superiora custodibus, vacuum ac desertum lacunae fornicem occupant. Cuniculus assidue magnam vim militum intra lacunae vestibulum edebat. Eunt deinde magno conatu frequentes ad cochleam. Haec, marmoreis atque angustis intorta gradibus, vix singulos, nec tamen hastatos, admittebat. Gladiis peragenda res erat, & primus quisque miles a superne repugnantibus fodiebatur. Tandem in manifesta clade superat periculum virtus. Scandit Centurio primus, duplici contectus armatura. Hunc cetera subsequitur cohors. Deserunt & hunc quoque locum custodes, seque in alteram longe muni-

nitiorem celfioremque teſtudinem recipiunt. Diripit horrea & vinarias cellas miles, &,tanquam victoria potitus, dum praedabundus turrium ſecreta rimatur, ſpatium tutoribus dat cuncta muniendi. Pacanus, qua cochlea defecerat, ſubmotis repente ſcalis, ſuperne lapides telaque deiectat. Oritur praelium, caedi quam pugnae ſimilius. Quippe alter incutiebat ictus,excipiebat alter, ſi propior acceſſiſſet Cum nec haſta quidem teſtudinem miles adaequaret, re ad BRACHIVM perlata, ſiccam materiam, & quæ alte fumarent,comportari iubet, fumo enecturus, quem ferro domare non poſſet. Sed ea res longe plus ſuis difficultatis,quam hoſtibus,dedit. Clauſo teſtudinis ore, ac flamma fumoque late tenebrante, cum ſubſiſtere milites intra completas caligine anguſtias non poſſent,fuligine obſtricti fauces, incipiunt ſubito referre pedem,cumque locum & ipſi deſerunt. BRACHIVS, reiectis ſuis, augendum in prope iam deſperata oppugnatione terrorem, ſubitumque tolli clamorem militum iubet: expugnatos iam turres, & partam victoriam, clamitantium. Ad Pacanum quoque per oſtii compagines paulum fumi penetraverat: qui, cum,augente ſuſpicionem metu, nihil de hoſtium receſſu cognoviſſet, ac ingentem videret in caſtris verſari laetitiam, veritus, ne quid novi infra teſtudinem moliminis fieret,ſubito eſt perculſus terrore ſuperatoque ſtatim faſtigio,quanta poteſt voce,

ce, mitti sibi quempiam ad colloquium postulat. Cui BRACHIVS, quo magis augeret terrorem, primum quidem vetuit responderi. Mox, illo altius tollente vocem, referri iussit, si quem vellet, emitteret arce, alioquin neminem ex suis missurum. Emittit Pacanus nepotem in castra. Quem ubi procul venientem BRACHIVS est conspicatus, quid sibi vult a me, inquit, magnus iste Pacanus tuus? Respondenti, decem millia nummum, plus, inquit, dimidio lucrati sumus. Viginti millia enim poscebat. Sed modium frumenti & vini cadum arce vix efferet. Tabellis deinde porrectis, & quid, has tu nosti, quas idem scripsisti, literas? neganti a se scriptas, Abi, inquit. Actutum hinc a me defende, si sapis, arcem. Ite, pergite rebelles esse. Idem te, quod patruum, supplicium manet. Vos quidem bombarda me petere ausi estis. At ego iam nunc, quam vos violastis, fidem obtestor, non hinc ante aut deditam, aut expugnatam, arcem moturum castra. Ultro si statim dedideritis, licebit esse impunes; sin vi, quod prope est, repugnantes oppressero: singuli artus singulis moenibus nefariae perfidiae pendebunt exemplum. Literas reddere volentem tabernaculo, irato similis, depelli iubet. His omnibus ad Pacanum delatis, ingentem pavorem, cum acriores solito minae, tum exceptae ab hoste literae iniecerunt. Quocirca rursus vocari e castris iubet,

bet, qui bona fide ad colloquium eat. BRACHIVS, aucto, ut volebat, metu, vocem e tabernaculo reddi iubet: Nihil amplius colloquio opus esse, statim, si arcem aperiat, abiturum quidem impunem, nihil tamen praeter cadum vini & frumenti modium detracturum. Deiicit statim scalas Pacanus, &, quas multorum annorum prava cupiditas exaggeraverat, subitus pavor opes fortunasque destituit. Diu haerentibus oblique oculis, & aequantibus suspiria lachrymis, tot male quaesitas opes ad tam modicam sarcinam recidisse. Transit ludibrio conspectus per media castra duobus asellis comitatus, quem modo phalerati equi media urbe magno plausu devehebant. Inventi sunt in arce duodecim nobilissimi Campanorum pueri, quos ille, forma atque aetate pellectus, media in pace, tanquam pro obsidibus, corripuerat. BRACHIVS, receptis in potestatem turribus, Campanorum imperio libere potitur. Hic ille civitatem bonis legibus instituere, urbem aedificiis publicis primum, deinde privatis exornare, coctilibus laterculis forum ac vicos sternere, Campanum perhumane & comiter appellare, denique brevi gaudere novo imperio cives coeperunt. His rebus ad Capuam gestis nova accessit laetitia. Cal. Septembribus, paulo ante occasum solis, filius Perusiae ex uxore nascitur. Huic Carolo datum nomen, quem nunc audio Venetorum exercitus Impe-

Arxque in potestatem recepta.

Nascitur Brachio filius.

peratorem, etſi non gloria atque imperio, ſpe tamen paternam magnitudinem adaequaſſe. Hoc accepto nuntio, BRACHIVS, ludis equeſtribus magnifice publice privatimque in urbe celebratis, in aciem cum omni exercitu proficiſcitur. Hoſtes, male inter ſe reconciliati, inſequi eundem, longo tamen interiecto ſpatio, decreverant, quippe nec copiis, quae paulatim defecerant ad Regem, nec militum animis pares. Illos pleroſque rebelles, finitimis accitos oppidis, additus imperitiae terror agitabat. Paucos veteranos multis in locis male geſta res priſtinae calamitatis admonebat, & ſaepe adverſa fortuna ſupprimit mortalium animos, tollitque ſecunda. Tum inteſtinum odium, aemuli duces, diſcordes exercitus, difficiliora cuncta faciebant, etiam in bona fortuna firmaque virtute magna atque eminentia mala. Contra BRACHII veterani omnes, & invicti milites, ſolidum imperium, quotidianae victoriae concors exercitus, & ſola virtutis aemulatio, cuncta belli atque gloriæ praeclara incitamenta. Tartalia, poſt turrium defectionem ratus, quod erat eventurum, omnem belli conatum adverſus finitimos Averſanos Acerranoſque futurum, celeriter motis Sueſſa caſtris, Averſam anteverterat, ut ſaltem liberas hoſtium arceret populationes. Agrum Campanum Averſanumque longa interfuſa dirimunt ſtagna, ſive ſit illud ſtagnum, ſive flumen, fluenti

Hoſtium conſilia.

ſtagno

ſtagno ſimillimum. Haec, multis procul inde fontibus exorta, uno demum excurrunt alveo, mediamque late patentem planitiem lapſu quidem facili, ſed ulnoſo coenoſoque, impediunt, ut, niſi paucis in locis, tranſiri vel media aeſtate non poſſint. Etſi qua rara pateant vada, ea tamen ſunt perangusta, &, alte erectis turribus, ad prohibendas ultro citroque excurſiones muniuntur. Sed hoſtes, ut, rebellione facta, priores moverant arma, ita prius eas turres atque omnem paludis tractum occupavere. Quae res, ut Averſanos tutos ab hoſtili populatione praeſtabat, ita magnum Campanis afferebat incommodum. Agrum enim libere populaturo hoſti noctes diesque ingreſſus regreſſusque patebat, nec vi praecinctae ſtagno turres poterant capi. BRACHIVS unam aut alteram, quoniam vi non dabatur, dolo capiendam aggreditur. Adoleſcentem adhuc quidem ephoebum, ſed animo, quam aetate, fortiorem, muliebri ornat veſtitu, oſtenditque, vincendos virtute annos, & pulcherrimum facinus, quod omnem eius aetatem honeſtaret, audendum eſſe. Falcem deinde meſſoriam & panariam laeva ſuſpendit, adito ſub veſte gladio, iubetque, ut errabundus fugam ac metum ſimulet. Cuſtos, mulierem ratus meticuloſam & latebras circa turrim de induſtria quaerentem, ad ſe vocat. Trepidabunda & fugienti ſimilis orans, ut pudicitiae ſuae ab ho-

Brachii dolo eluſa.

hostibus post terga prementibus consuleret, intra arcem recipitur. Evadit statim mascula foemina per scalas in superiorem turrim, inde, quem effugerat, hostem prospectura. Ubi ad suprema ventum est propugnacula, subducit scalas. Gladium, quem sub veste reconderat, strictum depromit. Eum, qui pro statiuncula vigilabat, ferro clamoreque adoritur; pavidum atque altero traiectum vulnére praecipitem, qua scalarum erat lapsus, deturbat. Custodem deinde, minis saxisque perterritum, inferiore depellit testudine. Aperit ille, qua se demitteret, portam. Adolescens, abiecta iampridem veste, depositis scalis, gladio stricto descendit. Iam tota castra turri admovebantur, cum antesignarii exeuntem ac fugientem incidere cepereque hostem. BRACHIVS, occupato ponte, quamdiu paludem miles traiiceret, ne quid hosti significaretur, teneri in vinculis custodem iussit. Stagno superato, incautum invadit hostem, populatur agrum hostis bellique securum. Itur perpetuo impetu in suburbanas Aversanorum villas: eodem altero, eodem tertio incurritur die. Tartalia magnifice aut intra urbem continebat se, aut non procul a moenibus occurrebat suse palanti hosti. Eius consilio cognito, BRACHIVS, cum parte copiarum ante primam lucem profectus, quingentis passibus procul ab urbe insedit: cetera acie latius excurrere agrum iussa, &,

si

ſi contra hoſtes veniret, metum fugamque ſimulare, quo procul inde diſtractum atque interclusum ipſe aggrederetur. Nec cogitata fefellere. Inſequentem ſuos temere atque incaute Tartaliam ipſe a tergo clamans urgensque adoritur. Ille, inſidiis ſero cognitis, equi laxatis habenis, dat ſe a laeva praecipitem in fugam. Effugiunt una pauci, qui curſum aequare potuerunt: ceteri deficientes opprimuntur. Capti equites galeati ducenti. Nec hoſtes iam inde urbem egredi auſi ſunt. Tartalia profligato, caſtra ad Acerras oppugnandas permovit. Sed urbs, valido munita praeſidio, ſpem omnem expugnationis eripiebat. Cinguntur obſidione tamen Acerrani, & praeter quam qui in caſtris erant, Neapoli quoque acciti fabri, architectique, qui, comportata, unde proxima erat, materia, varii generis machinas extruxerunt. Longus deinde coeptus ſubrui cuniculus. Triginta dierum, laborioſum quidem illud, ſed magni terroris, opus, teſtudo, nunquam ante id tempus uſitata, muro quadrigis admovebatur, quae milite ſagittisque completa, atque altiſſimis obtecta tabulatis, paulo minus adaequabat moenium propugnacula. Scalas quoque milites compara- verant. Acerranos multum nova machina, magis tamen ingens cuniculo effoſſa terra, ſolicitabat, incertos, quam intra moenia, quove urbis tractu cavernae pertinerent. Nec pro moenibus ſolum ſtationes vigilare,

Acerra deditione recepta.

sed noctes ac dies per omnes excubare domos, ne quo penetraret cuniculus, cogebantur. Iam, quae ad expugnationem usui erant futura, expedita parataque omnia, & subterraneum opus de industria nondum apertum, paulum a coelo recedebat, cum Acerrani, veriti urbis direptionem, non expectato pugnae discrimine, praesidia & urbem dedunt. Fuere in praesidiis Praefecti militares quatuor, totidemque centuriones: satis firma tuendae urbi manus, nisi cives, excutiente virtutem pavore, trepidassent. Haec dum ad Acerras geruntur, BRACHIO nuntiatum est, Ianuam, potentissimam mari ac terra urbem, a Duce Mediolanensium intestino bello esse subactam, percussaque inter Pontificem & Ducem foedera. Nec dubitabat, Ducem, ad perniciem Florentinorum, Pontificem ad suam, magna excitaturos bella. Per hos dies, cum Acerrani obsiderentur, Sfortia profectus Aversam, vel odio iampridem concepto, vel defectionis metu, Tartaliam, nihil tale suspicantem, in convivio captum, securi indicta causa percussit. Odio id factum, an defectionis metu, nec fama novit, nisi quia praecipites agit invidia mortalium animos, & imperandi cupiditas aequalem aspernatur. Sunt enim, qui affirment, Sfortiam ad lectissimas illius copias nimis avidos iniecisse oculos, arbitratum, id quod minime fuit futurum, illius milites, Imperatore amisso, eius ductu auspi-

Foedus inter Pontificem & Ducem Mediolanensem percussum.

Tartalia a Sfortia occisus.

auſpicioque militaturos. Sed dolore amiſſi Ducis accendente invidiam, quippe quem nulla cauſa caeſum aſſerebant, fortiſſimus quisque clam aperteve, quae commodior dabatur occaſio, ad BRACHII caſtra fugiebant. Hic primum non militum ſolum, ſed etiam popularium, animi paulatim a Sfortia deficere, Pontificeque alienari coeperunt, ut ſolent ſcelera vix ipſis placere, qui committunt. BRACHIVS, poſt receptas Acerras, veritus, ne quid Sfortia in proximos Campanos moliretur, Capuam revertitur, turpiſſimum factu ratus, ſi in media victoria & Principatus ſui initio Campani direptionem agrorum, aut tale aliquid hoſtile pateretur. Sed tutam a bello civitatem acerbior invaſerat fames. Frumenti quicquid publici ſuperfuerat, ante adventum Regis Neapolim comportatum, privati, quod extiterat, cives ſuperioribus ſtativis depromſerant, & praeterea bella partim exhauſerant rem frumentariam, partim excoli agrum & ſementes fieri prohibuerant. Igitur ad alendum militem neceſſe erat aliunde frumentum comparare. Tractus maritimae orae, qua Vulturnus per loca vaſta atque herbida defertur in Tyrrhenum mare, commodiſſimus primum viſus eſt ad marinos commeatus excipiendos. Sed littus invium atque importuoſum fruſtrari ſpeculatores videbatur: tum iter per Vulturnum amnem longum ac perdifficile, obliquo

Illius copiarum ad Brachium fuga.

Capuae annonae caritas.

liquo atque adverso navigantibus flumine: terrestre iter multo magis periculosum. Quippe per medios ad Aversam hostes transitus erat faciendus. Sic, quacunque, vel mari, vel terra, frumentatum pergerent, aut immensum laborem, aut magnum discrimen, subituri videbantur. Res iam ad summam venerat necessitudinem. Miles fame gravi: civis maiori, quam ferri posset, caritate premebatur. BRACHIVS, ut hac quoque parte iuvaret Campanos, frumentatores cum maiore parte exercitus ad commeatus supportandos Neapolim dimittit. Ipse, cum reliquis copiis intentus pugnae, si quid accidisset, longa manu sequebatur, sic instructus ad pugnam, ut, si hostis occurrisset, composito esset agmine. Idem facit continuis pluribus diebus, facto semper per Aversanorum fines atque ante ipsas portas itinere. Sed labori tam continuo subeundo durare equi non poterant, simulque universum fatigari exercitum uno commeatu oportebat. Mutat ergo consilium BRACHIVS. Ducentos frumentatores inermes, sine hasta, sine sella, dimittit, qui Neapoli frumentum equis advectarent. Duos deinde tubicines inter Aversanum Neapolitanumque agrum, totidemque inter Campanum atque Aversanum, non procul a via regia in occulto locat: iisque imperat, ut, si ad commeatus impediendos hostes exeant, ut putabat exituros, qua parte id

adventu Brachii sublata.

id fiat, repente tuba significent. Regi præterea scribit, ut suas & ipse copias in parato teneat, ut, cum classicum cecinisset tuba, impetu magno concurrat ad hostium portas. Idem ipse fecit, instructa parataque acie, cum non procul a finibus hostium consedisset, tubae signum operiebatur, celeriter & ipse ad portas incursurus. Sic erat futurum, ut, quacunque hostis egressus urbem invaderet iumenta, interclusus gemina acie, occupatisque ab hoste portis, receptu prohiberetur. Nec destituit fortuna consilium. Sfortia, cognita per exploratores inermi paucitate, commeatum inter Capuam atque Aversam est adortus, existimans, eo negligentius incautiusque rediturum frumentatorem hostem, quo magis Capuæ appropinquaret: & impedita gravi onere iumenta spem subitae praedae faciebant. Tubicines, cognito hostium egressu, atque militum audito clamore, quantum altissimum possunt, edunt classicum. Quod excipientes alteri tubicines, classicum & ipsi cecinere. Regiae copiae, quia remotiores fuere, tardius quidem, sed tamen magno ad Aversam cursu, pervenerunt. BRACHIVS, instructa, ut erat, acie, prodiit in apertos campos, & diripientem commeatus hostem concitatissimo invadit impetu, clamoreque perterret. Inconditi hostes, & ad praedam capiendam dissipati, nullo commisso praelio,

Sfortia cum suis a Brachianis in fugam conjectus,

lio, in fugam ſeſe quam effuſiſſime converterunt. Inſequuntur animis pleni, feroceſque ab praeſente atque hortante duce BRACHIANI. Diverſa fuit trepidantium fuga. Nam id quoque proviſum eſt, ut inde impetus fieret, qua erant hoſtes ad ſuam urbem cum praeda reverſuri. Sfortia, fretus equi velocitate, per media effugit agmina. Sero cognitum milites inſecuti ſunt, nec ante perſequi deſtiterunt, quam ille, laxis habenis, excitatoque aſſiduis calcaribus equo, intra foſſas urbis praecipitem ſe coniecit. Capti ſunt equites quadringenti. Quae victoria, finis tanti belli, vehementer totius Regni proceres urbesque perterruit. Continuo proxima quaeque oppida in fidem rediere. Sfortia, omni amiſſo exercitu, paucos poſt dies inermis haud amplius quindecim inermium militum comitatu, ad BRACHIVM in caſtra venit. BRACHIVS, quem belli iure ipſis in caſtris capere potuiſſet, perbenigne eſt complexus. Hic omnia belli iura repetita, atque in medium educta, vetus amicitia, facile omnem contentionem ſuſtulerunt. Sfortia, quae ſecundo bello Peruſino geſſiſſet, commemoravit. His adiecit, militarem diſciplinam non eosdem inimicos, quos hoſtes, facere. Nihil unquam ſe privatim contra eius ſalutem dignitatemque molitum. Si quid adverſus imperium geſſiſſet, id belli iure geſſiſſe: nec ſe expurgatum offenſiones belli apud

Tandem caſtra Brachii petit,

ipſique pariter,

apud hostem, sed ad amicum imploratum opem venisse. Fateri, victum bello, quod alieno imperio susceptum, non ignave ac temere gessisset. Verum alienatis oppidanorum animis, deficiente iampridem stipendio, Pontifice magnificentius verbis, quam re, auxiliante, & hoste nihil intentatum dimittente, non mirum videri, si nunc tandem victus bello destitisset. Orare atque admonere, ut suae dignitati consuleret. Nihil illi futurum commodi, si ipse exutus rebus omnibus, atque extrema inopia perditus, iactaretur. Neutrum latere, quid demum valeant bella, & otium ac pacem eos desiderare, quibus bella non placeant. Inde utrique pendere fortunam, inde adeptos dignitatem, etsi illum maiora fortunae vela longius feliciusque provexissent, tamen nomen, dignitatem, imperium, omnia, ad bellicam artem esse referenda. Nec fuisse illum tantas nunc habiturum copias, tam larga, tam peregrina atque extrema stipendia, nisi ipse prior hoc belli excitasset. Inde ali sustentarique, quamvis magnos, imperatores, nec in pretio haberi militares duces, ni sint, quibus resistere adversarique sit necesse. Acciperet se non in socium: id enim non audere postulare; neque in militem, siquidem non tantum potuisse fortunam, ut animum simul cum exercitu superiore calamitate delevisset; sed in pristinam benevolentiam, quam, nullis violatis officiis, sed variis

variis & ita ferentibus temporibus, intermisissent. Non dubitare, curae illi futurum, si nullius rei, quam veteris amicitiae, meminisset. Ad haec BRACHIVS omni comitate affatus ordine respondit. Nec oblitum veteris beneficii. Nullas sibi, neque secundas, neque adversas, res tanti fuisse unquam, ut eius in se merita excidissent memoria. Nihil intercessisse offensionis. Quod si quid intercessisset, non magis, quid mali quisquam in se fecerit, quam quid boni, id demum esse cogitandum. Desineret bella commemorare, quae tamen apud viros integros longe plus aemulationis haberent, quam invidiae. Non mediocres habere gratias, quod hostis nulla re, praeter privatam amicitiam, fretus, in sua castra inermis incomitatusque venisset. Hoc non hostilis animi fuisse indicium. Nam qui multum sibi de hostis benignitate persuaderet, eum ostendere, non se hostem, sed socium esse voluisse. Utcunque se res haberet, polliceri operam suam, non factis, non dictis, defuturam. Nec quicquam amplius eo die est actum. Postridie Sfortia, duobus comitatus liberis, rursus ad colloquium revertitur. Hic primum de reconciliando illo Reginae agi coeptum, & BRACHIVM, ut quamprimum in Hetruriam rediret, multa solicitabant. Amor patrius, quo nihil ad trahendos mortalium animos efficacius. Revocatio Florentinorum, qui statim post factam in-

ter Pontificem & Mediolanenses societatem, Legatos ad eum miserant, ut, quam maturissime posset, in Hetruriam cum exercitu reverteretur, ne quid repente de improviso excitaretur belli. His igitur atque aliis de causis primum omnium Sfortiam Reginae per literas reconciliat, eique persuadet, nihil eius Regno futurum commodius, quam si belli causam, Sfortiae contentionem, sustulisset. Motis deinde ad Matalonium castris, oppidum in fidem redegit. Sed oppidani, Reginae imperium iampridem aspernati, BRACHII signa sustulerunt, ea conditione venientes in potestatem, ut illius iussis, non Reginae, parere cogerentur. Matalonium omnia, quae rebellaverant, oppida secuta sunt: undique delatae ultro civitatum claves. Proceres quoque post victum Sfortiam rebus suis consulere coeperunt, atque omnes Legatos, pars ad Reges, pars ad BRACHIVM, de pace miserunt. Hic finis fuit tanti belli, quod maiore apparatu, quam periculo, gestum est. Quippe nunquam signis utrinque collatis est dimicatum. Oppida pauca vi expugnata. Nec defuit iis gerendis rebus illa ipsa toties iam auxiliata celeritas. Intra paucos enim menses peracta res est, ut suppressum statim exortum bellum magis, quam gestum, fuisse videatur. His rebus ad Matalonium gestis, BRACHIVS, relicto ad Capuam exercitu, Neapolim proficiscitur. Hic cum Regi-

ac Reginae conciliatur.

Matalonium in fidem receptum.

Finis huius belli insecutus.

Proficiscitur Brachius Neapolim.

Sfortiamque copiis regiis praeficiendum curat.

gina egit, ut Sfortia primum in amicitiam ac fidem reciperetur: deinde, quando se Florentini ad componendas Hetruriae res communeque tuendum imperium revocarent, ut exercitui quoque eundem legionibusque praeficeret. Durum id in primis Reginae videbatur, ut sero mulieres iniurias oblivisci solent, suntque ad vindictam, quam veniam, promtiores. Persuasit deinde, quam periculosum foret sine exercitu teneri Regnum, quantoque periculo suis haberi sine duce exercitum. Tandem non tam assensa est, quam non denegavit. Regis quoque autoritas intervenerat, periculum futurum magis, quam praesentem iniuriam volventis animo. Fore enim videbat, ut virum consilio manuque eximium, aut ducem exercitus, aut, si quid unquam res titubassent, hostem, esset habiturus. Nec quisquam illo in Italia, post unum BRACHIVM, militia clarior. Ergo receptus in fidem Sfortia, &, sacramento adactus, regiis copiis praefectus est, eique ex foedere est imperatum, ut neque Regno decederet iniussu Regis Reginaeve, neque trans Aternum amnem, nunc Piscariam vocant, exercitum traduceret. Is terminus, is finis provinciae suae foret. Quippe extremos Samnites, Aquilanos, Matercinos, omnemque montanae regionis tractum, ad Picenum usque BRACHIO dono dedisse Reges ferebantur. Sunt tamen, qui, non dono datam, sed prae-

praesidio obtinendam, eam provinciam decretam affirment. Rebus sic compositis, BRACHIVS in Hetruriam circiter Calendas Apriles cum exercitu rediit, aegre eius discessum Rege Reginaque ferentibus. Rex, instructa classe, Caietam usque abeuntem est comitatus. Exercitus profectus terra, Dux ipse mari cum Rege delatus, ad agrum Minturnensem convenere. Hic expositum Rex amplexus osculatusque, milites quoque certatim pro se quisque, mansuetissimum valere iubet Regem. Inde, toto itinere clamantes, in Hetruriam victricia arma, victricia signa, referebant. Comitati abeuntem ex Regno nobilissimi quique: sed ad multam congressos viam, suam quemque domum abire iubet. Ipse, magnis & continuis factis itineribus, per medios Samnitas in Picenum contendit. Ibi paucos dies ad exigenda tributa, quae pendere quotannis Picentes consueverant, demoratus. Superat deinde magna cum celeritate Apenninum montem, factoque per Eugubinorum fines transitu, Tyfernum urbem pervenit. Locatis non procul ab urbe castris, per caduceatorem bellum Tyfernatibus, nisi pareant, denuntiat. Eius adventu magnus civibus iniectus est terror, ut solent subita mala vel fortissimo cuique esse terrori. Augebant quoque trepidationem Tyfernatium exules, quorum ingentem numerum hostium castra secutum audiebant.

Hinc redit in Hetruriam.

Tyfernates ad deditionem adhortatus,

 bant.

bant. Praesidia comparaverant nulla: Pontificis opem, quod urbis iure cessisset, minime implorandam existimabant. Si deditionem fecissent, exules, diu secuti hostem, futuri civitatis Principes videbantur. Si iure agenti restitissent, haud dubium putabant, obsidione, fame, ferro, ultima esse passuros. Tot circumventi difficultatibus, fecissent primo statim hostis adventu deditionem. Sed domesticae simultates, civiliaque etiam inter eos ipsos, qui domi regnabant, odia, prohibebant, opprimebanturque utilia atque honesta consilia civitatis intestino dissidio. Igitur veritum est, ne exules reducerentur. Deditionis consilium reiecere. Missi nihilo secius Legati, qui bona venia pacem postularent; ceterum de exulibus nullam acciperent conditionem. BRACHIVS Legatis respondit, non aliter pacem dare se posse, quam si ipsi sibi dederent civitatem. Nullam facere iniuriam, qui sua iura postularet. Hoc unum scirent, non se pro hostibus, qui deditionem impedirent, sed inimicis, & quidem acerrimis, habiturum. Non hic bello petere alienum imperium; sed iure suum vendicare. Cogitarent, si a quoquam ipsi agris, aut fortunis, quo minus frui possent, impedirentur, quonam tandem animo essent laturi. Multo sibi suas urbes, quam illis ipsorum agros, esse cariores. Accepisse a maioribus, illos miseros esse, qui nova parere nescirent; illos omnium

cum eorum Legatis sermones miscet.

um

um miserrimos, qui retinere parta non possent. Iampridem sibi eam urbem stipendio & sanguine partam esse, non invicto bello correptam. Nunc, si opus esset, bello acturum in Tyfernates, qui mala fide possessa sua bona, suum imperium, ne nunc quidem restituerent, cum peteretur. De exulibus nulla facta mentio. Legati re infecta, minis ac metu pleni, discesserunt. BRACHIVS, ubi videt, segnius civium rem procedere, nec minus impelli ad deditionem posse, prius admovet castra: nec tamen agrum infestat, ne tunc quidem agentibus de concordia civibus. Totius agri castella, etsi nihil hostile sentiebant, intra paucos dies a civibus defecerunt: quatuor duntaxat mansere in fide. Nec illa tamen hostiliter vexata. Metere, arare, pabulari, omnia denique mediae pacis opera passim permittebantur. Interea res urbanae tumultuosius agitari coeptae. Alii solvendam deditione obsidionem, alii frangendum, si possent pecunia hostem, in consilio disceptabant. Haec potior fuit sententia. Missi iterum de pace Legati, qui annuo tributo quinque millia nummum, si hostis bello decederet, pateretur que, liberos esse Tyfernates, pollicerentur. Legati pretio preces adiecerunt, orantes, ne finitimam, & optime de eius maioribus meritam civitatem, perditum iret. Sineret liberam esse, quam nulla vis externa ante id tempus, neque pa-

Tum castra admovet.

Alii Tyfernatium Legati.

ce, neque bello, subegisset. Commodiorem illi Tyfernatium amicitiam, quam servitutem, futuram, nec plus, subacta civitate, quam liberis civibus, vectigalium percepturum. Vix quinque millia nummum exigi vectigalibus posse: & tamen custodias arcis, munia civium, Magistratus urbis non aliunde parandos esse. In maximis auctionibus vix summam eo demum accedere, ut ali res urbanae cum dignitate possent. Omnia tamen citra servitutem passuros cives. Hanc unam minus honoris habere, quam ferre Tyfernates queant. Aut mori ante communem servitutem, aut vivere publica in libertate, statuisse: nec libertatem illis fide esse potiorem. Quae promitterent, rite pureque praestituros omnia. Uteretur amicis, quos servos sine urbis excidio habere non posset. Non latebat BRACHIUM, omni humana divinaque ope destitutos, obsidionem diutius pati non posse, non frumentum, non commeatus, non, quod omnium erat maximum, spem illis auxilii, subesse. Itaque Legatis respondit. Nihil sibi Tyfernatium pecunia opus esse, nec pro alienis fortunis unquam, semper tamen pro sua gloria atque imperio, ad ultimor, ubi res tulisset, fortunae se impetus obiecisse. Nunc multo ardentius repetiturum suas, quam ante cuiusquam opes invasisset. Nec tam insignem contumeliam atque iniuriam, ut ludibrio foret Tyfernatibus, esse passurum. Nam, quid ludifica-

Brachii responsio.

ficarentur? quid, quando liberos fuisse Tyfernates, aut cui Pontifici non servisse domini, illos non servitutem aspernari? Magnam tamen esse temeritatem ac dementiam, exasperare, quem iura atque arma essent factura dominum. Quo diutius hoc differrent bellum, eo se gravius illis imperaturum. Nam quid fidem, aut amicitiam, iactarent? Non posse amicos esse, qui de fortunis aperta vi magis, quam manifesto iure, contenderent. Si iuri ac legibus arma cessissent, cur non nunc statim sibi fuisse parituros? Si armis agenda res foret, cur suum nunc tandem imperium recusarent, amisso agro, destituti omni ope, qui Pontificibus solo metu, nullo bello, paruissent? Cessisse sibi Pontificem suo iure. Si rite cessisset, quid ipsi impedimento essent? cur iniuriam facerent suas res vendicanti? Sin nihil Pontifici fuisset iuris, non melius illum tenuisse imperium, quam se invasurum. Nec turpe esse Tyfernati populo, servire coactos bello, qui media in pace, omnique tranquilla Italia, servissent. Nam, quae ad vectigalia spectarent, curae sibi fore, ne quid sibi civitas caperet detrimenti. Non ideo se imperium quaerere, ut alienas avide extorqueret fortunas, quarum nihil indigeret, sed ut haberet, in quos benigne largiretur suas. Irent bono felicique auspicio. Dederent sponte civitatem, quam, nisi nunc darent, paulo post inviti coactique

essent daturi, &, quod victoris ira suaderet, direptiones, incendia, & extrema quaeque, subituri. Inirent hanc gratiam, servarentque civium opes, nec summa cum acerbitate in praedam & direptionem agi paterentur. Si pugnam expectarent, nihil se civitati consulturum esse: omnia militi in praedam cessura. Si deditionem sine praelio fecissent, daturum operam, ut neque publice, neque privatim, sui quenquam imperii poeniteret. Tysernates, cum duabus legationibus nihil profecissent, animos ad tolerandam obsidionem acrius confirmavere, id solum sperantes, aliquos futuros motus in Italia, quibus averti hostis bello, atque obsidione excedere, cogeretur. Spes erat magis, quam consilium. Ergo BRACHIVS, cognita pertinacia, castra propius locat: munit fossa & vallo, ut plane ostenderet, non se inde, nisi aut victum, aut capta urbe, posse divelli. Vigilibus castrorum imperat, ut egressum civem, si quis forte egrediatur, intercipiant, habeantque in vinculis. Nam ante eum diem clementius cum civibus agebatur, & egrediendi, & redeundi, liberis. Interea vineta & oliveta circum urbem igni ferroque vastare, villas passim ac late incendere, casas solo aequare, omnia denique licentius agere, coeperat miles. Tum primum civibus bellum terrori esse, ut cuique sua incommoda urbi erant propinquiora, ita dolor ex prospe-

Inde arctiori obsidione cinctum Tysernum

ſpecto incendio & deſiderium creſcere. Sed tanta erat animorum pertinacia, ut ultima experiri, quam facere deditionem, decreviſſent. BRACHIVS, etſi munitiſſimam videbat ſitu urbem, & expugnari perdifficilem, omnia tamen prius tentanda, quam inde diſcedendum, ſtatuebat. Tyfernas praeſidia largius diſponere, moenia, turres, propugnacula, ſaxo telisque complere, trepidare quidem animo, voce tamen hoſtem contemnere. BRACHIVS, ubi videt, rem ad oppugnationem ſpectare, quod opus foret maiore peditatu, mittit, qui Peruſiae delectus peditatum habendos, quique bombardas importandas, curarent. Quinque millia peditum ex urbe agroque delecta. Horum pauci erant ſagittarii, maior pars loricati, clypeatique, dolabris, verutis, falcaſtrisque terribiles, & quae praeterea civiles factiones varii generis invexerant arma. Peruſinorum adventu plus hoſtibus iniectum terroris, quam BRACHIO ſpei additum. Illi numerum & virtutem expaveſcere. BRACHIVS, quo magis Peruſinorum, inſitum natura corpori animoque, robur cognoſcebat, hoc minus libenter periculis obiiciendum putare totius Italiae florem. Nec enim ulla gens Peruſinis bellicis in rebus in Italia comparanda. Vix nati obequitant, curſitant, inſiliunt, deſiliuntque, & aetatem, ſupra quam dici poteſt, virtute antecedunt. Saepe citra ephoebos ſingulari dimicant

 cer-

certamine, & domi educatos, egisse foris aetatem, & institutos militiae, putes. Horum tantum numerum privatae inter se contentiones ardentius ad pugnam excitabant. Illi primis sibi cani signum, primi muros scandere, primam dari sibi aciem, postulabant. Nec quisquam libentius otium & quietem agere, quam illi praelium adituri, videbantur, ut suam quisque virtutem aemulatione ostentaret. Ea res BRACHIUM, veritum, ne illa virtutis aemulatio in periculosam temeritatem verteretur, aliquot dies ab oppugnatione continuit. Durissimum enim putabat, ad tantum discrimen cives devocasse. Ceterum haec eadem consilia potiundae urbis & occupandi temporis cupiditas discutiebat. Itaque, omni reiecta cunctatione, primum testudinem, quanta summa potest, altitudine aedificatam, muris iubet admoveri. Eam complet munitis gravissima armatura veteranis. Porro turri, quae pro portis imminebat, duas opponit intentatque bombardas. A lateribus frequente collocat sagittarios. Perusinum peditatum, aliquanto lassius circa hostium munitiones explicatum, subrigere scalas iubet, ut, si ad testudinem concurrissent propugnatores, tum demum ipsi vacuas moenium stationes occuparent, evaderentque ad summa propugnacula. Urbem scalarum ordines praecinxerant. Aliquot enim continuos dies ad eas conficiendas consumserat pedes. Horren-

rendam tot ſimul ſcalarum faciem, ubi conſpicati ſunt Tyfernates, in ſe atque in ſua moenia ordine adventantium, trepidare, vociferari, & ſeſe complangere, haud aliter, quam capta urbe, coeperunt. Exaudiebantur lamentabiles civium in caſtris voces. Nec quisquam de moenibus defendendis, omnes de fuga & latebris cogitabant. Pauci erant Primores civitatis, quorum opera hoſtibus reſiſtebatur. Hi, ubi publicum pavorem, ſubitamque trepidationem ſunt conſpicati, veriti, ne urbe expugnata direptaque, in poenam ipſi peterentur, neve, ſi hoſtis non viciſſet, tamen caedes civium, quas praelio fieri defenſorum erat neceſſe, conflarent invidiam, nullo adhuc iacto telo, clamant, deditos eſſe. Iuſſi ſtatim aperire portas, repente aperiunt. Obſides imperati. Continuo Primores emittunt civitatis. Hic finis fuit Tyfernatici belli. Quos non obſidio gravis, non vaſtata praedia, movere poterant, intentata oculis ſcalarum multitudo perterruit. BRACHIVS, dimiſſo peditatu, rebusque ad Tyfernum compoſitis, paucos poſt dies & ipſe Peruſiam proficiſcitur. Hic, quam unquam alias, magnificentius exceptus a civibus, publice egit gratias, & pedites egregie pro concione laudavit, non inficiatus, illorum opera conterritos eſſe Tyfernates, nec aliter deditionem fuiſſe facturos. Interea publica aedificia pleraque omnia refecta. Suffoſſus ad Thra-

Deditione recipit Brachius.

Peruſiam redux magnificentiſſime exceptus,

publica aedificia refici curat.

Thrasimenum monticulus, unde educta in Perusinum agrum aqua latius increscere, & in Cortonensem latius fundi, atque expandi non posset. Opus huic seculo, etsi nulla alia re, certe magnitudine ipsa, conspiciendum. Octingentos passus in longitudinem producta fossa, quae, centum octoginta cubitorum continens altitudinem, perpetuo compacta muro, alveus est hyberni fluminis. Nam aestate nec recipit Thrasimenus alienas aquas, nec refundit suas. Tunc vero, continuis auctus pluviis, late occupaverat loca, & finitimas littori villas passim obrutas ac mersas absconderat. Montes enim altissimi circum prominent. Inde praerupti, siccique aestate torrentes, hyeme ad convexa lacus ingenti fragore delabuntur. Nec ductus usquam patebat, unde defluens montium iugis aqua decurreret. Sed quantum hybernis crevisset fluctibus, tantum aestivi soles hauriebant. Interea quievisse paululum a continuis laboribus milites videbantur, cum Legati Regis Perusiam venere, initia novarum rerum nunciantes. Statim post BRACHII discessum magnos coeptos motus in Regno, quasdam civitates maritimae orae crebra inter se consilia agitare, Proceres atque optimates clam coetus facere, occulte cogi exercitus, nec tamen aperte quenquam adhuc defecisse. Sfortiam captum a Regina, & durissima tortum quaestione. Nihil tamen comper-

Legati Regis Siciliae.

pertum fraudis,eamque ob rem illum Reginae ac Regi non iniuria esse suspectum; ut solent mortales non facile credere, quibus iniuriam fecerunt. Petere Regem, ut aliquid Italici praesidii traiiceret in Regnum. Nam Valentinis, Catalanis, Hispanis, Italos natura infensos esse. Missi sunt equites quadringenti, haud sane contemnendum primo in tumultu robur. Nicolaus Picininus praeesse iussus,quanta potuit celeritate, Neapolim est profectus. Eius adventu paululum sedata res est, non tamen metu praesentis exercitus, quam quod, subsecuturum ceteris copiis BRACHIVM, frequens fama vulgaverat. Ad quem acciundum alteri missi a Rege Legati, Campani principatus insignia, aureum torquem, auream coronam,attulerunt. Coronatus est Idibus Februariis. Negotium tantae rei honestandae Fulginatium tyranno Legati dederunt. Erat enim is natura rerum omnium magnificus ostentator. Primum forum omne quam altissime pendentibus obtectum velis. Palatium deinde crispanti auro purpuraque late stratum,& qua defecisset aurum, argentea excipiebant purpurata stramenta. Medio in palatio ebore atque auro distincta sella, eaque celse conspicienda,fulgebat. Hinc atque inde dispari ornatu pressiora subsellia. Sellam BRACHIVS conscenderat. Prima subsellia Legati, altera magistratus urbis, cetera promi-

Missi auxilia Brachiani.

Nova Brachii dignitas.

miſcue milites civesque compleverant. Hic converſi ad Fulginatem Legati, fungere, inquiunt, regio munere, Fulginas. Sic Rex, ſic Regina, iuſſit. Age, collum torque, caput corona, ubi cinxeris, Capuae ſaluta Principem. Ille, inſignibus gemina ſublatis manu, ſellam ſubgreſſus. Quod immortales, inquit, Dii bene vertant, ego te primus hoc regio afficio munere, primus collum torque, caput corona, praecingo, primus Capuae Principem ſaluto. Tu, fac, mei Regumque memineris, & felix eſto. Eunt deinde ſalutatum Legati primum, mox civium militumque multitudo, magno plauſu gratulantium. Salutatione peracta, unus ex Legatis, praeſentia atque aetate venerandus, cum aliquamdiu pedibus ſtetiſſet, quid aurum, quid torques & corona ſibi vellent, paucis diſſeruit. Reginam pro fide & virtute purum aureum torquem, pro adepto Principatu coronam, dono miſiſſe. Magna ea die iacta fundamenta, iam receptum in ſtirpem regiam, iam eo imperio potiturum, quo ſoli, qui aut Reges, aut ex Regibus orti, eſſent, potiri conſueviſſent. Haec virtuti, haec invictae gloriae, data munera. Pergeret, quod coepiſſet, iter. Magna a Diis immortalibus portendi. Non occulte paratum ad regium faſtigium aditum, expectatione opus eſſe, non ſpe. Modo Deorum abeſſet invidia, certa eſſe, quae expectarentur.

plauſibus pu- Poſt haec ludi equeſtres magnifico apparatu

tu in foro celebrati. Nec defuere popularium laudes, nova carmina, plena regii splendoris, foro urbeque tota iactantium. Per hos dies Legati Florentinorum congratulatum venerunt. Creditur, etiam actum de Italiae rebus, & Pontificis ac Mediolanensium foedere. Nec multo post tertia Reginae ac Regis Legatio supervenit, ad accelerandam eius profectionem multo intentior. Iam tum suborta erat inter Reges suspicio. Creditur, Sfortiam non oblitum iniuriae, cum Regis se hortatu atque impulsu tortum existimaret, Reginae auribus illius odium instilasse, facileque persuasam mulierem, ut est sexus ille ad credenda crimina, quam investigenda, propensior. Inde tumultus Neapoli concitari coepti, dum pars, Regi faventes, molliculae foeminae fastidiunt imperium, pars, muliebri libidine solutiores, novum externumque Regem aspernantur. Per ipsum tempus Tudertini, cum ab exulibus, qui Canale oppidum tenebant, continenter infestarentur, BRACHIVM per literas oravere, ut assiduam belli materiam submoveret. Missa maior pars copiarum oppidum intra paucos dies expugnavit. Nec quicquam aliud gestum eo anno memorabile. Oppidum Nicolao Picinino, cui fratris filiam desponderat, in dotem datum, milites ad hyberna dimissi, estque deinde tranquillius hyematum. Circiter Calendas Martias BRACHIVS, quemadmodum quot-

blicis decorata.

Legati Florentinorum.

Reginae Regisque tertii.

Turbae Neapolitanae.

Oppidum Canale expugnatum.

quotannis facere consueverat, semestre stipendium militibus distribuit, iisque imperat, ut Idibus Martiis Tudertum omnes instructi paratique conveniant. Interea Legatos ad Pontificem, quid animi haberet, & hostis, an socius, futurus esset, sciscitatum misit. Princeps legationis Bindaccius Florentinus, eloquentia & consilio clarus. Sed Pontifice magnis rebus intento, & multa adversus Florentinos coquente, Legati nihil, praeter mera verba, retulerunt. Satis apparebat Pontificis & Mediolanensium foedus ad Hetruscum bellum spectare. Utrinque enim arma ciebantur. Nec Florentinos hostium consilia latebant, qui omni studio conati BRACHIUM in Hetruria memorari, ubi tendere illum ad Reges destinatumque bellum viderunt, aliunde copias sibi atque exercitum quaesiverunt. Ex BRACHIANIS etiam militibus quadringenti equites eorum auxilio relicti. Per hos dies quidam de prodenda arce Spoletana ad BRACHIUM detulerunt. Sed, re per arbitrum patefacta, conatus incassum reciderunt. Idibus Martiis, qua die iussi erant milites in Tudertinum convenire, BRACHIUS, exercitu in aciem educto, haud amplius, quam duo passuum millia, processit. Ibi, militari more lustratis copiis, equitum tria millia ducenti, peditum circiter mille, comperti. Hac manu ad componendum Regnum, reconciliandosque Reges, profici-

Legati, ad Pontificem missi, re infecta redierunt.

Brachii iter Neapolim susceptum.

ficiſcens, ad paucos dies in fines Aquilanorum pervenit. Hanc enim illi provinciam Regina decreverat. Aquila magnitudine quidem una inter Italiae urbes, ſed agreſtibus, quam civibus, longe frequentior, gelidiſſimis clauditur, & perpetua nive rigentibus, montibus. Incolae paſcendo pecori, lanificiisque intenti, magnas opes ac pecunias congeſſerunt. Ceterum aſperi atque inculti, & cum ſuis nati montibus, ut plurimum peculiaris induſtriae, ita nihil civilis ornatus, urbanaeque lautitiae, retinent, finitimis nulla re magis, quam multitudine, formidandi, agrum ſibi peperere montuoſum, & ſex atque octoginta oppidis caſtellisque frequentem. Interea, dum in Samnium BRACHIVS proficiſcitur, Regina, cui nihil praeter inſtabilitatem erat ſtabile, Regi tendit inſidias. Dubium, ſuaſu Sfortiae, an quo licentius concitatae libidinis frena laxaret. Quem cum excipere non poſſet, Hiſpanum exercitum diripi a Sfortia, pellique urbe militem, iuſſit. Rex fortuna & Deûm, quorum erat obſervantiſſimus, auxilio fretus, per medias elapſus inſidias, ad Caſtellum novum, maritimam arcem, effugit; collectisque celeriter ſuis, ac maioribus accitis ex Sicilia copiis, impetum in urbem fecit. Major pars civitatis direptui data, mulieres contra ius belli, tamen citra libidinem, abreptae, atque in Hiſpaniam transvectae. Regina cum paucis in montanam ef-

Deſcriptio Aquilae, urbis.

Inſidiae Regi ſtructae a Regina.

fugit arcem. Inde faces odii, inde futuri belli clades exorta. Oblita paulo ante recuperati regni & praeteritae calamitatis, BRACHIVM hostem, Sfortiam exercitus Imperatorem, declarat. Aquilani, secuti Reginam, si aliter nequeant, bello arcere BRACHIVM instituunt, prohibito frumento & commeatibus, denuntiant, ut agro finibusque decedat. Ille, ubi audit, hostem se declaratum, praeterito beneficio praesentem iniuriam stimulante, Regis quoque literis sollicitatus, ferro sibi viam facit. Hoc initium fuit Aquilani belli. Sunt tamen, qui affirmeut, ante petitum insidiis Regem, Aquilanos solos ex ea provincia BRACHII imperio parere noluisse: sic ira percitum movisse adversus eos bellum. Varios habeo autores. Ceterum res in se sit. BRACHIVS, fines Aquilanorum ingressus, Legationis munus obire per Samnium & Pelignos coepit, citare in ius reos, mutare vigilias, cooptare novos magistratus. Aquilani non modo dicto audientes non erant, sed transitum per fines facere, frumentum, commeatus, exportari, prohibebant. His de causis itum est hostili agmine in agrum Aquilanum. Primo impetu Posta, oppidum, expugnatur. Inde Ocrinum, inde Paganicum, Navellum, Largianum, inde, finitima quae erant castella cuncta, vi ferroque subacta. Quicquid praelio tentatum, id omne virtute militum superatum, direptumque est; Nec

Aquilanorum perfidia,

Bello ferroque vindicata.

Varia oppida atque castella expugnata.

Nec ullo in bello opulentior factus miles, pecorum multitudine. Sed agri defectione, magna iam obsessae urbis incommoda secuta, metus seditionum intestinarum, dolor succisarum arborum, sublata ab obsidione pascendi, quod erat reliquum, pecoris facultas, omnium maxime fames, invictum natura malum, urgebat. Hanc non patientia leniri, non animi magnitudine ferre, diutius poterant. Huc accedebat metendi frumenti desperatio, & praesentem famem futurae inopiae metus asperabat, fecissentque deditionem cives, nisi paucorum factiones praevaluissent, durissima quaeque patienda, quam deserendam Reginam, existimantium. BRACHIVS, totis viribus ad firmandam urbis obsidionem, omnes aditus, ne qua supportari clam frumentum posset, intercludit. Stationes militum, circa urbem dispositae, civem egressu prohibebant, &, ne qua erumpi in munitiones posset, gemina fossa valloque muniverat. Sic hostibus, undique legione circumdatis, neque coelo, neque terra, auxilii spes erat. Sed invidens magnitudini rerum gestarum, quasi iam tum mutari coepta, fortuna solvendae obsidionis viam aperuit. Forte per hos dies Larigianum, quod oppidum initio belli captum in agro dicebamus, nulla vi, aut metu, ad hostes defecerat. Haec res adeo BRACHIO est visa indigna, ut ad puniendum perfidiam, soluta statim urbis obsidio-

Aquila obsessa.

Defectio Larigianorum.

 dio-

fugit arcem. Inde faces odii, inde futuri belli clades exorta. Oblita paulo ante recuperati regni & praeteritae calamitatis, BRACHIVM hostem, Sfortiam exercitus Imperatorem, declarat. Aquilani, secuti Reginam, si aliter nequeant, bello arcere BRACHIVM instituunt, prohibito frumento & commeatibus, denuntiant, ut agro finibusque decedat. Ille, ubi audit, hostem se declaratum, praeterito beneficio praesentem iniuriam stimulante, Regis quoque literis solicitatus, ferro sibi viam facit. Hoc initium fuit Aquilani belli. Sunt tamen, qui affirment, ante petitum insidiis Regem, Aquilanos solos ex ea provincia BRACHII imperio parere noluisse: sic ira percitum movisse adversus eos bellum. Varios habeo autores. Ceterum res in se sit. BRACHIVS, fines Aquilanorum ingressus, Legationis munus obire per Samnium & Pelignos coepit, citare in ius reos, mutare vigilias, cooptare novos magistratus. Aquilani non modo dicto audientes non erant, sed transitum per fines facere, frumentum, commeatus, exportari, prohibebant. His de causis itum est hostili agmine in agrum Aquilanum. Primo impetu Posta, oppidum, expugnatur. Inde Ocrimum, inde Paganicum, Navellum, Largianum, inde, finitima quae erant castella cuncta, vi ferroque subacta. Quicquid praelio tentatum, id omne virtute militum superatum, direptumque est; Nec

Aquilanorum perfidia,

Bello ferroque vindicata.

Varia oppida atque castella expugnata.

Nec ullo in bello opulentior factus miles, pecorum multitudine. Sed agri defectione, magna iam obsessae urbis incommoda secuta, metus seditionum intestinarum, dolor succisarum arborum, sublata ab obsidione pascendi, quod erat reliquum, pecoris facultas, omnium maxime fames, invictum natura malum, urgebat. Hanc non patientia leniri, non animi magnitudine ferre, diutius poterant. Huc accedebat metendi frumenti desperatio, & praesentem famem futurae inopiae metus asperabat, fecissentque deditionem cives, nisi paucorum factiones praevaluissent, durissima quaeque patienda, quam deserendam Reginam, existimantium. BRACHIVS, totis viribus ad firmandam urbis obsidionem, omnes aditus, ne qua supportari clam frumentum posset, intercludit. Stationes militum, circa urbem dispositae, civem egressu prohibebant, &, ne qua erumpi in munitiones posset, gemina fossa valloque muniverat. Sic hostibus, undique legione circumdatis, neque coelo, neque terra, auxilii spes erat. Sed invidens magnitudini rerum gestarum, quasi iam tum mutari coepta, fortuna solvendae obsidionis viam aperuit. Forte per hos dies Larigianum, quod oppidum initio belli captum in agro dicebamus, nulla vi, aut metu, ad hostes defecerat. Haec res adeo BRACHIO est visa indigna, ut ad puniendum perfidiam, soluta statim urbis obsi-

Aquila obsessa.

Defectio Larigianorum.

 dio-

dione, contenderet. Motis ad oppidum castris, continuis praeliis totum biduum frustra oppugnat. Oppidani subito post cogitatam rebellionem, quicquid ad tuenda moenia opus foret, tela, saxa, trabes, intra oppidum comportaverant, &, postquam adventare hostilem exercitum intellexere, praesidium ex finitimis acciverant, magno animo paratos ad obsidionem ferendam. Situs quoque loci natura egregie muniti tuebatur. Cincti durissima obsidione, fortissime se defendebant. Nec quicquam ardentius ad moenium defensionem, quam commissae perfidiae scelus, accendebat, desperataque venia ex ignavissimo & timidissimo quoque strenuissimum atque audacissimum faciebat. Interim, usi occasione, Aquilani, quod videbant, hostem ad urbis obsidionem reversurum, civitatem frumento & commeatibus supplent, moenia, si qua facta labes esset, muro, turribus, propugnaculisque, communiunt. Legatos, qui a Regina opem implorarent, dimittunt, exercitum & ipsi quoque, pro tempore atque loco, ad praesidium comparant. Denique, quicquid praesens necessitas periculi exposcebat, diligentissime executi. Maxime omnium, collectam ex suo finitimorumque agro segetem intra urbem supportant. Animos universi ad difficillima quaeque confirmant. Non dies, non noctes, a labore muniendae urbis cessatum. Oppugnatio inter-

In quos expu-

interea procedebat, nec ante captum oppidum, quam pauci milites, cuniculo intra moenia subgressi, refractis celeriter portis, irrumpendi viam ceteris patefecerunt. Facta est caedes magna resistentium, & quasi mores iam cum felicitate mutare fortuna coepisset, turpiter potius, quam crudeliter, in omne genus virorum mulierumque saevitum. Libera virûm corpora in praedam militi concessa. Mulieres femore tenus, recisa veste, denudatae, atque in urbem compulsae, turpissimum & hosti, & civi, fuere spectaculum. Quippe semper alias diripiendis oppidis mulierum pudicitiae atque honestati consuluerat. Centurionem, vim puellae innuptae Acerris afferentem, ipse interemerat. Militem, petulantius in mulierem Campanam invectum, caedi fustibus iusserat. Nunc, velut coeptis mutari cum fortuna moribus, ne suae quidem dignitatis & modestiae habuit rationem. Hanc tam effrenatam atque immoderatam belli rabiem ne ipsi quidem milites probavere. Voces totis castris exaudiebantur, novam ducis aut saevitiam, aut iram, execrantium. Plerique, diuturnam felicitatem accusantes, nimiam ab secundis rebus insolentiam criminari. Non nulli naturam illam contendere Ducis esse, non iram. Quippe semper alias perfidiam ac fraudem perosum, ceteris in rebus humanum clementemque, fuisse. Haec res non modo auxit civium pertina-

[gnatos paulo crudelius saevitum.]

[Aquilanorum pertinacia.]

tinaciam, sed ex hostibus, non duris, inimicos effecit acerrimos. Tum, si qui erant in civitate, quibus hostium partes non displicerent, ita omnium subito conversi sunt animi, ut mori prius, si res exigeret, quam vel aequae pacis inire consilia, nedum deditionis, publice coniurarent. Sic verba factis prosecuti, summa civitatis ac fortunae paucis permissa, taciti atque obstinati, rerum eventum expectabant. Nec BRACHIO, nisi in fame & lassitudine, spes erat. Civitas, maxime populosa, edito sita monticulo, muro, fossa, vallo, circumdata, non modo irritam oppugnationem, sed obsidionem militi gravem ac difficilem, faciebat. Dum haec ad Aquilam geruntur, Florentini, commisso cum Mediolanensibus praelio, acie sunt superati. Quae res occasionem traiiciendi in Samnium exercitus Pontifici & Mediolanensibus praebuit. Illic enim caput totius belli stare videbatur, & ipsi paulo ante foedus cum Regina percusserant.

Florentini a Brachio auxilium petunt.

Florentini, re male gesta, nihilo secius instaurare bellum, reparareque exercitum, adorti, magnis habitis delectibus, ad BRACHIUM quoque auxilium petitum misere. Illi, durum quidem, diminuere copias, multo tamen durius, tam bene meritos socios deserere. Utrum faceret, magno futurum periculo, cognoscebat. Si Florentini, adversa pugna profligati, hostibus non restitissent, facile illos ad obsidionem solvendam

in

in Samnium traiecturos. Sin exercitum ipse diminueret, vel oppidanos obsidionem eruptione soluturos. Reginae quoque magnus apparatus nuntiabatur. Haec cogitantem Legatorum preces, ut auxilium, afflictis Florentinorum rebus, mitteret, perpulerunt. Missi sunt quadringenti alteri delecti equites, certissimum totius exercitus robur. Fertur, eorum discessu milites, deseri castra, nudarique stationes, conclamasse. Dixisse vero BRACHIVM, & quando se Florentinis gratias relaturum, si nunc non referret. Malle se bello, quam beneficio, superari. Alterum fortunae, alterum perfidiae, crimen esse. Diminuto igitur equitatu, ad supplendas copias, peditatumque augendum, misit, qui Perusiae delectus haberent. Conscripta peditum quinque millia, intra paucos dies ad castra convenerunt. Nicolaus Picininus, ad Aquilam revocatus, exercitum aliquantum confirmavit. Undecimus venerat mensis. Nulla tamen interea pacis habita mentio: nec civem gravis fames, nec hostes asperum & insuetum coelum, strictique glacie rigenti, & continuo gelu atque nive, campi, deterrere potuerunt, tanta utrinque certabatur, & obsidentis, & obsessi, pertinacia. Nec ulla regio in Italia brumali frigore horrentior, ut vulgo sit usurpatum, si hyeme ad Aquilam inferi non sint, nusquam esse. Militum tentoria, perpetua obruta nive, stridebant, saepeque, ventorum

Quod Brachius, mussitante milite, ipsis mittit.

Conscriptis novis copiis.

Aquila multo gravius obsidetur.

procella evulsa suis sedibus, tabernacula, qua flatus corriperet, disiiciebantur. Multis remedia fuere, ingenti trabe confecta, tuguria. Sylvarum namque ac nemorum nulla plaga feracior. Denique per omnia difficillima itum est. Nam & in castris quoque, si non eadem, quae civium, gravis tamen, fames sentiebatur. Aquilani, crebros nuntios significantes, quantis in rerum omnium difficultatibus atque angustiis versarentur, ad Reginam emittebant, orantes, ut undecimum iam obsessis mensem auxilium mitteret, nec vexari, oppressum pro sua fide, populum, diutius pateretur. Quae natura sustinenda docuisset, direptiones agrorum, incendia villarum, defectiones vicorum, frigus, inopiam, egestatem, denique difficillima quaeque, fortissime esse perpessos. Unam famem, etiam si ferre ipsi cupiant, natura tamen intolerabilem omnibus esse mortalibus. Iam eo ventum, ut insueta, vel barbarorum cibus, animalia, pro deliciis haberentur. Quod exemplum daturam ceteris, si Aquilanos deseruisset? aut quos hostilem impetum repressuros, quos iter in intimum Regnum impedituros, si Aquila potiretur hostis? Quod si nihil tam spectata fides moveat, hoc illa cogitaret, qua die hosti ea civitas cessisset, totum e vestigio Samnium defecturum, fauces atque aditus Regni libere admissuros hostem, nec ulla claustra, aut obstacula, tam bellicosam & ante eum diem in-

Crebri Aquilanorum ad Reginam nuncii.

invictam gentem eſſe retentura. Repeteret ſuperiora bella, quam brevi amiſſum Regnum idem Dux, idem exercitus, in fidem redire compuliſſet. Non ſegniorem nunc illum hoſtem futurum, quam olim fuiſſet amicus, nec tardius erepturum ei Regnum, quam paulo ante amiſſum recuperaſſet. Proinde uteretur fortuna ſua, quae hoſtilem furorem tot iam menſes circa unam urbem continuiſſet, nec, dum inde victor erumperet, certam, & imminentem Regno ſuo, cladem expectaret. Regina, interea precibus ac metu ſollicitata, ſimul Aquilanis ad tolerandum obſidionem non publice ſolum, ſed etiam privatim, confirmatis per literas, civium animos hortabatur. Simul ad Pontificem & Mediolanenſem Legatos ad auxilia petenda dimiſerat, & Sfortia quoque, magno interea comparato exercitu, cum externam expectare opem neceſſitudo minime pateretur, iuſſus eſt, quibus poſſet viribus, in Samnium proficiſci, aut ad removendum obſidione hoſtem, aut, ſi id non poſſet, ut ſociorum copias, ad Aternum amnem poſitis caſtris, opperiretur, ſtatimque, ubi conveniſſent, univerſis viribus belli diſcrimen adirent. Qui, ubi ad Aternum pervenit, inter flumen & mare, cetero tranſmiſſo exercitu, ipſe quoque traiecerat amnem. Sed eius ſcutarium adoleſcentem, quanquam robuſto invectum equo, cum paululum infra vadum declinaſſet, rapidus

Huius ad Pontificem & Mediolanenſem Legati.

Sfortiae ad Aternum miſer exitus.

pidus corripuit vortex. Huic opem laturus, conclamat Sfortia. Sed tarde accurrentibus aliis, ipse equum reflexit in vadum, ut resurgentem coma deprehenderet. Sed vel lubrico solo una cum equo delapsus, vel praecipiti correptus amne, nusquam postea nec visus, nec inventus, est. Hunc fortissimo & bellicosissimo Duci fata dedere exitum. Milites, amisso Duce, cum planctu atque ululatu littora complevissent, tandem compresso gemitu, ac diu nequicquam de fortuna conquesti, pedem retulerunt, non ausi hostium castris appropinquare. Tanti viri casus, nisi fortuna, quae plurimum potest, aliud iam destinasset, flectere Aquilanos ad deditionem potuit. Sed, caecae odio & desperatione, hominum mentes, ipsos etiam ad mala clauserant oculos, veluti callo duratis membris, vix ulli, quamvis graves, ictus, vulneraque sentiuntur. Igitur cives, ubi de interitu Sfortiae, & exercitus discessu, cognoverunt, parati, si opus foret, ad ultima subeunda, taciti vix iam aliunde opem expectabant, & desperationem, gravius aucta, fames urgebat. Tertium decimum obsessi mensem, quicquid erat frumenti publice privatimque, totum fere consumserant. Paulum, quod superfuerat, viritim dividi placuit. Subductis tamen cibariis iis, qui per aetatem arma ferre non possent. Nam equis vesci iampridem coeperant, nec foedis, & quae natura asperna-

Maximae Aquilanorum angustiae.

tur

tur, animantibus abſtinebant. Tandem, habita totius annonae ratione, vix ſupereſſe quindecim dierum alimenta, etiam parciſſime diſtributa, comperiunt. Tum duriſſimum videbatur, imbecillam plebeculam urbe depellere, multo tamen durius, miſeri, & fame pereuntis, vulgi mane veſperique audire querelas. Placuit conquiſitoribus & praefectis annonae, hac de re publice referre ad populum, ut vel provideretur ante tempus, vel, ſi id non poſſet, fortius, quae eſſent praecogitata, perferrent. Civibus in conſilium vocatis, decernitur, ut iterum nuncius ad Reginam mitteretur, ut ſciri poſſet, quid ſpei ſupereſſet miſerae civitati, ſimulque, ut ſignificarent, quantis in anguſtiis verſarentur, & quamdiu perferre obſidionem poſſent. Ad Nonas Iunias durare annonam. Si ad id tempus auxilium non mitteretur, Aquilanos non perfidia, ſed ultima fame, defecturos. Hoc accepto nuncio, Regina, omnem cunctationem reiiciendam, exiſtimans, mittit, qui a Pontifice & Mediolanenſe peterent auxilia, docerentque, quanta celeritate opus eſſet, ne hoſtis opulentiſſima potiretur urbe. Mittuntur undique auxiliares manus, &, veluti ad communem hoſtem delendum, omnis prope armatur Italia. Et tamen cunctis par unus fuiſſet, niſi vel nimiae gloriae cupiditas, vel, quod magis putaverim, mutata fortuna conſilium in temeritatem convertiſſet. Iam hoſtes, ſu-

Novus ad Reginam miſſus nuncius;

Novique huius ad Pontificem & Mediolanenſem Legati.

Adventant auxilia.

mnis, interfluit. Hanc BRACHIVS obruendam aqua, stagnandamque curaverat, occluso tria millia passuum infra eum locum multa obice atque aggere fluminis ostio. Quam rem angustae montium fauces, quas flumen perstringit, haud sane difficilem faciebant. Id eo factum consilio, ut, fatigati atque in acie obsiti, hostium equi, pedes inde tollere nequeuntes, altoque impediti stagno, medio deficerent praelio. Nam suorum equi multo erant robustiores & quiete, & pabulis. Futurum quoque putabant, ut aut incognitam loci faciem hostis exhorreret, aut, imperitus locorum, in ipsum fluminis concideret alveum. His peractis rebus, hosti diu citra montem haerenti, caduceatorem permittit, qui tutum adventum ad planitiem usque pronunciaret. Si transire montem vellent, ac praelium committere, nihil impedimenti, quoad omnes apertum in campum descendissent, accepturos. Scire se, non committendi belli, sed urbis supplendae, causa tantas copias adventasse. Scire etiam, non amplius octo dierum alimenta civibus extare. Illud existimarent, non se tot mensium operam uno momento temporis importando frumento perditurum. Committendum esse praelium. Si opitulari obsessis vellent, non aliter, quam victoria, frumentum immissuros. Proinde irent, quo necessitudo impelleret, & hostis benignitate aequissimum in locum descenderent. Habere

Caduceatorem ad hostium castra mittit.

here se compertum de eorum numero, nec ignorare, triplo maiores copias in hostium castris esse. Confidere tamen militum invicto robore. Utcunque futurum esset, non aliter inde, quam aut victum, aut victorem, abiturum. Caduceatori responsum ab hostium Imperatore, tum demum venturos in praelium, cum sibi libuisset, nec alieno permissu, sed arbitrio suo, descensuros in campum. Non eo esse animo, ut pugnam vellent detrectare. Ceterum non eadem dicebat hostis, quae sentiebat. Bellum enim, nisi coactis, capere prohibitis, omnis erat importandi frumenti cura. Hac re per transfugas cognita, BRACHIUS, ceteras montium fauces atque angustias occupaverat, ut hic unus relictus aditus in patentem campum mersamque flumine planiciem hostes ederet. Quintus iam abierat dies, cum hostis, omni alia interclusa via, ad supremum montis se iugum ostendit, ratus, quod postea fuit, BRACHIUM nimia magnitudine animi, quod erat per caduceatorem pollicitus, universas copias expectaturum, nec ante confligere coepturum, quam structae forent ad planiciem acies. Igitur paulatim turmae per montis devia praemissae, donec omnem exciperent equitatum, expectare ad radices iubentur. At BRACHIUS, ubi descendere equitem videt, manu equos longo lapsu per praecipitia trahentem, peditatum omnem ad occupandas angustias, mittit, ius-

Cui ab Imperatore iactanter responsum.

Hostium paulo propior accessus.

iussum, ut descendentem hostem nihil impediret, nec, nisi dato signo, etiam si profligatum se viderent, eo loco discederent, relinquenti locum capitis poena proposita. Iam aliquot hostium agmina ad infimas radices devenerant, ibique sese componentia, venientem paulatim militem excipiebant. Quod ut videre BRACHIANI, ii praesertim, quorum autoritas plurimum posse debuerat, clamant, ut impetum in paucos faciant, antequam ceterae copiae convenirent, simulque pediti signum daretur, ut subter euntes, superne adorti, vel saxis opprimerent, facile hoc modo quod iam descendere coepissent profligatum iri contendentes, certamque illam, non fortuitam, esse victoriam. Stultum esse, ubi ratio belli valeat, id in fortunae temeritatem devocare. Saepe clamasse hoc ductores feruntur, tum maxime, cum maiorem hostilis exercitus partem descendisse, & reliqua per ipsa dorsa montium longo defluere ordine, conspicarentur, nihil magis, quam tantam multitudinem, veriti. BRACHIVS semper idem respondisse traditur, aut moriturum eo praelio, aut hostes ad unum debellaturum. Credo, trahentibus ad cladem fatis, qui semper alias suorum usus consilio, nec militum tentavit, aut incendit, animos, nec in manifesto discrimine consulentium clamorem exaudivit, vel quod nimium virtute militum & loci aequitate confideret, vel, quod magis

Brachianorum consilium,

a Brachio reiectum.

magis putant, ne, quod per caduceatorem hoſti erat pollicitus, quanquam ille non accepiſſet conditionem, tamen aut fraude, aut metu, minus praeſtitiſſe videretur. Iam hoſtes, impedimenta frumentumque prae ſe agentes, in planiciem omnes devenerant. Hic quadratis agminibus prohibituri, ſi diripere iumenta hoſtis vellet, aciem inſtruunt. BRACHIVS, cum tempus iam adeſſet, quo tot partas victorias, tamque late propagatum imperium, unius horae momento & fortunae permitteret, Nicolaum Picininum cum quatuor cohortibus, ne erumpere civis poſſet, ante urbis portas collocavit, ipſe cum parte ceterarum copiarum, progreſſum ad mediam planiciem, hoſtem impetu magno adoritur. Hinc pugnae initium fuit. Profiliunt utrinque medium in campum, permiſcenturque militibus milites, tela primum haſtasque vibrantes, mox gladio cominus gerentes rem. Hoſtium ſingula agmina trecentos, BRACHIANA ſexaginta equites continebant. Tamen ſic quoque agminum illi numero praeſtabant. Accitum igitur alterum agmen, hoſtis catervam late fuſeque turbaverat, adeo pauci multos virtute ſuperaverant. Nec reliqua hoſtium acies pugnam detractavit. Ruunt pari curſu in praelium, paratae utrinque turmae clamore atque impetu, quanto poſſunt, maiore. Sic aliquot horis atrociter eſt dimicatum, neutra inclinante acie. Tum

Pugnae inter hunc & illos graviſſimae,

Tum BRACHIVS ſignum dat ceteris cohortibus, ut, quanto poſſent impetu, mediam in pugnam ſe coniicerent. Dant illi ſeſe in confertam aciem, nec tulere impetum hoſtes, ſed, perturbatis ordinibus, ad radices montis, qua una patebat via, fugientes ſe recipiebant. Inſtat a tergo BRACHIANVS, urget, premitque haſta fugientes. Ubi toto agmine ad radices eſt ventum, hoſtes, cum nec fugere poſſent, nec in ordinem redire, denſiſſimum in globum collecti, ferientium ictus excipiebant. Ingens enim denſata multitudo quoddam quaſi robur, ac molem, qua ſe ipſa tueretur, effecerat, paucique, converſi in frontem, pro loci anguſtiis reſiſtebant. Actum erat, ſi pedites praelio interveniſſent. Iam haſtas confregerant BRACHIANI, &, tanquam ad ſaxum ictus incuſſi, non ſine hoſtium magna ſtrage, militem fatigaverant. Inter haec Michiletus, unus ex Reginae ducibus, ubi videt, ſpem fugae ſublatam, & hoſtilem peditatum montis iugo inhaerere, oppoſitis in frontem paucis delectis equitibus, reliquos hortatur, ut paulatim ſeſe in ordines laxarent, crebrumque peditem, qui equorum ilia ſuffoderent, repugnantibus intermiſcet. Inde futurae cladis initium fuit, undecies centena equorum tergora poſt conflictum Aquilam reportata traduntur. Tot ſimul ſuffoſſis equis, quingentos delectos milites aliquanto circumvehi interval-

 lo,

procella evulsa suis sedibus, tabernacula, quae flatus corriperet, disiiciebantur. Multis remedia fuere, ingenti trabe confecta, tuguria. Sylvarum namque ac nemorum nulla plaga feracior. Denique per omnia difficillima itum est. Nam & in castris quoque, si non eadem, quae civium, gravis tamen, fames sentiebatur. Aquilani, crebros nuntios significantes, quantis in rerum omnium difficultatibus atque angustiis versarentur, ad Reginam emittebant, orantes, ut undecimum iam obsessis mensem auxilium mitteret, nec vexari, oppressum pro sua fide, populum, diutius pateretur. Quae natura sustinenda docuisset, direptiones agrorum, incendia villarum, defectiones vicorum, frigus, inopiam, egestatem, denique difficillima quaeque, fortissime esse perpessos. Unam famem, etiam si ferre ipsi cupiant, natura tamen intolerabilem omnibus esse mortalibus. Iam eo ventum, ut insueta, vel barbarorum cibus, animalia, pro deliciis haberentur. Quod exemplum daturam ceteris, si Aquilanos deseruisset? aut quos hostilem impetum repressuros, quos iter in intimum Regnum impedituros, si Aquila potiretur hostis? Quod si nihil tam spectata fides moveat, hoc illa cogitaret, qua die hosti ea civitas cessisset, totum e vestigio Samnium defecturum, fauces atque aditus Regni libere admissuros hostem, nec ulla claustra, aut obstacula, tam bellicosam & ante eum diem in-

Crebri Aquilanorum ad Reginam nuncii.

invictam gentem esse retentura. Repeteret superiora bella, quam brevi amissum Regnum idem Dux, idem exercitus, in fidem redire compulisset. Non segniorem nunc illum hostem futurum, quam olim fuisset amicus, nec tardius erepturum ei Regnum, quam paulo ante amissum recuperasset. Proinde uteretur fortuna sua, quae hostilem furorem tot iam menses circa unam urbem continuisset, nec,dum inde victor erumperet, certam, & imminentem Regno suo, cladem expectaret. Regina, interea precibus ac metu sollicitata, simul Aquilanis ad tolerandum obsidionem non publice solum,sed etiam privatim,confirmatis per literas, civium animos hortabatur. Simul ad Pontificem & Mediolanensem Legatos ad auxilia petenda dimiserat, & Sfortia quoque,magno interea comparato exercitu,cum externam expectare opem necessitudo minime pateretur, iussus est, quibus posset viribus, in Samnium proficisci, aut ad removendum obsidione hostem, aut, si id non posset,ut sociorum copias, ad Aternum amnem positis castris, opperiretur, statimque,ubi convenissent, universis viribus belli discrimen adirent. Qui, ubi ad Aternum pervenit, inter flumen & mare, cetero transmisso exercitu, ipse quoque traiecerat amnem. Sed eius scutarium adolescentem, quanquam robusto invectum equo, cum paululum infra vadum declinasset, rapidus

Huius ad Pontificem & Mediolanensem Legati.

Sfortiae ad Aternum miser exitus.

pidus corripuit vortex. Huic opem laturus, conclamat Sfortia. Sed tarde accurrentibus aliis, ipse equum reflexit in vadum, ut resurgentem coma deprehenderet. Sed vel lubrico solo una cum equo delapsus, vel praecipiti correptus amne, nusquam postea nec visus, nec inventus, est. Hunc fortissimo & bellicosissimo Duci fata dedere exitum. Milites, amisso Duce, cum planctu atque ululatu littora complevissent, tandem compresso gemitu, ac diu nequicquam de fortuna conquesti, pedem retulerunt, non ausi hostium castris appropinquare. Tanti viri casus, nisi fortuna, quae plurimum potest, aliud iam destinasset, flectere Aquilanos ad deditionem potuit. Sed, caecae odio & desperatione, hominum mentes, ipsos etiam ad mala clauserant oculos, veluti callo duratis membris, vix ulli, quamvis graves, ictus, vulneraque sentiuntur. Igitur cives, ubi de interitu Sfortiae, & exercitus discessu, cognoverunt, parati, si opus foret, ad ultima subeunda, taciti vix iam aliunde opem expectabant, & desperationem, gravius aucta, fames urgebat. Tertium decimum obsessi mensem, quicquid erat frumenti publice privatimque, totum fere consumserant. Paulum, quod superfuerat, viritim dividi placuit. Subductis tamen cibariis iis, qui per aetatem arma ferre non possent. Nam equis vesci iampridem coeperant, nec foedis, & quae natura asperna-

Maximae Aquilanorum angustiae.

tur

tur, animantibus abstinebant. Tandem, habita totius annonae ratione, vix superesse quindecim dierum alimenta, etiam parcissime distributa, comperiunt. Tum durissimum videbatur, imbecillam plebeculam urbe depellere, multo tamen durius, miseri, & fame pereuntis, vulgi mane vesperique audire querelas. Placuit conquisitoribus & praefectis annonae, hac de re publice referre ad populum, ut vel provideretur ante tempus, vel, si id non posset, fortius, quae essent praecogitata, perferrent. Civibus in consilium vocatis, decernitur, ut iterum nuncius ad Reginam mitteretur, ut sciri posset, quid spei superesset miserae civitati, simulque, ut significarent, quantis in angustiis versarentur, & quamdiu perferre obsidionem possent. Ad Nonas Iunias durare annonam. Si ad id tempus auxilium non mitteretur, Aquilanos non perfidia, sed ultima fame, defecturos. Hoc accepto nuncio, Regina, omnem cunctationem reiiciendam, existimans, mittit, qui a Pontifice & Mediolanense peterent auxilia, docerentque, quanta celeritate opus esset, ne hostis opulentissima potiretur urbe. Mittuntur undique auxiliares manus, &, veluti ad communem hostem delendum, omnis prope armatur Italia. Et tamen cunctis par unus fuisset, nisi vel nimiae gloriae cupiditas, vel, quod magis putaverim, mutata fortuna consilium in temeritatem convertisset. Iam hostes, su-

Novus ad Reginam missus nuncius;

Novique huius ad Pontificem & Mediolanensem Legati.

Adventant auxilia.

mnis, interfluit. Hanc BRACHIVS obruendam aqua, ſtagnandamque curaverat, occluſo tria millia paſſuum infra eum locum multa obice atque aggere fluminis oſtio. Quam rem anguſtae montium fauces, quas flumen perſtringit, haud ſane difficilem faciebant. Id eo factum conſilio, ut, fatigati atque in acie obſiti, hoſtium equi, pedes inde tollere nequeuntes, altoque impediti ſtagno, medio deficerent praelio. Nam ſuorum equi multo erant robuſtiores & quiete, & pabulis. Futurum quoque putabant, ut aut incognitam loci faciem hoſtis exhorreret, aut, imperitus locorum, in ipſum fluminis concideret alveum. His peractis rebus, hoſti diu citra montem haerenti, caduceatorem permittit, qui tutum adventum ad planitiem uſque pronunciaret. Si tranſire montem vellent, ac praelium committere, nihil impedimenti, quoad omnes apertum in campum deſcendiſſent, accepturos. Scire ſe, non committendi belli, ſed urbis ſupplendae, cauſa tantas copias adventaſſe. Scire etiam, non amplius octo dierum alimenta civibus extare. Illud exiſtimarent, non ſe tot menſium operam uno momento temporis importando frumento perditurum. Committendum eſſe praelium. Si opitulari obſeſſis vellent, non aliter, quam victoria, frumentum immiſſuros. Proinde irent, quo neceſſitudo impelleret, & hoſtis benignitate aequiſſimum in locum deſcenderent. Habere

Caduceatorem ad hoſtium caſtra mittit.

bere se compertum de eorum numero, nec ignorare, triplo maiores copias in hostium castris esse. Confidere tamen militum invicto robore. Utcunque futurum esset, non aliter inde, quam aut victum, aut victorem, abiturum. Caduceatori responsum ab hostium Imperatore, tum demum venturos in praelium, cum sibi libuisset, nec alieno permissu, sed arbitrio suo, descensuros in campum. Non eo esse animo, ut pugnam vellent detrectare. Ceterum non eadem dicebat hostis, quae sentiebat. Bellum enim, nisi coactis; capere prohibitis, omnis erat importandi frumenti cura. Hac re per transfugas cognita, BRACHIVS, ceteras montium fauces atque angustias occupaverat, ut hic unus relictus aditus in patentem campum mersamque flumine planiciem hostes ederet. Quintus iam abierat dies, cum hostis, omni alia interclusa via, ad supremum montis se iugum ostendit, ratus, quod postea fuit, BRACHIVM nimia magnitudine animi, quod erat per caduceatorem pollicitus, universas copias expectaturum, nec ante confligere coepturum, quam structae forent ad planiciem acies. Igitur paulatim turmae per montis devia praemissae, donec omnem exciperent equitatum, expectare ad radices iubentur. At BRACHIVS, ubi descendere equitem videt, manu equos longo lapsu per praecipitia trahentem, peditatum omnem ad occupandas angustias, mittit, ius-

Cui ab Imperatore iactanter responsum.

Hostium paulo propior accessus.

iussum, ut descendentem hostem nihil impediret, nec, nisi dato signo, etiam si profligatum se viderent, eo loco discederent, relinquenti locum capitis poena proposita. Iam aliquot hostium agmina ad infimas radices devenerant, ibique sese componentia, venientem paulatim militem excipiebant. Quod ut videre BRACHIANI, ii praesertim, quorum autoritas plurimum posse debuerat, clamant, ut impetum in paucos faciant, antequam ceterae copiae convenirent, simulque pediti signum daretur, ut subter euntes, superne adorti, vel saxis opprimerent, facile hoc modo quod iam descendere coepissent profligatum iri contendentes, certamque illam, non fortuitam, esse victoriam. Stultum esse, ubi ratio belli valeat, id in fortunae temeritatem devocare. Saepe clamasse hoc ductores feruntur, tum maxime, cum maiorem hostilis exercitus partem descendisse, & reliqua per ipsa dorsa montium longo defluere ordine, conspicarentur, nihil magis, quam tantam multitudinem, veriti. BRACHIVS semper idem respondisse traditur, aut moriturum eo praelio, aut hostes ad unum debellaturum, Credo, trahentibus ad cladem fatis, qui semper alias suorum usus consilio, nec militum tentavit, aut incendit, animos, nec in manifesto discrimine consulentium clamorem exaudivit, vel quod nimium virtute militum & loci aequitate confideret, vel, quod magis

Brachianorum consilium,

a Brachio reiectum.

Tum BRACHIVS ſignum dat ceteris cohortibus, ut, quanto poſſent impetu, mediam in pugnam ſe coniicerent. Dant illi ſeſe in confertam aciem, nec tulere impetum hoſtes, ſed, perturbatis ordinibus, ad radices montis, qua una patebat via, fugientes ſe recipiebant. Inſtat a tergo BRACHIANVS, urget, premitque haſta fugientes. Ubi toto agmine ad radices eſt ventum, hoſtes, cum nec fugere poſſent, nec in ordinem redire, denſiſſimum in globum collecti, ferientium ictus excipiebant. Ingens enim denſata multitudo quoddam quaſi robur, ac molem, qua ſe ipſa tueretur, effecerat, paucique, converſi in frontem, pro loci anguſtiis reſiſtebant. Actum erat, ſi pedites praelio interveniſſent. Iam haſtas confregerant BRACHIANI, &, tanquam ad ſaxum ictus incuſſi, non ſine hoſtium magna ſtrage, militem fatigaverant. Inter haec Michiletus, unus ex Reginae ducibus, ubi videt, ſpem fugae ſublatam, & hoſtilem peditatum montis iugo inhaerere, oppoſitis in frontem paucis delectis equitibus, reliquos hortatur, ut paulatim ſeſe in ordines laxarent, crebrumque peditem, qui equorum ilia ſuffoderent, repugnantibus intermiſcet. Inde futurae cladis initium fuit, undecies centena equorum tergora poſt conflictum Aquilam reportata traduntur. Tot ſimul ſuffoſſis equis, quingentos delectos milites aliquanto circumvehi intervallo,

lo, & a latere impetere iubet hostium aciem. Eorum impetum ut exciperent BRACHIANI, pauci se in frontem convertere. Sic ancipiti praelio, non tamen inferiores erant, nisi quod equos passim hostilis pedes fodiebat. Inter haec Nicolaus Picininus, quem ad portas urbis relictum dicebamus, cum his, quibus praeerat, cohortibus, magno cursu in confertissimos hostium perrumpens cuneos, pervolavit, incertum, praedae cupiditate, victos hostes arbitratus, an ut fatigatis opem integri militis ferret. Haec res, ut hostem primum conterruit, ita postea perniciosa BRACHIO fuit. Primus impetus ad repellendam perturbandamque, paulo ante recompositam, aciem satis efficax, & fugam moliti hostes forent, si qua profugium patuisset. Sed imminente hinc iugo, inde flumine, aut pugnare cum hoste a fronte, aut cadere imbelles, oportebat. Nec ducibus consilium deerat, uno totius exercitus globo impetum urgentis excipientibus, hortantibusque ad suffodiendos equos peditem. Dum haec in acie aguntur, cives, qui iam ab initio pugnae cuncti sese armaverant, ubi excessisse hostium praesidium, obstareque neminem vident, ingenti numero totis bipatentibus erumpunt portis, nec viri modo, sed foeminae quoque, hastis, dolabrisque armatae, multitudinem terribilem faciebant. Sex millia fuisse traduntur, qui, magno per colles veluti sylvarum fragore dela-

delapsi, omnia pulvere clamoreque complebant. Inde aucti animis hostes, perterriti BRACHIANI. Nec tunc quidem peditatus in praelium a monte descendit. Retulit mihi Paggius, vir manu strenuus, nunc etiam aetate venerabilis, qui bello interfuit, & Ducis a latere nunquam discessit, saepe BRACHIVM pediti signum, quia tuba non poterat, manu voceque dedisse; sed clamore praeliantium, & in nubem exurgente pulvere, neque enim stagno pugnabatur, pedites signum non percepisse. Atque ita, ut erat imperatum, nunquam eo discessisse loco. Additque, paulo ante quingentos ex iis, cum premi hostem, e iugo despicerent, ad praedam desiluisse, direptisque extremis impedimentis, ne fraudi res foret, in montis se culmen ad expectandum signum recepisse. Aquilanorum adventu ingens equorum facta caedes. Anceps erat malum. Si militem premerent, civis a tergo, stricto paratus mucrone, hastaque intentata, feriebat. Sin, in civem conversi, militi dedissent terga, rediissent agmina universa in ordines, circumvenissentque fatigatos. Equi passim interea cadebant. Erat hoc virtutis, contendentis cum fortuna, spectaculum, paucos equites tot millibus hominum pares esse, atque in media, ut erant, pugna locum sibi late gladio facere. Nam hastas iampridem in fugientium confregerant terga. Dux ipse per mediam aciem, mediaque tela, sublimis

equo circumvectus, simul gladium stringere, simul voce manuque hortari, accendere, & unumquemque nomine appellare, cernebatur. Sed trahunt quemque sua fata: nec semper virtuti fortuna succumbit. Ventum erat in confertissimum exercitus robur, in mediamque signorum aciem BRACHIANA illata signa pervaserant, cum circumeuntem & hortantem suos, sunt etiam, qui dicant, milites, coepta iam fuga, sistentem, gregarius miles medio gutture vulneravit. Inde lata facta consternatio, caesum imperatorem existimantium. Laxat totas habenas, consternatus, in fugam eques. Fusi dissipatique, nunquam antea victi, BRACHIANI. Dux ipse, caedendo resistendoque, multis confossus vulneribus, vivus quidem, sed non multo post ab plagis moriturus, capitur. Victor, ex infima plebe miles, ignotum ante id tempus caput, ad hostium imperatorem invectum, ut erat, equo deduxit. Ille, vicissitudinem rerum humanarum contemplatus, miseratione quadam, & lacrymis, partam ex victoria laetitiam, temperavit. Exemtum equo, & intra tabernaculum subductum, benigne, aut non audientem, aut audire nolentem, est affatus. Sed ne unum quidem elicere quisquam potuit verbum, vel quod alte descendentes mortiferae plagae vim omnem sensumque exhauserant, vel ut, quoniam fortuna victum corpus in potestatem hosti tradidisset, animum sibi invi-

miser flebilisque exitus.

Captus Brachius,

invictum ipse retineret. Acciti undique medici, qui, magnis propositis a victore praemiis, nihil intentatum dimiserunt. Sed, destinatus ad mortem, animus omnem medicamentorum opem respuebat. Quippe totum triduum sine cibo, sine potu, mutus, cum egisset, incertum, vulneribus, an inedia, est extinctus, anno aetatis sexto & quinquagesimo, superstite adhuc matre. Nec quicquam hostis, praeter elingue corpus, habuit in potestate. Et medici, vivere posse, praedixerant. Hic exitus fuit viri, nunquam, nisi in morte, superati, nec tunc quidem ante capti, quam vulneribus multis confossi. Qua in re, mutata iampridem fortuna, plurimum obfuit, primum, quod magnam exercitus partem in auxilium Florentinorum iniquo suo tempore dimiserat. Deinde hostes, carpere singulos cum potuisset, universos expectans. Peditatus opera non est usus, qui, si praelio interfuissent, & dissipassent procul dubio fugatum hostem, nec resistendi compotem fecissent, & equos ipsi quoque hostium suffodissent. Postremo quoniam, qui praesidio ad reprimendam civium eruptionem erant dimissi, iniussu Ducis, an spe praedae, aut pugnae errore, loco abierunt. Sic fuit non solum cum milite a fronte in castris, sed etiam cum urbanis praesidiis, civilique multitudine, a tergo, uno tempore dimicandum. Ioannes Ursus saepe postea dixisse fertur, se, cum hoc bel-

triduo post moritur.

Causae cladis Brachianae,

atque praesagia.

 lum

lum gereretur, Praetorem in Piceno fuisse, venisseque Asculum, stipatum frequenti populo, virum, natu grandem, promissa & cana barba, Mathematicum, & praesagium rerum futurarum profitentem. Hunc a se rogatum, essetne victor futurus BRACHIUS Aquilano bello, si hostes ad praelium venissent? Quaesisse ad cogitandum tempus, postridie vero, ad tribunal reversum, respondisse: Si Dux ipse bello non interesset, victorem futurum BRACHIANUM exercitum. Sin, praesente Duce, confligeretur, minari stellas, superiorem hostem. Quae res, ut ante pugnam neglecta, ita postea eventu rei, & omnium iudicio, est comprobata. Nisi enim prohibitus esset miles, descendentes in convallem, hostes carptim profligasset, cepisset, usurusque in pugna fuisset etiam peditatu. Erat in hostium castris gregarius, & infimae fortunae, miles, qui, post factum Perusiae tumultum, pulsosque seditionis autores, in auxilium ultro cum plebeiis exierat. Hic, se per somnium vidisse, aiebat, BRACHIUM, sublimi equo circumvectum, magnam caedem hostium edere, cum vero ad se interficiendum vibrasset ensem, repulisse statim, atque obliquo vulnere medio illum gutture traiecisse, pauloque post ad pedes iacuisse mortuum. Id se iterum, id tertio, videri vidisse. Autor erat non satis certae fidei. Ceterum res ipsa somnium probavit. Quippe media in pu-

gna

gna hortantis,sistentisque militem, voce cognita, imminens iugulo, cum sequeretur, primus omnium, mucrone primum guttur, deinde cervicem,exhausit. Tradunt,Legatos Perusinorum,in castris cum adessent, & hostium audirent adventum, fando aliquid, ut assolet, quaesisse a Nicolao Picinino, quid ei futurum ex hoc bello videretur? Illum,secum cogitabundum, diu haesisse,respondisse tandem, omnia sub fortuna esse, nec se diffidere de militum virtute, aut Ducis animo, neque tam hostium terreri numero, quam vereri, ne,invidia diuturnae felicitatis, fata cursum eius imperatoris abrumpendum statuissent. Id se ex coniectura videri coniicere. Mutatos esse subito imperatoris mores. Ex leni & comi durum ac morosum factum. Consilia veteranorum militum, quibus ante id tempus uti plurimum consuevisset, aut prorsus contemnere, aut reiicere, salutaria, & deteriora perniciosioraque deligere. Paulo ante, etiam in mulieres, inauditum facinus, citra belli iura, & eius consuetudinem, esse saevitum. Fortunam primum ingenia mortalium, deinde opes, evertere consuesse. Utcunque res fuit, praecipuum tamen spectatae, & nunquam antea subactae, virtutis spectaculum. Pugnatum est atroci praelio, septem continuis horis, & a duobus millibus duodecim millia ad montem usque fugata rejectaque. Non modo cum virtute ab hoste, sed etiam cum

fugae desperatione, pugnatum. Nec ante superatus miles, quam vulneratus imperator, & ad paucitatem equorum redactum certamen, Undecies enim centum, ut dicebamus, tergora equorum in urbem relata. Illo mortuo, totis castris secutum silentium, quasi plus esset in amisso doloris, quam laetitiae in capto. Eius milites, qui aut bello superfuerant, aut ab hostibus erant dimissi, plerique, facta potestate, spirantem adhuc consolandi gratia adierunt, remotisque arbitris, ut vocem tolleret, utque cibum caperet, hortati, nihil profecerunt. Nec ullum in Ducem tantus militum amor. Illi tabernaculum hostis, noctu, moesti ac taciti, perlustrare, illi interdiu, facta, quoties vellent, potestate, frequentes ad lectum perstare, tangere, intueri, suspirare, cernebantur, &, ubi tabernaculo excessissent, obvoluto capite, plorantes; nulli non hostium lacrymas excutiebant. Duces omnes, memores rerum humanarum, fortunam, ut praelio benignam, ita exitu nimis malignam, criminantes, morientem circumsteterunt, primique e tabernaculo, lacrymas ac voces tenere nequeuntes, ad militem exiere. Tum vero late se afflictantium voces ad coelum iactari coeptae, gemitu exululantium completa loca, nec quisquam ex eius exercitu, eorum, qui aliquem ordinem, aut dignitatem, gessissent, qui non barbam, capillumque promiserint, vestesque prociderint, pleri-

Brachianorum erga suum Ducem fides.

Eorumque pariter ac ipsorum hostium luctus.

rique, tanquam ultima sortiri rerum humanarum, militia perstiterunt. Corpus, iussu Pontificis Romam delatum. Sed paucis post annis Nicolaus Fortebrachius, cum Romam, & ipse veluti devotum huic familiae, pulso inde Pontifice, occupasset, colligenda patrui ossa, & Perusiam deportanda, curavit. Perusini, non immemores acceptorum beneficiorum, exequiis, Christiano more, publico luctu, funebrique pompa, celebratis, ultima Diis Manibus persolverunt. Ossa sublimi ac dignissimo templi loco reposita suspiciuntur. Et, ne quid latere posteritatem posset, tumulo in summo templi fastigio substructo, signa militaria, & aurei torques circumpendentes, memoriam & Ducis, & Principis, gratissima in patria testantur.

Corpus primo Romam,

post vero Perusiam delatum,

dignissimo templi loco fuit repositum.

FINIS.



IOAN-

IOANNES ANTONIVS CAMPANVS CAROLO FORTEBRACHIO, IMPERATORI, S.

Scriptionis causa.

Mitto ad te parentem tuum, non lineamenta solum, atque articulos, qualis e pictorum manibus prodire solet, effingentem, sed loquentem, pugnantem, & nunc tandem excitatum ab inferis, in hanc demum ad te lucem exeuntem. Amplissimum profecto munus, quo quidem ornatus fortasse, certe maius nec ipse tibi dare, nec tu a quoquam accipere, potuisses. Nam de tuis gestis, quanquam magna sunt, post te, qui erunt superstites, iudicabunt. Viventi raro gloria sine adulatione, aut invidia, contingit. Morienti neque invidetur unquam, nec oculi assentantium unguibus effodiuntur. Tu modo innitere, ut facis, parentis tui vestigiis. Non deerunt, qui effugere tecum caducam mortalitatem conabuntur. Quod ego mihi cum parente tuo spero fecisse, ut pari cursu ille gestorum, scriptorum ipse, contendisse ad immortalitatis spem videamur. Qua in re, cum non nihil mihi fortasse debeas, plus tamen Petro Ioanni nostro, tui nominis ac generis amantissimo, debebis. Ille me, ut hoc scribendi munus susciperem, hortatus est. Ille

Adhortatio ad Fortebrachium.

le cuncta, ut explorata nobis, compertaque forent, indagavit, iacentemque parentem tuum, & iam multos exemtum annos, ſuis una mecum manibus excitavit. Tu vero hanc Epiſtolam ſimul cum opere transſcribendam nemini dabis, ne, quod ipſi non fecimus, nimis amice ſcripſiſſe hiſtoriam videamur.

Vale.

IOANNES ANTONIVS CAMPANVS ODDONI SVO S.

Fateor, hominem me eſſe fortunatum, qui, cum ineptiolas meas ad clariſſimum Ducem, Carolum Fortebrachium, deſtino, iudicem te habiturus ſim, cuius iudicio reprehendi res meas, quam aliorum laudari, malim. Spero, te id in primis cogitaturum, non omnes Senecas eſſe poſſe, &, ſi quid eſt in me, vel artis, vel ingenii, te, tanquam Roſcium e ſummo theatro, primam hanc mean actiunculam ſpectaturum, puerilem illam quidem, ſed hoc magis venia dignam iudicandam, quia puerilem. Qua in re, quanto potui ſtudio, conatus ſum ſic ſervare hiſtoriae dignitatem, ut magnitudini geſtarum rerum orationis amplitudinem accommodarem, &, quae magnificentius geſta

Singularis Campani laetitia, modeſtia, ſtudium.

ſta forent, ea & gravius, & illuſtrius, explicarentur, cetera preſſius iacerent. Orationes etiam plenas ſpiculis, non illis oratoriis atque forenſibus, ſed quibus hiſtoria, tanquam in acie, communis uti conſuevit.

contentio. Sed quid haec tecum? Vide, corrige, emenda, & Campani tui ſic tuere dignitatem, ut e tuis manibus laudatus, & emendatus, exeam.

Vale.



IOAN.

IOANNIS ANTONII CAMPANI,

EPISCOPI APRUTINI,

VITA PII II,

PONTIFICIS MAXIMI.

MICHAEL FERNVS MEDIOLANENSIS, B. DIAC. CARD. REVERENDISSIMO, EX BONA AVGVRATIONE.

Si quid unquam a Diis immortalibus petii, Pater Reverendissime, in quo mihi bene optatum esse censeam: id in primis fuisse cognosco, cum illi a me rogati fuerunt, ut mihi, quando vitam meam, studia mea, actiones omnes meas, meos omnes cogitatus, tibi vivere, tibi dicare possem, occasionem praestarent. Nondum mihi prope, quid esset Roma? quanta vestri Senatus gloria? quae vitae urbanae ratio? notum erat, cum divinae virtutis tuae claritas aures meas circumsonabat, & me ad tacitam quandam in te devotionem excitavit. Porro ubi ad hanc vestram, Terrarum Dominam, Urbem fata me perpulere, te animo, te oculis, semper ita contemplatus sum, ut non maiore cultu & reverentia quodpiam numen venerari, & observare, potuerim. Cernebam, quanta in te patriae nostrae sita esset gloria? qua prudentia, qua dexteritate, qua omnium benevolentia, apud Illustrissimum & Reverendissimum Ascanium, cui totum te dederas, sublimia & excelsa natus ad imperia gubernanda, cuncta administrares. Et non iam coniicere modo hunc amplissimum in te dignitatum fasti-

fastigium, sed intueri prope, & suspicere, videbar, cum te tua divina virtus vel invitum ad aliud extolleret. Praestantissimam virtutem tuam, prudentissima gesta omnia, altissima consilia, palam in omni sermone praedicabam, literis mandabam, in omni hominum congressu tuam gloriam, tuam ingenii sublimitatem, mores integerrimos, afferebam. Et iam nemo in tota fere Urbe fuit, qui meum in te studium, meam in te devotionem, & non admiraretur, & non obstupesceret. Haec quanquam non obscuris iam pridem potuisse te argumentis nosse cogitarem, nec me lateret, viros summae apud te autoritatis id saepe tibi testatos fuisse, unde spem tua mihi humanitas eam fecerat, ut de te mihi polliceri possem, quae de quocunque optimo & beneficentissimo Principe: non ego tamen conquiescere animo posse videbar, donec meum hoc in te studium & observantiam insigni quopiam munere, & memorando, tibi posterisque manifestum facerem. Cui desiderio cum nihil satisfacere magis posse, quam literaria monumenta, ducerem: ex omnibus, quae olim Campanus, ille Antistes Teramanus, vir unus multorum memoria seculorum in his liberalibus studiis, & dicendi gloria, summus, &, quae edenda ego, illius ingenii captus amore, suscepi, conscripsit, operibus Pii vitam II. Pontificis Maximi, viri in literis & imperio gloriosissimi, quam tuae dignatio-

tioni dicarem, delegi: parvum sane opus, sed Pii ipsius gloria & splendore omnium, quae ediderit unquam, amplissimum, & in quo cum admiratione coelestis ingenii, fortunae felicissimae, rerum ab illo gestarum magnitudinis, tui etiam imagine quadam, & futurae felicitatis faustissima auguratione, summam delectationem possis accipere. Equidem cum omnes illos veteres percenseo, magna illi quanquam implerint volumina, quem huic vel literis, vel in imperio gubernando, conferam, plane ex omni Graecia, atque nostra hac Romana Urbe, virorum praestantissimorum uberrimo seminario, neminem habeo. Neque puto, Campanum, alioquin virum facundissimum, & qui nisi grandia strueret, neque nisi grande aliquid & eximium illius manibus, tam de se bene meriti, deberet, sine consilio, & exacta ratione, tanti viri vitam & res gestas in tam angustum libellum coëgisse, quasi illa spatiosa volumina plus ostentationis ingenii, quam veritatis, habeant, & fidei. Et Pii vita exemplaris, & nobis, tanquam formula, semper ante oculos habenda, in latos historiae campos diffundi non debuit, quae longae lectionis taedio pernosci non posset. Quam ob rem & tu, Pater amplissime, operis exiguitatem tam despicere non poteris, quam non debebis, quandoquidem & nosti, in literis non animi magnitudinem solere, sed autoris eruditionem, & rerum, quae continentur, dignitatem spectari. Et facile

co-

cognoscis, potuisse me ingentes librorum fasces tibi dicare, verum non quaesivisse me ostentationem, & strepitu laudum occupari tuam in me benevolentiam, at quidem geniali opusculo augurium, quaedam & arcana praesagia, pro votis & cupiditate protendere. Et spero equidem, ubi omnia evolveris, nihil me tibi gratius dare, nihil convenientius, potuisse, fatebere. Nam quid a me tibi optabilius dari poterat, quam eius tibi vitam inspiciendam proponere, in quo quandam prope tui imaginem, tanquam in speculo, posses introspicere? Quando enim mecum Pium illum contemplor, illius fortunae primordia, gentilitia signa, res gestas, animi magnitudinem, Principum benevolentiam, Deorum, hominum, beneficia, tantam in te cum illo paritatem invenio, quanta non possum ab admiratione desistere. Ardens utrumque & vivida virtus ad praeclarissimos honores evexit. Eadem utrique coeli sidera praefulsere. Utinam sic cetera augurio respondeant, ut, quos luna eadem coelesti agnatione illustret, iidem Principes excoluerunt, par hominum benevolentia complectitur, eosdem quoque ad paria dignitatum culmina fata perducant. Coluit Pium, & veneratus est, usque adeo gloriosissimus Princeps noster, Sfortia Franciscus, ut nulla maior inter Pontificem & unum Principem benevolentia, & mutuae caritatis observantia, extitisse perhibeatur. Te quantum & inclytus Dux Ludovicus, &

E e *excel-*

PII II. PONT. MAX. PER IO. ANT. CAMPANUM, EPISCOPUM APRUTINUM, VITA.

Pius Secundus originem duxit ex Sena, celebri Tuſcorum urbe, familia Piccolominea, nobili ac pervetuſta, patre Sylvio poſthumo, qui aliquando militares duxit ordines, matre Victoria, aeque nobili, & foecunditatis eximiae, foemina: quippe duo deviginti, & ex iis gemellos aliquot, puerperiis edidit. Natus eſt quinto decimo Cal. Novembris Corſiniani, quod oppidum duo & viginti millia paſſuum diſtat a Sena, in fundis gentilitiis; quo parentes paucis ante annis ſe receperant, ſtudio partium a plebe deiecti. Nomen puero Aeneae Sylvii inditum in memoriam avi. Prima rudimenta Corſiniani peregit admodum puer. Senae propinquis commendatus celeriter, & in Poëtica, & in Oratoria, profecit. Ius civile ſero amplexus, & lente, brevi omiſit, natura ad Poëticam inclinatiore. Initia famae ex rhythmis comparavit, Hetruſca lingua editis. Mox, oratione & verſibus laudari coeptus, multa ſcripſit, ad aemulationem aequalium: inter quae & leviuſculae quaedam fabellae cum excidiſſent, aliquando poſtea ſupprimere

Pii II. origo;

Nomen & ſtudia admodum pueri.

conatus minime potuit, Italia tota pervulgatas. Pertaesus rerum domesticarum, simul & quaerendae gloriae cupidus, Basileam, Helvetiorum urbem, contendit; quo in loco, diu antea indictum, concilium tunc adversus Eugenium Pontificem habebatur. Itinere obliquo & perdifficili, propter ortum cum Florentinis finitimis bellum, quo metu navigaturus secundum tractum Ligustici littoris, cum Populonia solvisset, adversam incidens tempestatem, Corsica omni, ac Sardinia, vi ventorum circumactus, in Lybiam usque propellitur. Revectus in Ligusticum pelagus, & expositus in continentem, cum diversoria deessent, taedio rerum nauticarum, & recenti periculo territus, pernoctare sub dio, quam redire ad navem, maluit. Reliquum iter per Genuam atque Alpes egit. Basileae quidem haberi in pretio, & salutari, ob ingenium coepit. Sed rebus minus, quam speraverat, succedentibus, in Italiam reversus est. Nec diu perstitit, secutus Eugenii Legatos, repetitaque rursus Basilea, Coloniam Agrippinam secundo Rheno adnavigavit; brevique ibi commoratus, descendit Attrebates, Belgarum urbem: quem in locum Gallorum Reguli Britannorumque convenerant. Hinc ulteriorem in Britanniam, nunc Scotiam, missus ad Regem, adversus citeriores Britannos, qui paci adversabantur, solicitandum. Ad Calexium ingressus oceanum, gra-

Primum eius perdifficile Basileam iter.

Moxque domum reversi alterum eiusdem Basileam; hinc per Germaniam & Belgium,

in Scotiam usque protractum iter.

gravi exorta tempestate, pene demersus, ex cursu a nostro coelo in intimum oceanum perpulsus, duodecim dies ad casum navigavit: reiectus tandem in Britannicum littus, agnitusque a regiis speculatoribus, ac prohibitus ulterius progredi. Remetiendo quoque oceano, duas subivit tempestates, quarum altera, dum Scotiam petit, in Norvegiam pellitur. Ex eo loco delatus in Scotiam, perpellere quidem ad bellum Regem non potuit; effecit tamen, ut Legatos mitteret, qui de pace agerent, & auxilia Britannis deinceps non administraret. Ipse quoque duobus asturconibus donatus a Rege est, unione adiecto, quem matri destinaret. Hac in insula, votis solvendis, quae inter fluctuum aestus virgini matri nuncupaverat, initium eius morbi contraxit, qui dolore articulorum permansit ad vitae exitum, glacie decem millibus passuum nudis pedibus ad fanum usque calcata, ut redire in oppidum non aliter, quam lectica, potuerit. Scotia decedens, non ausus patenti se committere oceano, habitu mercatoris repetita Britannia, regios speculatores astu elusit. Basileae XII Viris, qui conventui praeerant, cooptatus, concilium ut Papiam traduceretur, frustra suasit: Italis Florentiam, Germanis Utinum, Gallis Avinionem, praeferentibus. Munia curiae obivit fere omnia. Primum scriba, mox abbreviator maior, designatus, postremo & in-

Basileam tertium reversus, varia obiit munia,

 ter

ter deputatores conſcriptus, etiam epiſtolis conciliaribus praefuit. Legationes, praeter Scoticam, quam diximus, eo in loco novem ſuſcepit: ad Argentinenſes tres, ad Conſtantinenſes duas, ad Francfordienſes totidem, ad Allobrogas, & Tridentinos Rhetios, ſingulas. Profectus etiam in Noricos ad Albertum, Caeſarem deſignatum, brevi apud eum manſit; traducere in ſententiam Baſilienſium conatus, an potuerit, ſubſecuta ſtatim illius mors incertum fecit. Octoviratum, ad conterendam Eugenii dignitatem inſtitutum, recuſavit, quanquam ſaepe oblatum, haud legitimum ratus magiſtratum, quem tanta de re privati inſtituiſſent.

variasque legationes.

Felicem tamen, Anti-Papam, aliquamdiu ſecutus eſt; a quo Legatus miſſus ad Federicum Caeſarem, Alberto ſuffectum, laurea donatur: quod Poëtarum inſigne praecipuum Germani habent. Mox & inter amicos Caeſaris relatus, adſcriptusque Secretariis, haud multo poſt praefectus, eſt. Ad ultimum adſcitus inter conſultores imperii, invidiam quanquam Italus inter Germanos brevi ſuperavit. Prima legatione, Caeſaris nomine, ad Tergeſtanos functus, ſeditiones in civitate exortas compreſſit, actis in exilium, qui motum concitaſſent. Altera ad Eugenium, adverſantibus amicis, quod offendiſſe illum graviter videbantur, oppugnata toties ad Baſileam eius dignitate. Eo reconciliato, & rebus ex ſententia confectis,

A Felice, Anti-Papa, ad Federicum Caeſarem Legatus miſſus laurea donatus,

moxque ipſius Caeſaris amicis adſcriptus fuit.

Variae eius, Caeſaris nomine, legationes.

divertit ad patrem, ultimo iam confractum senio: nec enim deinde vidit amplius, paulo post mortuum. Eugenii quoque Secretarius factus est absens: quo munere apud Felicem functus, nondum se abdicaverat. Tertiam inde obivit legationem ad eundem Eugenium de duobus Electoribus Caesarum restituendis, quos ille, Felici assensos, & gravia in ipsius dignitatem molitos, exauctoraverat. Profectus est eadem de causa Francfordiam, simul ut neutralium conventus dissolverentur. Ii erant, qui dissidentibus ceteris, neque Eugenio, neque Felici, paruissent, veluti ad nova concilia, atque incerta, spectantes. Rediitque iterum Romam, ac rursus Francfordiam, de conditionibus acturus, itinere hiberno, & cui magnitudine nivium, ac vi excrescentium fluminum, prope succubuit. Reliquiis contentionum Germanicarum tertia demum legatione sublatis, exceptus est Romae ob operam prospere navatam omnium ordinum supplicationibus. Ægrotanti Eugenio Germanos, quorum opera vocatus in iudicium fuerat, reconciliavit secundum supplicationem de rebus Germanicis. Praefectus est Tergestanis, rumore temere orto de Praesulis morte, competitoribus multis, qui ad subitum nuncium coorti sunt, ab Eugenio repulsis. Mox, cum vivere Antistes nunciaretur, Ipodiocanus efficitur. Eugenio mortuo, comitiorum custodiae praefuit, iubente

Quibus peractis, Romae honorifice exceptus,

Tergestanis praefectus Praesul,

mox Ipodiocanus efficitur.

Collegio, quod viro opus esset ad eam rem, minime factioso. Nicolaum, qui Eugenio suffectus est, multo habuit propensiorem, propter vetus in Germania contubernium, in qua & ille functus legationibus fuerat Eugenii nomine. Itaque & confirmavit decretos ab Eugenio honores, & novos ipse addidit, iusso, qua die est coronatus, auream crucem anteferre, & consul de religionis summa adesse. Profectum deinde Roma, certiore allato nuncio de Antistitis morte, id quod Eugenius destinaverat, Tergestanis praefecit, ignarum eius rei, donec in Germaniam pervenit. Ibi & Nicolai ad Federicum, & amicorum ad se, literis rem cognoscit. Missus paulo post ad Mediolanenses cohortandos, ut, mortuo Philippo, Duce, sine legitima stirpe, Federico imperii iure se dederent, exclusus est. Erectis in libertatem civium animis, simul quod a Germanicis imperiis, repetita priorum temporum memoria, abhorrerent, brevi deinde circumsessis a Francisco Sfortia, Philippi genero, iussus iterum redire, collegis ad Novicomum metu subsistentibus, ipse magno cum discrimine ingressus urbem, civibus in concionem vocatis, maiorem partem eorum perpulit, Federicum acclamarent: & cum armis quidam oppressuros alteram factionem pollicerentur, recusavit, indignum, nec e legatione sua, esse, dicens, in stabilienda iusto imperio civitate cui-

Nicolai Papae erga Pium animus.

Legatio eius ad Mediolanenses;

cuiquam vim fieri. Fuitque constans opinio, mansuram in fide civitatem, si subventum in tempore obsessis fuisset. Mox, legatione altera aliam excipiente, Neapolim missus, auctor fuit regiae affinitatis, Leonora, Lusitanorum Regis sorore, Alfonsi nepte, Federico desponsata. Interea designatus est Senensium Antistes, absens, quamvis infensa nobilitati civitas alium postularet. Senae, omni reiecta pompa, more maiorum urbe agroque lustrato, rediit in Germaniam: quo tempore & matrem emisit, duo de septuaginta annos natam. Inter redeundum summovit bellum, quod Veneti obsesso Tergestae de contentione finium intulerant. Extemplo, ubi ad Federicum pervenit, ad Boëmos mittitur, arma sumturos, nisi properasset. Cum enim Ladislaum, Pannoniae ac Boëmiae Regem, admodum puerum, fratris filium, Federicus metu insidiarum, & quod regno immaturus adhuc esset, atque iniuriae obnoxius, apud se educaret, adhibitis custodibus, ne clam subduceretur: Boëmi, indignum rati, custodiri, arcerique a regno patrio, Regem, coactis copiis, bellum, nisi dimitteret, comminabantur. Horum conatus statim compescuit, ratione adhibita, cur ita fieri oporteret, maxime iniecto metu veneni, quo, paucis post annis dimissus a patruo, puer fraude Boëmica assumtus est. Veniente in Italiam Federico, recedens ipse, ut

item Neapolitana.

Interea fuit designatus Antistes Senensium.

Postea missus est a Federico ad Boëmos.

Insidias a Senensibus sibi

structus mire elusit,

cum civitatibus de transitu, cum Nicolao de coronandi Caesare, ageret, suspectus haberi Senensibus coepit, veritis, ne spe vendicandi imperii Caesarem ad mutandum civitatis statum impelleret, eiectis popularibus, qui rerum potiebantur, ac nobilitate ad pristinam libertatem restituta. Qua de re inter se cum agerent, & facta eius dictaque clam palamve explorarent, nec prodire obviam, nec, ubi domum venit, frequentes salutavere. Cogitatum & de inferenda clam nece a potentioribus, rumor fuit. Quam ob rem Decemviros adiens, delere eam suspicionem frustra est conatus. Auxit invidiam mortuus collega, Fullendorfius, & in aede virginis matris loco celebri sepultus: quam rem argumentum adesse iam recepti imperii, querebantur, homine externo, veluti prodita libertate, in civium sepulchra delato. Tum demum, ut tempori cederet, Thelamonium se contulit, veluti Leonoram excepturus, ex Lusitania mari venientem. Accitus inter haec a Nicolao, minime paruit, valetudinem causatus, suspicionem tamen eius sustulit, quod vulgatum erat, constare inter coniectores, Nicolaum, aut moriturum intra Calend. Aprilis, aut in vinculis futurum; periculum ex Federico portendi, novo Imperatore, urbem armis vendicaturo; quo metu Nicolaus Federici adventum extrahere in autumnum cupiebat, fatalem diem occupaturus. Sed

obviam eundo Leonorae, Federici sponsae;

Æneae

Æneae literis confirmatus, proposito absti- tit. Leonoram comitatu regio, haud procul a Pisis descendentem e navi, Federici nomine primus excepit, quanquam aegre ferentibus Germanis, qui aderant, Federico propinquis. Pisas ingressos Florentini, ex multitudine suspicione iniecta, cum depellere moenibus vellent, eius gratia atque auctoritate vi abstinuerunt. Idem ad Volaterras factum, quod hae urbes, altera, subacta armis, exposita videretur ad omnem motum novitati, altera in finibus sita esset. Senae ad aream pomoerii, sponsa Federico exhibita, orationem habuit perelegantem, quae puellae, Lusitanorumque Regum, laudes complecteretur. Extat adhuc pro portis marmorea columna, pompae congressusque monumentum. Cum cives adventu Federici nobilitatem relegassent, armata undique iuventute ad custodiam urbis, ut eos metu solveret, non obscura opera Federici, discessum acceleravit. Ac tum demum remissa suspicione, & propinquis, nobilitateque omnium revocata, ipse, publico civitatis nomine, Legatus ad Nicolaum designatur, continenti itinere Federicum sequi iussus; in quo, resalutandis Cardinalibus, qui obviam prodiissent, interpres fuit linguae Germanicae ignaris. Nicolaum primum adiens, cum omnia septa armis invenisset, metu liberavit. Postridie orationem habuit de Imperatore coronando, & variam,

quam Pisis exceptam

Senae Federico exhibuit.

Nova Pii ad Nicolaum, publico Senensium nomine suscepta, legatio.

variam, & plenam vetuſtatis; interpres ac moderator omnium, quae inter Nicolaum & Federicum acta ſunt, utriusque in ſe gratiam auxit. Federico Neapolim ad Alfonſum, coniugis avunculum, eunte, Romae ſubſtitit, dolore pedum demoratus, ſimul ut Regem Pannoniae, adhuc impuberem, in adventum patrui aſſervaret. Orationes in reditu Caeſaris duas habuit: altera gratias egit Nicolao & Collegio Patrum; altera hortatus eſt ad bellum adverſus Turcas ſuſcipiendum. & poſteriore quidem ita movit, ut extemplo ipſe Legatus cum ſumma poteſtate ad Pannonios, Boëmos, Noricos, ceteramque Germaniam, deſtinatus ſit. Cum Florentini, Federicum Piſana & Volaterrana iniuria offenſum, ac deinceps Neapoli ab Alfonſo incitatum, exiſtimarent, atque ideo tranſitum prohibituri dicerentur: praemiſſus utriusque ſuſpicionem ademit. Ferrariae Borſum, a Caeſare Mutinenſem Ducem nominatum, primus ſalutavit, laudavitque oratione clariſſima. Venetis quoque pro munificentia in Caeſarem iuſſus eſt gratias agere. Eodem paulo poſt a Noricis obſeſſo, emiſſus ad hoſtes, altera, quam exierat, hora obſidionem diſſolvit: quo tempore & Boëmos Noricis ipſis conciliavit. Interceſſit etiam rogationi Germanorum de maiorum decretis antiquandis, cum magna contentione res ageretur, contra Caeſaris dignitatem futura, ſi decerneretur;

Quam ſecutae ſunt aliae ad Pannonios, Boëmos, Noricos, ceteramque Germaniam, & aliae.

tur;

tur. Pannoniorum apparatum bellicum, Federico imminentem, discussit legatione bina: quarum posteriore & pacem confecit, ne quicquam toto biennio petitam. Legationem Germanicam, in Italiam susceptam, de bello Asiatico per omnem Germaniam circumtulit: qua de causa peregit & conventum Ratisponae, ubi progressum in concionem, omnibus, qui aderant, excussisse lacrymas constat, deploratis Graecorum calamitatibus, & recenti clade Constantinopolitana in medium exposita. Cupientem iam redire ad suos, nulla re alia Caesar potuit continere, quam spe iniecta Asiatici belli, pollicitus, sequenti anno expeditionem, quantis maximis posset viribus, suscepturum. Profectus eodem studio Francfordiam, quod in Ratisponensi conventu fecerat, ad suscipiendum in Turcas bellum excivit, ita, ut passim arma caperentur, constitutis ex eius sententia ducibus, qui essent publico nomine rerum summae praefuturi. Ceterum subsecuta statim Nicolai mors omnia pervertit. Opinio fuit, Nicolaum voluisse eum cooptare Collegio Cardinalium; sed importunitate Regum, suum cuiusque postulantium, ne recipere competitores cogeretur, & hunc neglexisse. Mortuo Nicolao, rogationem Principum Germaniae privato consilio evertit, petentium id, quod diu tenuisse Galli dicerentur, ne quid Pontifici Romano statuere de templorum praefecturis

Mors Nicolai Papae.

Legatio Pii ultima ad Calixtum, Nicolai successorem.

ris liceret. Legatione ultima missus ad Calixtum, Nicolao suffectum, ubi iusiurandum exhibuit, Caesarem illi pariturum, hortatus senem ad bellum Asiaticum suscipiendum, & lacrymas excussit, &, ut statim aedificari triremes ad ripam Tyberis iusserit, effecit, bellumque maritimum ad veris initium inferri. Perpulit mox & Alfonsum ad eandem suscipiendam expeditionem, Neapolim ad eum profectus: simul & bellum deprecatus est, quod idem Rex, duce Picinino, Senensibus intulerat, cum minus astitisse ei bello Hetrusco viderentur. Constatque, Regem confessum, propalam extortam sibi ab hoc pacem vi orationis, non impetratam, cum frustra Senenses tribus antea legationibus postulassent. Mansit autem apud Regem, compositis iam rebus, menses aliquot; ac tum demum sero aegreque dimissus. Ultimo discessu aliquoties obvolutus pedibus, Regem sic accendit ad bellum, ut extemplo & veterem classem recensuerit, & novam iusserit aedificari. Tum demum, reversus Romam, Cardinalis postulatione Patrum designatur: qua de re actae Calixto sunt gratiae, ac patribus, Germanorum, Pannoniorumque nomine. Fuitque statim multis in ore, providum senem Calixtum esse, qui, adhuc vivens, successorem sibi creavisset. Fuit autem illi adeo carus, ut exercitum ab eo ad repellendum Hetruria Picininum impetraverit,

A quo Cardinalis Romae designatus fuit.

&

& mox Legatos, qui peterent, Goro Lollio, consobrino suo, remitti exilium. Mansit autem eo in ordine menses circiter viginti; quo tempore, postulatus a Collegio Varniensi, ad mare Balticum, Antistes urbis, nec multo post a Ratisponensi, ad ripam Danubii, recusavit utrumque, dicens, iam se Italum esse oportere. Secesserat, ineunte aestate, Viturniam lavandi gratia, & quod singulis annis vitare per id tempus coelum Romanum consueverat. Cum nunciatum est, Calixtum obiisse, celeriorem eius reditum patres fecere, singuli ad properandum exhortati. Est & inter redeundum vulgo Pontifex maximus consalutatus. In comitiis Pontificem, suffragiis apertis, acclamatum, prorupisse in lacrymas constat: attonitum aliquamdiu, cum excitaretur, & laetandum amici esse contenderint, dixisse, laetari tanto fastigio imperii eos posse, qui labores & pericula non cogitarent; sibi vero iam omnia praestanda aliis fore, quae ipse ab aliis, & in Germania, & in Pannonia, & in Italia, toties postulasset. Cum a Cardinalibus, & coetu Antistitum, ac postridie a civibus per ordines singulos, consalutaretur, eodem perstitit vultu, perductus in solium. Conventum Mantuae indixit, cui affuturum se subscripsit ad Cal. Iunias; atque hoc primum eius fuit decretum. Altero Ferdinandum, Alfonsi filium, a Calixto paulo ante hostem iudicatum,

Eoque mortuo, in ipsius locum successit.

Priora Pii Pontificis renunciati decreta.

tum, amicum declaravit, cuius & causas attulit, quod novum conventum agitanti potiora videbantur pacis consilia, quam belli, &, involvere domesticis armis Italiam, minus convenire Asiaticis rebus, arbitrabatur: etiam quod ictum ab Eugenio primum, deinde a Nicolao, postremo initio Pontificatus a Calixto ipso, renovatum cum Alfonso foedus id expressum continebat, ut Ferdinandus patris regno succederet, & Legati, qui aderant, hoc idem postulabant ex foedere, in quod paucis ante annis Italia universa consenserat, &, nisi fieret, certaturi armis videbantur. Proceres ergo regni, Alfonso mortuo, sponte sua ad Capuam in filii sceptrum coniuraverant. Tamen ius regni, & coronam, ea demum conditione permisit, ne cui praeiudicium fieret; simul & tributum, a superioribus pensum Regibus, quotannis solveret aureum nummum duo de quinquaginta millia; Pontificis Romani fines neque invaderet ipse armis, neque invadere alios, quantum in se esset, permitteret; Picininum, regia stipendia merentem, Assisio & Nuceria, per Calixti mortem occupatis, quam primum iuberet excedere; Beneventum, agrumque Beneventanum, restitueret; Terracinam, ad usum imminentis belli relictam, exacto decennio, redderet; pacem quoque daret Sigismundo Malatestae conditionibus, quas esset ipse dicturus, Arcem Hadrianam Spoleti-

letinam, Narnienſem, Surianam, a praefectis pecunia redemit; & pro Hadriana quidem viginti millia perſoluta. Spoletinam vero praefectus magna opera Troili Firmani vix tradidit. Appetente iam vere, prius, quam urbe diſcederet, ne qui fierent in Latio & Sabinis motus, iurare finitimos coëgit in foedus, abſente ſe duraturum. Fecit & decretum ex Patrum conſulto, ne, ſi mori ſibi extra urbem contingeret, comitia de ſufficiendo Pontifice alibi cogerentur, quam Romae, praefinito etiam tempore, quo agentes extra Italiam Cardinales in dies comitiorum expectarentur. Iudiciarios magiſtratus Roma vetuit diſcedere. Legatis ſubditarum civitatum & decreta maiorum confirmavit omnia, & partem tributorum, paulo minus, quam dimidium, in triennium remiſit. Provocationes provincialium ad Romanos magiſtratus ante reditum ſuum vetuit interponi, adiecta mulcta ei, qui provocaſſet. Ad exequilias iuſſis per Thermas Diocletianas ad portam Flamineam, atque inde ad pontem Milvium, devectus, redire ſeniores Patrum in urbem iuſſit, aeſtatemque expectare. Iter primum egit ſecundum fluminis ripam, haud longius, quam ad ſeptimum lapidem, daturus ſpatium, ſi qui vellent privatim ſe alloqui. Narniae concurſu vulgi facto ad equum umbellamque corripiendam in diſcrimine fuit vitae, gladiis in ora dimicantibus; quo me-

Iter Mantuanum.

Diſcrimen vitae Narnienſe.

metu reliquum iter Perusiam usque, ac deinceps Mantuam, lectica confecit, ad singulos quingentos passus mutatis lecticariis, deflexitque Spoletum ad sororem, ubi & quatriduum substitit; Assisii dimidio minus, arcemque communivit turri eximiae crassitudinis, angulo extremo. Perusiam ingressus est, pompa praecedente, equo vectus candidissimo, duodecim eodem candore praecedentibus, stratis purpura sine sessore, & qui per frenos aureos manu agerentur, magistratibus purpuream umbellam, auro intextam, praeferentibus, sub quam ipse candida syndone, stola aurea commissa, & purpureo galero vehebatur. Pompae causam praetendit, quod post eiectum Bonifacium septuaginta iam annis Perusini Pontificem intra urbem non aspexissent; dedicavitque fanum Dominici, postulantibus civibus, propter eximiam templi magnitudinem, & dona primus intulit. Fenestram quoque eximiae magnitudinis pone aram maximam opere vitreo iussit occludi artificio, & textura texellata; maiores magistratus toga indui purpurea talari, ad viros sexaginta. Perusiae Legatos Allobrogum audivit; ac postridie Federicum Urbinatem, virum pace ac bello aeque clarissimum, & quo postea Marso ac Piceno bello copiarum imperatore est usus. Circumnavigato Thrasimeno, ubi ad Clavim amnem pervenit, Legati Senensium obvi-

Pompa Perusiae acta.

Res eius Senae gestae.

obviam progressi, restitutos gentiles ad munia civitatis cum nunciassent, accelerare lecticarios iussit. Corsiniani haud amplius, quam triduum, moratus, ubi Senam venit, ceteram quoque nobilitatem restituit beneficio populi, quanquam diu recusantis, dispersitque per tribus, ut coire totum in corpus civitatis viderentur: restituere conatus est & duodecimvirales familias, ad capita amplius quadringenta aliquando nobilitatem secutas. Sed visus remissius postulasse, non tenuit. Statuit Antistitem urbis Metropolitem, finitimis in iurisdictionem adiectis, Grossetano, Massano, Clusino, Suavensi. Civibus Radicophanum, munitissimum Hetruriae oppidum, quod diu antea bello ceperant, consensu Patrum in perpetuum sub tributo concessit. Cum Legati Caesaris, & Beticae, ac Lusitaniae Regum, & Philippi Burgundi, Senam convenissent, omnibus sequi se iussis, Florentiam trium dierum itinere contendit. Tribus legationibus, apparatu diverso excipientibus, inter quas & Galeacius, Francisci Sfortiae filius, sextum decimum natus annum, a Mediolano usque praemissus a patre, & cum eo Arimensis, Faventinus, Foroliviensis, & Forocorneliensis, tyranni occurrerunt, ceteris auream sellam per vices subeuntibus, Galeacio per aetatem manum apponente. Postridie ludi theatrales decreti, quibus leones cum equis concurrerunt, mox cavea per me- Florentiae;

medios spectatores dilapsi. Consultavit & de rebus Italiae cum Cosma, Senae sui temporis prudentissimo, opibus vero, quantae nulli, ne veterum quidem, privato fuerunt. Templa quoque ab eo facta, reliquaque se aedificia, percupide invisit, in quis circiter sexcenta millia insumta existimavit. Sigismundi Ariminensis causam, qua proditionis accusabatur a Ferdinando Rege, distulit in conventum Mantuanum. Bononiae; Bononiae septem equitum turmas, quae, secutae Galeacium, illic substiterant, prius, quam urbem ingrederentur, iurare coëgit, futuras in ipsius potestate: fuitque civitas in trepidatione, armata circa optimatum domos iuventute, ne quid innovaretur. Auxit metum Brogma, orator quidem vehemens, ceterum qui parum consultę in gratulatione publice civitatis conditionem deploravit: qua de re mox praevaricationis reus in exilium actus est, non ante Pii reditum remissum a civibus. Ferrariae; Ferrariam lembo delatus est per flumen Padum, omni genere magnificentiae exceptus a Borsio. Ceterum postulata eius de immunitate civitatis, & remissione tributorum, reiecit, causatus temporum difficultates, quibus augenda tributa in Asiaticam expeditionem essent, non minuenda. Quam ob rem Borsius Ferraria discedentem ad Stellatam oppidum secutus, venturum se Mantuam, cum recepisset, postea minime praestitit. Ad eum locum Ludovicus

vicus Gonzaga, Mantuanorum Princeps, occurrit, classe utraque in naumachiae speciem concursante. Ingressus Mantuam est sexto Calend. Iunias, quatriduo prius, quam Romae subscripserat, pompa eadem, qua Perusiam, nisi quod hic Regum Principumque Legati lecticam subire, praefecturae urbanae, vigilesque portarum parere ei iussi, quem ipse statuisset. De conventu acturus, orsus est a re divina, supplicationibus per urbem totam continenti triduo decretis. Exposita ratione belli suscipiendi in Turcas, paucis inventis eorum, qui, se conventuros, erant polliciti, religionis simul, & Italiae, vicem deploravit oratione admodum moesta, & plena desperationis. Sed brevi frequens esse conventus coepit Legationibus Transpadanis; mox & Gallica, ac Burgunda, Casimiri quoque, Getarum Regis, splendidiore, quam barbarorum, apparatu. Venit & Blancha, Francisci Sfortiae uxor, Philippi filia, foemina spectatae probitatis, comitantibus eam quatuor alteris liberis, quorum Hypolita, natu maxima, iuniori Alfonso desponsata, latine oravit pereleganter, Pii studium in religionem complexa, Galeacio fratre orationem eius excipiente, qui ambo patris adventum promisere. Inter haec nuncio de Turcarum impetu in Peloponnesum accepto, trecentos pedites mittit, quorum centum Blancha mercede conduxit, centurione Zanono Cremonensi. Ad eum ter-

Mantuae;

terrorem accessere Legati ex Rhodo, & Cypro, & Lesbo, & Epiro, atque Illyrio, venientes, omnes petituri auxilium. Auxit trepidationem Sanderovia, munitissimum oppidum in ripa Danubii, proditum Turcis. Itaque Ragusinos, auxilia pollicitos, triremes duas armare, navigareque primo quoque tempore in Graeciam, iussit. Bellum exortum in Germania compescuit, missis Legatis, Verdeaque oppido, erepto Caesari, iusso restitui. Dedit Sigismundo Ariminensi pacem conditionibus, quas, tunc acceptas, brevi Gallico bello abrupit. Francisco Sfortia cum quadringentis purpuratis veniente, tum demum expectatis, ceterarum gentium legationibus rogationem tulit de bello suscipiendo, habuitque orationem omnium, quae circumferuntur ipsius nomine, longe gravissimam, secundum quam consensu omnium, qui aderant, bellum decretum est. Alteram tulit rogationem, mari, an terra, gerenda res esset, & Italo milite, an externo, & quam magno exercitu opus foret, & unde cogendum stipendium? ac sententiam ipse subiecit ad singula. Militem conducendum eum, qui vinci a Turcis non consuesset, praecipue Germanum exercitum, neque minorem comparandum, quam satis esset repellendo hosti, neque maiorem, quam alere provinciae possent. Pecunias in Italia exigendas, corrogandas etiam in Gallia, atque Hispania, esse. Cum de Impera-

peratore exercitus referret, qui communibus auspiciis rem gereret, Francisco munus per aetatem deprecante, Legati Burgundi Philippo, eorum Duci, receperunt, votis quoque ad eam expeditionem damnato. Misit & Gorum Lollium Venetias ad communicanda clam consilia belli. Rhodiis ad triremes celeriter aedificandas sexdecim millia aureum nummum dedit ex pecunia Gallicana. Sed haec belli consilia mutatae undique res oppressere. Nunciatum sub idem tempus, triremes quatuor & viginti, ad ripam Rhodani aedificatas ad usum Asiatici belli, Renati Galli filium, correptas, adversus Ferdinandum coarmasse, ac motis ad Genuam rebus, classeque ad Lyrim amnem delata, Campaniam vexare; Optimates regni plerosque ad Gallos deficere; Romae Tyburtium & Valerianum fratres, illecta iuventute, Agrippae fanum communisse, tractis per vim ad stupra civium liberis, ac caesis, qui minus obsequerentur; Piccininum ad Gallos cum parte regii exercitus transfugisse; Sabellos Piccinini praesidia recipere; In Picenis Sigismundum, rupto foedere, oppida regia invadere; Esinos, & Anconitanos, & in Umbria Fulginenses, & Mevanenses, propter fines tumultuari; Britannos eiecisse Regem; Hispanos, maiore fratre depulso, minorem regno imposuisse. Nec ab Germanis quietiora afferuntur; Pannonios & Boëmos, Re-

Motus Italiae,

Britanniae, Hispaniae, & Germaniae.

Rege veneno assumto, distrahere in partes regnum; Noricos inter se armis certare; Moguntinis Dieterum Antistitem inferre bellum. Ad haec tot simul coorta mala visus non nihil animo succubuisse, rediit celeriter Senam, nec sine discrimine, Pado inter navigandum glacie districto, ut necesse fuerit, securibus excidi. Ad res Germanicas sedandas Legatum misit Bessarionem, Cardinalem Nicenum, principem Collegii. Regi, subitaria collecta manu, auxilium submisit, eoque mox ad Sarnum profligato, nihil cunctatus, veteres instauravit copias, ac novas addidit, duce Antonio, sororis filio. Piccinino Federicum Urbinatem, & cum eo Alexandrum Sfortiam, opposuit; Sigismundo Neapulionem Ursinum, ac mox & Federicum, qui illum ad Senegalliam magna victoria fudit. Romam centuriones aliquot praemisit, & equitum praefectos, qui sicarios Tyburtianos comprimerent. In Britanniam Legatum, praesulem Interamnensem, quem mox, abusum legatione, & pugnae Britanniae immixtum, coniecit in vincula, praesulatu quoque amotum; in Hispaniam etiam, qui fratrem maiorem restituerent. Rediit post haec celeriter in Urbem, exorta in Campania, & Picenis, ac Sabinis, bella ex propinquo suppressurus. Sed undique extante motu rerum, bello ita incubuit, ut, aliquando quatuor & sexaginta equitum turmis re gesta, non antea desierit,

Quos redux factus Pius Senam;

& paulo post ipsam Romam, omni nisu componere allaboravit.

rit, quam ſubactis undique hoſtibus, quod multis aetatibus vix contigerat, univerſae Italiae data pax fuerit. Bella ſuſcepit invitus, nec unquam, niſi laceſſitus, & nec ſic quidem, niſi prius commonuiſſet, ab iniuria deſiſteretur; & Sigiſmundo quidem non antea inferri arma iuſſit, quam ter denunciaſſet, miſſis etiam Legatis, qui oppida repeterent, media pace per fraudem occupata. Sabello ſyngrapha, manu ſua ſcripta, conditiones aequiſſimas propoſuit, quanquam obſeſſo, & rerum omnium inopi. Utrumque deinde, vi ad deditionem compulſum, ſervavit quidem; ceterum erepta bello eorum oppida neutri reſtituit, praefatus, iniuriam eatenus remittendam eſſe, ne ſecundo poſſit inferri. Sigiſmundo conditionem quoque adiecit, ut in Peloponneſum dux belli adverſus Turcas proficiſcerentur, ubi poſtea biennio varia fortuna bellum geſſit. In Germania Dieterum, Moguntinum Antiſtitem, tribus legationibus monuit, mox, decretis ipſius parere recuſantem, abdicavit, quanquam familia ortum potentiſſima, alterumque ſuffecit. Viſus eſt erexiſſe calamitatibus animum. Cum nunciaretur, deletum in Picenis eius exercitum, & domeſtici ſupprimere nuncium conarentur, ubi reſcivit, nihil motus, Sigiſmundus, inquit, ſi decies praelio vicerit, ſemel victus fuerit, bello vincetur, quod mox, inſtauratis copiis, evenit. Ferdinando ad Sar-

Laudatur Pii magnanimitas.

num profligato, insultantibus Gallis, Fortuna, inquit, belli nobiscum est. Nam ea, quos primum fovet, postremo destituit. In Germania quoque victis insigni calamitate, qui eius autoritate bellum gerebant, Nostrum, inquit, erit, iam vincere, qui victi sumus. Quae tria bella, quamvis principio deteriore conditione ubique fuerint, brevi ex sententia confecit. Expugnari neque casibus fortunae adversis, neque minis potuisse, quod post susceptum bellum nemini pacem dedit, nisi victor, quanquam & a Sigismundo post victoriam Picenam, & a Gallis post fusas regias copias, postularetur, conditionibus, ut accipere, non dare, viderentur. Auxit fines imperii, Benevento & Terracina iure foederis a Ferdinando acceptis. Sabinos, qui ad Gallos defecerant, & Soranos, atque Arpinates, & in Picenis, ac Flaminea, a Metaurensibus in Cesenatem usque, Arimino excepto, armis obtinuit, Fano fortunae mari simul, terraque oppugnato, Venetorum quoque classe, quae, illatura praesidium, venerat, opera Anconitanorum profligata. Cesenates iureiurando adegit, ut post mortuum eorum tyrannum, Sigismundi fratrem, urbem atque agrum Pontifici dederent, quod brevi, quanquam ipso iam mortuo, fecere. Canale, Tudertinorum oppidum, longa obsidione pressum, cum machinis undique dirutum, non tamen ante promissa defensoribus

Augmenta imperii Pontificii.

ribus

ribus praemia expugnari potuisset, & laudavit, qui defenderant, & ducem eorum praefectum militum constituit. Quaedam & sine bello obtigere, in Aquitania Valentinensis & Diensis Tetrarchiae, quae sunt ad ripam Rhodani a Ludovico Rege, incertum, datae sponte, an maiorum testamento relictae; in Peloponeso quoque Monovasia, munitissimum situ oppidum, a Paleologis traditum; in agro Tolphano prope centum cellas montes alumnis patefacti, ex quibus proventus annui aureum nummum paulo minus percipi, quam centum millia, feruntur. Insolentiae eorum, qui minus iusta peterent, aut molirentur, constantissime restitit. Oratores Cypriorum, natum ex concubina, Regis filium, exclusa Charlotta, ex uxore suscepta, Regem dari sibi, postulantium reiecit, quod Cyprum vectigalem promisisse Regi Syriae, & iurasse quoque in eius verba, diceretur. Georgici, Boëmorum Regis, quod Fantinum Dalmatam, Legatum, coniecisset in vincula, & mox quod male de religione sentiret, regnum publicavit. Sigismundo Norico, Caesaris patrueli, diem dixit, quod, nulla fretus auctoritate, custodiri Cardinalem, eundemque Antistitem Brixinnensem, iussisset, interdixitque aqua & igni, quanquam privata amicitia inter praecipuos habito. Sigismundum Malatestam, obloquentem de religione, atque ideo in ius vocatum, neo com-

Verenda Pii ipsis summis Principibus auctoritas.

comparentem, damnavit, ſimulacro quoque eius Romae vicatim incenſo. Nec multo poſt foedus Gallicum, in quo & Sigiſmundum contineri, Galli contendebant, recuſavit, indignum, dicens, inire cum eo ſocietatem, quem paulo ante damnaſſet. Tudertinis tyrannicum morem creandorum magiſtratuum ſuſtulit, datis legibus, quibus rem publicam gubernarent. Increpuit Senenſes, quod legem tuliſſent, ne qua deinceps rogatio fieret de nobilitate reſtituenda, atque adeo acriter, ut extemplo legem abrogarent. Arcem, in Lavinienſi magnis ſumtibus aedificatam a Columnenſibus, & loco munitiſſimo, demoliri, extemplo iuſſit, Veliternis imminentem. Mittente Caeſare legationem paulo obſcuriorem recuſavit audire, poſtulavitque clariorem; Burgundam quoque, veluti ſuperbiorem, iniuſtaque decreta poſtulantem. Martialem Gallum, quod, virginem inceſtaſſe veſtalem, ferebatur, praefectura amovit, quanquam ſcelus non conſtaret, ſubdens, in religione praefectos ſuſpicione non minus vacare oportere, quam crimine. Gallum alterum, Armeniani tyrannum, cum ſorore conſuetudinem ſtupri per ſpeciem coniugii habentem, in iudicium tractum, mulctavit, coniectis in carcerem, qui falſo decretum Calixti, corruptis tabulis, adhibuiſſent, actaque res eſt magna contentione propter familiae nobilitatem. Quaedam minus

minus visus est vindicasse. Perusiae Pandulfi Balionii, ac filii, caedem, a patruele in spem haereditatis securis illatam, & in Piceno acti Sentinatis eadem de causa a patruo capti, ac mox strangulati, & in priore quidem causatus tempora, extorqueri sibi parricidium, questus est, Sentinatem obsessum, ac mox sub conditione deditum, dimisit, omnibus exutum rebus, affectis tamen supplicio, qui iuveni manus intulissent. Nonnulla facetiis excepit, aut morsu. Ludovico, Rege Gallorum, nisi copias, in Ferdinandi auxilium missas, e Campania revocaret, multa minitante, ac rursus, nisi desisteret auxilio, Gallos, qui Romae essent, revocare simulante, nihil respondit aliud, quam: Et habitabimus laxius, & nugas non audiemus, castigata simul insolentia gentis, & levitate. Triballis, confirmari sibi, quem ipsi nominassent Regem, postulantibus, negavit esse sui iuris, sed ad Pannonios pertinere; contendentibus, liberos esse. Quid, inquit, servitutem postulatis? Praefecturam Rhodiensem, exhaustam a Gallo, Hispano commisit, dicens, Gallicum morbum Hispaniensi medico curandum esse; quod Galli profusi, Hispani pro frugi, haberentur. Conventu Mantuano, cum Burgundi duo millia equitum, quatuor peditum, pollicerentur, Germani hominum armatorum duo & quadraginta millia, Ungari dimidio minus, Ragusini duas triremes;

Prudentia singularis.

Rho-

Rhodii quatuor, Cypri totidem, Legati ex Cilicia hominum triginta millia, dicentibus Gallis,non antea excitandum foris peregrinum bellum, quam ipsorum domesticum sopiretur, Mirum, inquit, Gallos, qui semper alias vicerunt, hodie verborum magnificentia vinci. Borsii quoque Legatis, trecenta millia aureum nummum pollicentibus, cum fidem non fecissent, Non, inquit, tot opus est minus dimidio contentis. Cum Veneti propter initum cum Turcis foedus palam adversarentur, clam tamen, habita ratione, quantum essent collaturi, summam belli navalis dari sibi, postularent, & classem insuper triremium sexaginta & viginti navium rostratarum, ac peditum delectorum octo millia, & annuas decimas, & praeterea quindecies centena millia ex publico, Hoc, inquit, Veneti est, recusare, non petere; nos vero adeo vobis molesti non erimus, ut oneris tantum feratis. Hispanorum assertionem de miraculis eius, qui cum patre de regno contenderat,quanquam asseveratissime instarent,irrisit, idque aegre ferentibus, An nescitis, inquit, vita miracula fieri, non morte? Germanis offensis, quod inter respondendum Matthiam Pannoniae Regem appellasset, tanquam ad eos ius regni pertineret, Sinite, ait, Matthiam tantisper Regem appellemus, dum, eum vos regnum tenere, permittitis, temeritate simul, & ignavia, exprobrata, sub-

subdiditque, armis regna diiudicari, non legibus. Clementem eum fuisse, indicio est, quod nemini, petenti veniam, non facile ignovit, alioquin pertinacibus inexorabilis. Bello regio parci Arpinatibus iussit ob C. Marii & M. Tullii memoriam, quod multi oppidanorum ita vocarentur. Donadeum, oppidum Sabinorum, direptum a suis, gravissime indoluit, ut opinio fuerit, cogitasse eum de ducibus exauctorandis. Correptos a suis greges Aquilanorum ad quinquies centena millia, quod, violata fide, ad Gallos defecissent, restituit, dicens, non esse mulctandos insontes, greges agrestium, & multitudinis, esse, defectionem a potentioribus factam, qua liberalitate dedere se volentes, Aquilanos reiecit ad Regem. Expeditiones non, nisi ex consensu Patrum, & sero, suscepit. Susceptis ita incubuit, ut aliquando, non suppeditante aerario, atque aegre conferentibus sociis, accitis quaestoribus. Iam, inquit, si opus est, vendi me iubeo. Pecuniarum usque ad vitium negligens, ut nec aspicere quidem sustinuerit. Impensa belli ingravescente, contraxerat aliquando ad ducenta millia aeris alieni. Quod ubi ex rationibus aerarii percepit, quaestoribus graviter succensuit, iussis prima quaque occasione dissolvere. Quaestore urbano usus est Iulio forti, Pisano, acris & animi, & ingenii, viro, sed contrahendo aere alieno in sumtus bellicos paulo laxiore:

Clementia.

Contemtus pecuniarum.

xiore. Quo factum est,ut, exhaustis vectigalibus, unde suppeditare domesticis sumtibus pecuniam posset, aliquando laboraverit,coactus unum in triclinium,& ipsum admodum frugi, familiam omnem redigere, ut aliquando exclamaverit, & qui appeteret, & qui contemneret pecuniam, stultum esse.. Sed neque rationem fisci vectigalibus,aut portoriis, auxit, neque decimas antea exegit, quam bello Turcis indicto, & tunc quoque moderatione adhibita, ne profani ultra,quam trigesima, gravarentur, neve ad maiorem summam infimi magistratus, quam supremi, utque Iudaeorum vigesimae non ex proventibus, sed ex capite,deducerentur. Instituit Quatuorviros ex Collegio Patrum de luxuria coërcenda, primum Germanum, alterum ex Gallis, reliquos ex Italia. Sed homines diversarum nationum ac morum dum cunctantur, ipse e vita decessit. Novum etiam collegium Abbreviatorum ad viros septuaginta literatura & moribus ex omni natione promiscue delectos. Redacturus ad castigatiorem elegantioremque stilum acta publica videbatur, quod iam ab initio Pontificatus destinaverat. Sed, deterritus diversitate controversiarum, ac legum, differre se in magis otiosa tempora, non omittere, testatus est. Provocationem ad futurum concilium, temere a nonnullis illatum, edicto submovit, dicens, sceleratorum esse perfugium, eum iudicem

Instituta quaedam laude dignissima,

dicem petere, qui nusquam esset. Episcopos Protonotariis ordine subselliorum anteposuit, mutata consuetudine maiorum, quanquam plerisque regio genere ortis. Cardinalium numerum duobus comitiis auxit undecim adiectis, laudavitque singulos oratione diversa. Sed nec priorum contemsit suffragia, nec de quoquam retulit, cuius ratio non omnibus constaret. Testamenta eorum, quae Romae decessissent, libera esse voluit. Qui intestati obiissent, eorum bona ita demum referri in aerarium est passus, si nec propinqui comparuissent. Quaestore eius quaedam supprimere volente ad fiscum devoluta, cum reddere iis, quorum fuerant, iuberet, & ille vendita assseveraret, statim subdidit: Redimantur. Nobilitati, & studio sui, & ex Germanorum consuetudine, favit. Respublicas non aeque visus probasse, definiebat multorum esse tyrannides, &, quae optima haberetur, in ea non minus bonis, quam malis, periculum esse; virtutis praemia non fere, nisi apud Principes, inveniri. Thomae Paleologo, ac liberis, Peloponnesi imperio depulsis, in Italiamque fugientibus, occurri ad Anconam iussit, atque omnia regio more subministrari. Charlottam quoque, Reginam Cypri, regno deturbatam a fratre, atque ad socerum Allobrogem navigantem, descendere ad Hostiam, ac Romae excipi, datis equis, quibus iter reliquum terra conficeret, viatico

Liberalitas.

tico

tico etiam prosecutus. Accitis Romam fere omnibus, quos Turcae patria eiecerant, pecuniam ad victum annuum constituit. Ceremoniis solemnibus permagnificus, ceteris in rebus habitus est intra modestiam. Caput Divi Andreae, ex Peloponneso delatum, prosecutus est maxima pompa, Alexandro Cardinali Sentinati Anconam misso, qui, a Graecis acceptum, Narniam usque deferret, ubi in arce reconditum. Exacto post anno, tribus missis Cardinalibus diversi ordinis, & decretis itinere toto supplicationibus, Romam iussit afferri, progressusque obviam ad pontem Milvium, mediis in pratis excepit, tabernaculo exstructo ad rem divinam faciendam, ubi mox & sacellum erexit Ligustico marmore, & in Vaticano cellam dedicavit, simulacro argenteo confecto, Viturvii festum eucharistiae peregit insolito apparatu, strata undique sagis purpureis urbe, velataque linteis, quibus aureae stellae, veluti coelesti affixae globo, interlucebant, ut, excluso coelo, inter flores ad digiti crassitudinem, & diversi generis cantus, supplicatio procederet. Sylvestres etiam homines, hedera vestiti, cum leonibus atque ursis congredi videbantur artificio mirabili, & versus passim heroici canebantur, fontiumque fistulae, utrinque ex adverso sese ferientium, murmure continenti demulcebant, stravitque omnem templi ambitum purpura. Catharinam Senensem, cuius multa

Magnificentia,

exta-

extare miracula ferebantur, in Divarum retulit numerum apparatu aeque magnifico. Ritus sacrorum & ceremonias ita ubique tenuit, ut ad Sublacum inter coenobitas coenam eodem apparatu, quo illis, ministrari sibi biduo iusserit, quod & Capriolae in Hetruria fecerat, & ad Coenobium Divi Benedicti in Mantuano, & in Florentino ad Certusiam, cum ibi substitisset. Lustrandi orbem, & vagandi, adeo cupidus, ut aliquando dederit calumniae locum, & legationem quidem Scoticam non invitum suscepisse constat; Britanniam vero itinere obliquo, & unde circumspicere multa posset, obiisse, dissimulata veste, Lundonias ingressum; voluisse etiam ad Orchades navigare, sed, deterritum male toties tentato mari, dixisse tritum illud, plus quam temere Neptunum accusare, qui tertio iactetur. Et Scotiam quidem Norvegiamque descripsit, facturus idem de Britannia, si redire ad exactiorem inquisitionem licuisset. Amadeum Allobrogem, qui, incertum, specie sanctimoniae, an aucupandi Pontificatus gratia, solitudini se dederat, quod locum delegisse amoenissimum ad ripam Lacus Lemanici ferebatur, ultro adiit, locumque descripsit. Habuit inter delicias & vallem Sarentanam, quae est in Rhetiis, fontium ubertate atque gratia eximie laetam, ubi & aedem consecutus est. Profectione Mantuana, commoratus Clasii diem

Peregrinandi studium.

unum, reliquias labyrinthi, vetuſtate collapſi, perquiſivit, & ad oſtium fluminis Mincii divertit in villam, quam, conſtans eſt apud accolas fama, fuiſſe Virgilii. Agrum Tuſculanum, & Albanum, & Tiburtinum, ſtudio vetuſtatis circumluſtravit omnem; viam quoque Appiam, & aquae ductus, & Hoſtiam, & Traiani portum, diverſis receſſibus inſpexit, & in Appia quidem obeliſcos ad hyppodromium iuſſit excavari. Hoſtiae vero in diſcrimine fuit, graviſſima exorta procella, compulſus metu inundationis nocte media cubiculo excedere. Phalerios quoque adiit, quod audierat, muros adhuc extare lapide quadrato, & Ocricoli eadem de cauſa ſubſtitit. Circumnavigavit Thraſimenum & Vulſinium lacum, & utrobique in altera inſularum pernoctavit. In Thraſimeno ſubſcriptiones libellarias fieri, quae in lacu factae notarentur; in Vulſino ſummo iugo inſulae erigi ſacellum iuſſit, ubi eſt Chriſtianae virginis fanum, & certamen concurrentium navicularum deſpexit, propoſito accolis praemio. Fontes ſereno die adeo cupide frequentabat, ut ſaepe inter glaream & marginem coenam poſtulaverit. Auguſtam, & Alburnam, & derivationem Anienis, via Claudia ad Sublacum usque inviſit. Salonam quoque via Tiburtina ad laevam deflectens, Auguſtam ubi contegi ad vitandum aeſtum audivit, egit accolis gratias, ſtatimque accurrit. Struxit

xit & Senae fontem in hortis prope pomoerium, aqua ductu subterraneo derivata, ubi diem saepe totum decernendis rebus exegit. Quem cum noctu quidam disiecissent, adeo tulit moleste, ut discedere statim voluerit, quaestionem tamen, ultro offerentibus civibus, interponi vetuit, dicens, satis magnam poenam suam cuique stultitiam esse. Montium quoque delectabatur ascensu, ut in Romano & Tiburtino prope nullum praetermiserit; sed praecipue, qui virerent arboribus, & in longissimum prospicerent. Amiatam, in Hetruria editissimum, conatus ascendere, ad media substitit, lecticariis aegre subeuntibus. Senae cum diversaretur, saepe Capriolam secedebat, quo in loco iugum est pinu, cupresso, ilice ac lauro, consitum, semitis per gradus sub umbra distinctis. Nisi per hyemem aut pluviam, raro sub tecto aut prandebat, aut spatiabatur. Secedebat singula quaque aestate ab ortu caniculae, nisi qua re graviore distineretur, aut in proximas urbes, aut, si liberum esset, in Hetruriam. Itineribus usus per aestatem nocturnis, stationes libenter secundum fontes habuit, aut flumina & rivos, si fontes non occurrissent. Inter eundum aut interrogabat proximos de iis, quae prospiciebantur, aut ipse loquebatur, historiam loci, cum posset, ubique subnectens. Vere atque autumno Viturvina balnea repetebat, aut Petriolana. Destina-

verat aliquando & Baiana petere; sed, revocatus precibus Senensium, divertit ad Tusca. Lavabatur perfricabaturque a paucis, & exiguo apparatu, ne quem deterreret eorum, qui prope lavabantur. Qua de causa nec horam sibi ullam praescripsit. Abstersus paulo plus minusve mille passuum vehebatur. Perpetuo Pontificatu lecticariis usus, ubi navigatio deesset. Annandi leviter secundis fluminibus, cum posset, occasionem avidissime arripuit, quod & minus quateretur, & lecticariis parceret.

Ratio studiorum.

Dierum ac noctium rationem ad horas usque distinxerat. Surgebat aestate ad primam auroram, hyeme ad alterum gallicinium. Studium ita partiebatur, ut inter legendum aut scriberet, aut dictaret paribus prope intervallis, nisi cum historias texeret, quas constat & verissime, & festinantissime, scripsisse, plerumque duas in horas, nunquam minus, quam in unam, protracto studio. Exceptorem habuit Augustinum Patricium, quem aliquando ad horas quatuor exercuit, sed duntaxat valetudinarius, & cum chiragra laboraret. Deinde vel aderat rei divinae, vel ipse operabatur.

Rei publicae cura.

Mox aut cum Patribus consulebat, aut dabat subscriptionibus operam: quae duo munera alternis diebus obiri solita, nisi cum feriae aut solennia prohibuissent, nunquam intermisit. Subscriptiones etiam extra ordinem, ut quaqua postulator occurreret, & in mensa

ſa,& in cubili,faciebat. In itinere,ubi ubi ſubſediſſet, acciri poſtulatores iubebat, nec unquam ad fontem,aut umbram,acceſſit ſine pugillaribus. Secundum conſultationes Patrum, aut ſubſcriptiones, primum Oratores, mox privati,admittebantur. Cum aliquando unus e cubiculariis ſenem verboſiorem facere dicendi finem clam ſubmonuiſſet, advertens, repeti omnia iuſſit, converſusque ad cubicularium,irato ſimilis, An neſcis,inquit, ex quo inivi Pontificatum, aliis me vivere oportere, non mihi? Neminem plus triduo demoratus, Oratores ſaepe,qua die veniſſent,ceteros poſtridie, admiſit,praeſcripta cuique hora, ne quem expectando fatigaret. Integritatem eorum, qui ſecum verſarentur, exactiſſime perquiſivit, repudiatis, quorum fama minus probaretur. Initio Pontificatus Secretariorum numerum, quod offerri quaedam temere dicerentur, ad pauciſſimos redegit, pauloque poſt ad duos, Gorum Lollium, conſobrinum ſuum, & Iacobum Lucenſem,ſpectatiſſimae probitatis viros, & alterius quidem ingenium ac vitam ita probavit, ut paulo poſt Antiſtitem Papienſem,mox & Cardinalem,effecerit. Qui de poſtulatis referrent, homines ſibi aſcivit moribus & doctrina probatiſſimos; praecipuum vero Agabitum Cyncium Romanum, clarum in Poëtica quoque, ſed Iuris ſcientia longe eminentiſſimum, quem primum Anconitanis, mox Camertibus **Familiares.**

praefecit Antistitem, maiora collaturus, si diutius vixisset. Constantissimus fovendis, quos semel esset amplexus, gloriabatur, inter suos neminem sibi fuisse inimicum sua culpa. Dilexit ex privatis Marianum Sozzinum, Senensem Iurisconsultum, veterem aequalem suum, & Procopium Boëmum, quem aliquando in Germania collegam habuerat; ex Regibus Federicum Caesarem, & Alfonsum Aragonem, & Matthaeum Pannonium, extremo tempore & Franciscum Sfortiam, quem bello regio socium habuit. Praecipue omnium complexus est Federicum Urbinatem, cui rei bellicae summam commisit; ex Patribus maxime Bessarionem Graecum Cardinalem Nicenum, aetatis suae doctissimum, quem & orare aliquando secundum se iussit, & legationem Germanicam commisit cum summa potestate, Carvaialium quoque Hispanum, eiusdem ordinis, clarum virum, quem iam senem, & attritum legationibus, ex Pannonia revocaverat, dialogosque aliquot inscripserat. Ex domesticis plurimum apud eum potuit Gorus Lollius. Catharinam & Laudomiam sorores aeque dilexit, & Laudomiae quidem virum, ad equestrem erectum ordinem, Umbriae praefecit; ex quatuor filiis primum, Antonium, in familiam regiam adoptatum, Marsorum ac Lucanorum imperio praeficiendum, a socero Rege curavit; alterum, Franciscum, viginti annos natum, coopta-

optavit Collegio Patrum; reliquos duos, Iacobum & Andream, ad mediocres extulit opes. Catharinae vero, cum unicam haberet filiam, minus visus est praestitisse. Ceterum & praefecturas dedit genero, & ipsi ad viginti millia aureum nummum comparavit. Auxit familiam numero adoptivorum, inter quos sororis filios, & Gorum consobrinum, & Cardinalem Papiensem, & cubiculariorum aliquot, gentilitiis donavit. Alexandrum praeterea Miraballum Neapolitanum, quem initio Pontificatus ob eximiam liberalitatem familiae, reique domesticae praefecerat, & oppidum Frascatam in Latio secessus aestui gratia concesserat. Amicis & propinquis raro se subtraxit. Sermone gaudebat libero & festivo, & qui modice exiret in iocum, fuitque natura non infacetus urbanitate extemporanea. Occurrentibus aliquando in itinere Lusitanorum Legatis, Nos, inquit, ad hos, an hi ad nos veniunt? Exeunte eo a cella palatii, cum Germanus senex, arrepta lectica, ius sibi reddi, exclamaret, una, inquit, de re, an de omnibus? Respondenti de una, statim subdidit: Recte sapis. Nam actum de te fuerat, si de omnibus postulasses. Alteri, se ipsius pedibus commendanti, Nescis, inquit, o stulte, quam debiles patronos imploraveris. Corsiniani, quo in loco natum eum diximus, non comparentibus sodalitiis, Solus, ait, meorum convi-

Adoptivi,

urbanitas & facetiae,

praefecit Antiſtitem, maiora collaturus, ſi diutius vixiſſet. Conſtantiſſimus fovendis, quos ſemel eſſet amplexus, gloriabatur, inter ſuos neminem ſibi fuiſſe inimicum ſua culpa. Dilexit ex privatis Marianum Sozzinum, Senenſem Iuriseonſultum, veterem aequalem ſuum, & Procopium Boëmum, quem aliquando in Germania collegam habuerat; ex Regibus Federicum Caeſarem, & Alfonſum Aragonem, & Matthaeum Pannonium, extremo tempore & Franciſcum Sfortiam, quem bello regio ſocium habuit. Praecipue omnium complexus eſt Federicum Urbinatem, cui rei bellicae ſummam commiſit; ex Patribus maxime Beſſarionem Graecum Cardinalem Nicenum, aetatis ſuae doctiſſimum, quem & orare aliquando ſecundum ſe iuſſit, & legationem Germanicam commiſit cum ſumma poteſtate, Carvaialium quoque Hiſpanum, eiusdem ordinis, clarum virum, quem iam ſenem, & attritum legationibus, ex Pannonia revocaverat, dialogosque aliquot inſcripſerat. Ex domeſticis plurimum apud eum potuit Gorus Lollius. Catharinam & Laudomiam ſorores aeque dilexit, & Laudomiae quidem virum, ad equeſtrem erectum ordinem, Umbriae praefecit; ex quatuor filiis primum, Antonium, in familiam regiam adoptatum, Marſorum ac Lucanorum imperio praeficiendum, a ſocero Rege curavit; alterum, Franciſcum, viginti annos natum, coopta-

optavit Collegio Patrum; reliquos duos, Iacobum & Andream, ad mediocres extulit opes. Catharinae vero, cum unicam haberet filiam, minus visus est praestitisse. Ceterum & praefecturas dedit genero, & ipsi ad viginti millia aureum nummum comparavit. Auxit familiam numero adoptivorum, inter quos sororis filios, & Gorum consobrinum, & Cardinalem Papiensem, & cubiculariorum aliquot, gentilitiis donavit. Alexandrum praeterea Mirabal- lum Neapolitanum, quem initio Pontificatus ob eximiam liberalitatem familiae, reique domesticae praefecerat, & oppidum Frascatam in Latio secessus aestui gratia concesserat. Amicis & propinquis raro se subtraxit. Sermone gaudebat libero & festivo, & qui modice exiret in iocum, fuitque natura non infacetus urbanitate extemporanea. Occurrentibus aliquando in itinere Lusitanorum Legatis, Nos, inquit, ad hos, an hi ad nos veniunt? Exeunte eo a cella palatii, cum Germanus senex, arrepta lectica, ius sibi reddi, exclamaret, una, inquit, de re, an de omnibus? Respondenti de una, statim subdidit: Recte sapis. Nam actum de te fuerat, si de omnibus postulasses. Alteri, se ipsius pedibus commendanti, Nescis, inquit, o stulte, quam debiles patronos imploraveris. Corsiniani, quo in loco natum eum diximus, non comparentibus sodalitiis, Solus, ait, meorum con-

Adoptivi.

urbanitas & facetiae.

 vi-

vivio desum. Paternum etiam fundum circumvisens, in quo pinus erat, a patre, qua die ipse natus est, consita, iam praealta, cum ad eam desedisset, Haec, inquit, me admonet esse iam grandiusculum. Ad lacum Vulsinum, contendentibus accolis de lectica subeunda, &, ut gladios stringerent, repelli omnibus iussis, Quam stulte, inquit, simul & onus, & periculum, quaeritis? Ad Amiatam, porrigente pastore cymbium lactis, ori admovit, quanquam admodum sordidum, ridentibus, qui aderant, Et hoc, inquit, dulcius, quam Artaxerxis poculum, & qui sitit, vitro non eget. Aedificandi studium bella interceperunt. Ceterum in Vaticano cellas templi maximi, promiscue passim aedificatas, disiici iussit, ac mox secundum parietis tractum collocari, quo reddita est facies interior templi angustior & patentior. Addidit & cellam Divi Andreae, ad primum angulum templi laeva subeuntibus, ubi postea & sepeliri se iussit. Scalas quoque instauravit pro foribus templi, vetustate collapsas, stravitque aream amplissimam, vestibulo palatii communito turri excubatoria. Inchoatam supra scalas marmoream porticum, imperfectam reliquit. Est & ipsius arx Tiburtina opere tumultuario confecta, quod nec prohibuissent transitu, & iuvissent commeatu, hostes, & recipere intra urbem ipsius praesidia recusassent; exprobravitque dubiam fidem, & diripi eorum agrum est passus; fuitque & nostrum Distichon:

studium aedificandi.

Ty-

Tybur habes arcem, quod non tibi creditur: Hinc est:
Æneas Phryx est; Tybur es Agricolum.

Corſiniani ex oppido urbem Pientiam appellavit, deſignatis magiſtratibus urbanis in ſpeciem iuſtae civitatis. Epiſcopio & Praetorio aedificatis, Epiſcopum & Triumviros inſtituit, & certamina gignica per gradus aetatis. Conſtruxit & aedes gentilitias eximia pulchritudine, ſymmetria quadrangula, lapide ſuffuſco extanti incruſtatas ad digiti craſſitudinem, commiſſuris paulo recedentibus, duplici ordine feneſtrarum, annulis & cratibus ferreis; addiditque porticum ad meridiem, duplici concameratione, contignatione inſuper acclivi, & triclinia aeſtiva atque hiberna, & cellas promtuarias alte ſuffoſſas, hortoſque penſiles, Templum quoque, egregia ſtructura, & aream pro foribus, & cellas in ambitum templi aramque ſubterraneam; vetuitque in eo quenquam ſepeliri, praeter ſacerdotes & Antiſtitem, quibus & tumulum ſeorſum aſſignavit, tam violari parietem, picturamque inſigniri, aut appendi iconias, aut cellas erigi, aut altaria, praeterquam quae ipſe deſtinaſſet; & praedia in ſumtus annuos coëmit. Architecto ad ſummam futurae impenſae longe praementito, poſt perfectum opus addi centum iuſſit, dicens, deſipere architectum, qui de impenſa, quam nemo ſit facturus, ante

te

te praefiniat. Fecit & fenex porticum gentilitiam concameratam, aedes quoque adiuncturus, quarum iam aream ftraverat. Erexit & cellam ad fanum Divi Francifci, & in ea fepulchrum parentibus marmore Liguftico, hoc incifo Difticho, quod ipfe condiderat:

Sylvius hic iaceo: coniux Victoria mecum eft.
Filius hoc claudit marmore Papa Pius.

Cogitaverat Anienem ad Tybur usque navigabilem reddere, portum quoque Traiani repurgare, & in Pientino lacum facere, Orcia, flumine occlufo, ac vivo ex Amiatae radicibus eodem derivato. Ingenia fui temporis mirifice fovit, fed duntaxat probatiffima. Invertens nonnunquam aliorum epigrammata, vifusque contemfiffe mediocritatem, contraxit invidiam, dicere folitus, Oratores & Poëtas, aut fupremos, aut nullo in loco, effe oportere. Laudabat in dicendo candorem & vim orationis. Apparatum verborum nimium dicentis otium appellabat. Iuvenis, delectatus Poëtica, Niraphileticum fcripfit verfu magis facili & expedito, quam accurato; poëmata quoque in epiftolarum modum complura. Flexu aetatis orationi incubuit, invitatus rerum & legationum magnitudine. Scripfit ad Ladislaum, Regum Boëmorum, adhuc adolefcentem, libellum unum, de Arte Grammatica, mox alterum, de Regia Inftitutione, cum

Literarum amor.

Scripta.

cum in Germania vigeret; de rebus Boëmicis ad Alfonsum, ad Federicum de Noricis integros Commentarios; Rerum sui temporis, in Italia gestarum, libros duodecim, quod opus nondum absolutum cum vita finivit, vetuitque publicari, nisi emendaretur, de Euralo, de Ortu Nili, de studio venandi, de Haeresi Hussitarum, de Dignitate Caesaris, de Potestate Concilii, de Sanguine Christi, de Veritate Christiana ad Mahumethem Turcam, de Gloria belli suscipiendi ad Franciscum Sfortiam, de Erratis Basileensium, de Fortuna, de Defensione Poëtices, de Miseria Curialium singulos libros, quorum magna pars dialogis constat. Descripserat in Pontificatu Asiam minorem; maiorem mors intercepit. Inchoaverat & aliquando historiam universi orbis, rerum aetate sua ubique gestarum; sed omisit, veritus, ne parum explorata colligerentur. Loca libenter exscripsit stilo extemporaneo, mox castigaturus, praeter Scotiam, & Norvegium, atque Luaniam, Rhodon quoque, Mitylenem, & Lesbum, & Cyprum, expressit accurata brevitate. Et historiam quidem temporum recentiorum nemo putatus est, & quaesisse diligentius, & verius tenuisse. Reliquit epistolarum quatuor volumina, distincta temporibus. Orationes nemo temporum nostrorum, & nec veterum quidem, tot habuit, omnes fere de rebus amplissimis,

mis, ceterum sententiis, quam verbis, illustriores, copia mira, & magnitudinem rerum excrescente. De verborum delectu non nihil illi Germania detraxerat, coacto saepe apud barbaros cultiora negligere. Sed earum magna pars exceptorum negligentia periit; quatuor & viginti extant. Pronunciabat voce sonora & gravi, verum eodem spiritu, semper, & crebris intervallis, ut dicere ex tempore, & sine cura, videretur. Persuadendi longe potentissimus, neminem ad se dicendo non traxit. In conventu Ratisponensi, male sustentatas a Legato Caesaris, partes ipse suscepit oratione extemporanea, ubi dicenti adversario: Et quando desines, molestus Germanis esse? Cum, inquit, tu incipies, illis molestus non esse.

Ars divinatoria. Praevidisse illum futura ex longo intervallo, creditum est. Praedixit quadriennio ante, se in belli apparatu decessurum, hoc versu, quem ipsius manu vidimus scriptum:

In Turcas bellum dum parat, occubuit.

Senensi adultero, afferenti de rivali querelam, Nisi desieris, inquit, brevi occidere, quod accidit, nondum exacto mense. Legatis Venetis in conventu Mantuano, societatem adversus Turcas recusantibus, Fore, ait, ut, quod tunc reiicerent, decimo post anno sero essent rogaturi, quod evenit. Nam decimo post conventum anno, amissa Euboea, opem ex omni Italia imploratum circumiere. Cum Ludovicus Alłu-

lobroga, Vir Charlottae, haud procul a Mantua transiisset, Cyprum mari petiturus, nec eum, ut par erat, salutasset, Brevi, inquit, recta ad nos revertetur, quod sequenti anno fecit, Cypri regno depulsus. Statura fuit infra mediocrem, corpore per adolescentiam modico, flexu aetatis aliquanto pleniore, oculis laetis quidem, sed qui torve in iram excandescerent, capite compacto & ante diem cano, facie subcandida, annis seniore, & ad minimam quamque valetudinem statim concidente. Fuit laboris & inediae, quam frigoris atque aestus, patientior. Calculo vexabatur prope menstruo, & assidua tussi. Pedum usum iam pridem amiserat, cum rigore nivali, quem diximus, tum etiam superveniente podagra, chiragra sero offensus, & raro. Astrologas se manus habere, iocabatur, quod aequinoctium tumore praedicerent. Quae omnia adeo patienter tulit, ut constet, legatione Germanica impeditum graviter podagra, tamen a collega, ut diem unum subsisteret, adduci nequivisse, & in aquis Petriolanis pertulisse duas in horas fistulam deuncem, Romae quoque inter maximos calculi dolores continuasse orationem, vix obtorto leviter ore, ac submorso paulum labro, deprehensum. Magnitudinis eius signa quaedam antecesserunt. Mater nocte posteriore, quam peperisset, visa est in somnis puerum mitratum peperisse, diu gra-

forma corporis,

morbi,

praesagia magnitudinis,

graviter solicita de omine, donec, designatum Tergestanis Antistitem, audivit. Corsiniani, septimum agens aetatis annum, inter ludos pueriles Pontifex Max. salutatus ab aequalibus, singulos ordine ad oscula pedis admisit. Alfonsus, venientem ad se Neapolin, e fenestra digito amicis ostendens, En, inquit, nobis Pontifex Maximus. Federicus quoque Caesar, cum e Cyminio monte Latium prospexisset, eo acciri ad se iusso, Cito, inquit, his in locis regnabis, Ænea, &, qui tibi nunc imperamus, brevi parebimus. Romae unus ex regiis purpuratis, ad eum iam Cardinalem veniens, cum lunas, fagis intextas, aspexisset, exclamavit, fore eum Pontificem maximum, quod, agens ipse aliquando in Calabris, audisset, esse in arcanis, proxime futurum Pontificem ea signa habiturum. Qua hora creatus est Pontifex Romae, eadem Laudomiae sorori Corsiniani est nunciatus, octoginta millibus passuum spatio, nec visus amplius, qui nunciaverat. Incidit saepe in discrimen vitae.

pericula vitae, Puerum pene trimum decidisse praecipiti loco, & prope exanimatum, constat; a bove quoque impetitum cornibus, ac, ter iactatum, praeter spem evasisse; multis in locis confossum. In Britannia cum a coena mercatoris amici reverteretur, qui fumabulum praeferebat, ipsius in oculis occisus est, prope ut ad eum vulnus pervenerit; & transfretatione Britannica, sereno die, cum

ad

ad navigandum invitatus, ſerius ad navem iam ſolventem veniſſet, navis, & qui in ea erant, haud procul a littore, ipſius in oculis demerſi ſunt. Mediolani cum febrim incidiſſet, graviore accepto pharmaco, pene conſumtus profluvio eſt; cum alterum medicus ſupparaſſet, pyxide caſu effracta, periculo eximitur. Nec multo poſt Baſileae, peſtilentia contactus, paulum ab interitu abfuit, ab amicis omnibus, praeterquam ab Andrea Panigalio, deſtitutus, quem poſtea inter praecipuos habuit. Alpes Vindelicas hyberno aequinoctio ingreſſus, paulum abfuit, quin liquentium nivium lapſu obrueretur, ſemel ingenti globo deiectus. Apud paludes Pontinas, cum noctu per flumen Ligulam navigaret, tribus horis limo inhaeſit, navi, quae eum ſequebatur, cum undecim viris abſorpta. Ad Cumas quoque, nocte cum appuliſſet, navis oppreſſa eſt, ſed citra cuiusquam diſcrimen; quod haud procul a littore, nec profundo admodum mari, ſubſediſſet. Qua quoque die coronatus ad Lateranum eſt, in periculo fuit, ne a turba congratulantium opprimeretur, ut neceſſe fuerit, praefractis ſcipionibus, gladiis arceri multitudinem, quod idem poſtea & Narniae contigit. Inſidiae illi bis ſtructae, primum ab Everſo tyranno, adiutore Boccardo, Piccinini ſcriba, cuius interceptae ſunt ad eum literae, habere ſe venenum, quo, ſimul paulum lectica illi-

 nire-

niretur, statim periturum; se quidem corrumpere aliquos ex lecticariis voluisse, verum neminem inventum, qui facinus recepisset; adhibendam eius auctoritatem, & maiora praemia proponenda. Quod ubi rescivit, tantum admonuit Pazaliam, praefectum custodiae corporis, ne quem parum cognitum lecticarium admitteret. Altera a sicariis Tyburtianis. Ii ex Hetruria ad exitum autumni redeuntem nonnullos subornaverant, qui, veluti libellum porrecturi, pugione conficerent. Sed illo properante, nondum confirmatis ad scelus animis, prius, quam venisset ad locum insidiarum, patefacta res est. Et credidit alioquin se facile omnibus fiducia tanta, ut profectione Mantuana aliquando per hostilem agrum sine praesidio transierit. Mors quoque eius praecognita, rumore passim dissipato, ad exitum anni sexti decessurum; & ipse in pratis Quintiis, cum ex urbe discederet, conversus ad moenia, Vale, inquit, Roma, nunquam amplius vivum me visura. Qua die atque hora decessit Anconae, in Hetruria Camaldi, quod est in Apennini iugo, senex Germanus, victu aspero sex & quadraginta annos intra Sacelli claustra emaceratus, atque inter coenobitas miraculis clarus, egressus ad limen primum vestibuli, videre se, exclamavit, magnum sacerdotem, corona triplici, & candido amictu, deferri in coelum, cantantium virguncularum coetu

praesagia mortis.

tu

tu & nubecula septum. Attonitis, qui aderant, &, quid id esset, coniicientibus, quarto post die, quantum itineris Anconae distabat, nuncius de morte eius affertur, & tempore, & habitu, convenientibus. Expeditioni in Turcas vehementius incubuit, & festinantius, quam esset e valetudine, & alieno tempore. Cum recens rediisset e balneis, obiicientibus amicis senium & valetudinem, Patebit, inquit, in coelum reditus, si Romam non dabitur; &, Fano expugnato, sublatis in coelum manibus, Recte, inquit, habet. Iam vocor ad bellum meum. Accelerarunt eius profectionem Philippi Burgundi, magnificis promissis, & praeterea Thelephi, Armeniae, & Georgii, Persarum, & Asiae, Mesopotamiae, & Gorgorae maioris Hiberiae, & Vitebechi, minoris, Regum Oratores, Romam una ad eum missi, diversa lingua, habitu dispari, & ceteris quidem tonsi erant in morem nostrum capilli, Mesopotamiis globus unus in cincinni speciem relictus intonsus, vestes omnibus laxe deiectae, pileo praelato & sublimi. Horum cum unus dies singulos viginti carnis pondo devoraret, Si in convivio, inquit, & umbra his sociis dimicandum erit nobis, iam vicimus. Oratio eorum gravis & stricta. Centum viginti millia armatorum pollicebantur, & Pancratium Hiberum, socium belli, virum magnae in re militari auctoritatis. Quam summam

Fervor in paranda expeditione in Turcas.

eum audiſſet, non creditam, & luxuriae, quam bello, aptiorem ratus, Alere, inquit, tantum exercitum difficile erit Europae. Maturandi cauſam etiam Pannonii dedere, quos poſtulaſſe a Turcis pacem, conſtabat, conditionibus admodum iniquis. Quare, miſſo ſtatim equitum mille, in annuum unum ſtipendio, ac ſpe adventus ſui facta, in fide continuit. Cruce ſignatorum etiam concurſus ad Anconam factus, quos ad triginta millia ex Gallia atque Hiſpania error attraxerat, vulgato temere, Pontificem omnibus, qui ad bellum transmarinum proficiſcerentur, & navigium ad traiiciendum, & victum ad finem belli, ſuppeditaturum. Igitur, praemiſſo ad eos, in adventum ſuum continendos Caravaialio Hiſpano Cardinali, ac rebus per Italiam omnem compoſitis, XIV Cal. Iunias Roma proficiſcitur, re divina in templo maximo ad Vaticanum peracta, in quod deſcendere, quoties urbe abiret, & aras ſingulas ordine venerari, conſueverat. Ibi omnibus ad precandum rerum ſucceſſum invitatis, feſtinato ad pontem Milvium lectica delatus eſt. Avidius ſuſcepto itinere, incidit in febriculam, principio haud ſatis cognitam medicis; & ipſe, ne quid morae obiiceretur, aliquamdiu ſuppreſſerat. Ea iam aucta magis, quam ut diſſimulari poſſet, medicos inhibuit, ne cui patefacerent, iureiurando & imprecationibus adactos. Ad pontem Patribus, ac turba

ultimum iter,

noviſſimus morbus,

ba omni dimiſſa, cum paucis lembum conſcendit, adverſo Tyberi navigaturus. Cum, effuſa patentibus pratis, civitas abeuntem conſalutaret, ac reditum audienti precarentur, prorupit in lacrymas. Subſtitit nocte prima ad Caſtellum Lobeleum, confeſſus, navigationem eius diei difficillimam fuiſſe, contrario flumine colluctanti, quod ex imbecilli potius valetudine, quam labore, accidiſſe putatum eſt; nec auſus in ripam deſcendere, gravi defatigatione confractus, noctem totam egit in lembo. Poſtridie, quanquam inhibentibus medicis, matutinum iter multo ante ſolis ortum ſolvere cum iuſſiſſet, ad oppidum Phianum pervenit, navigatione longiſſima, quadraginta millibus paſſuum uno die confectis. Cum pridie illius diei ad decimum milliarium ſubſtitiſſet, pernoctavit, & ſecundo in flumine hoc in loco dum ageretur de parte claſſis, quae ſtructa ad portum Piſanum penetrare in ſuperum mare per fretum Siculum iubebatur, venireque Anconam ad copias excipiendas, nunciatumque eſſet, triremes Genuenſium, & naves onerarias, quae ad ſummam claſſis pertinebant, nondum eſſe paratas, & praeterea Philippum Burgundum profectionem verbis extrahere, commotus animo eſt. Auxit moleſtiam prolapſus e ripa, demerſusque in oculis, adoleſcens, ad remigium mercede conductus, tarde accurrentibus nautis. Quod adeo tulit, acerbe,

 ut

ut precatus veniam extincto, & abominatus casum, nec lacrymas continuerit. Ad radices montis Soractis taedio navigationis, simul & moerore extincti iuvenis, exponi se primum navicula iussit, questus, semper male sibi navigationes cessisse. Quod verbum sinistre accipientibus cubiculariis, & quid committeret se toties praesenti periculo, interrogantibus, ratus, ad deterrendum se ab transfretatione Illyrica, dictum, quod sciebat, invitis multis se Italia excedere, Neminem, inquit, cogimus; nec aliud locutus, reponi in lembum se iussit, provectum ad quindecim millia passuum lecticа confectis. Supra Ocricolum maxime consternatus est, obvia cruce signatorum multitudine, quos morae impatientes retinere Carvaialius minime poterat, & agmine cum reverterentur, nec rapinis abstinebant. Quocirca medici, aversuri eo spectaculo illius oculos, obduci lecticae velum perpetuo itinere, causati ventos, iusserunt. Ab Ocricolo per Narniam, Interamnamque, Spoletum aegre, & in itinere quatuor dierum, pervenit, conquievitque totum triduum, &, arce communita, praesidium auxit. Iter deinde a laeva per Fulginenses agens, Fulginensium quosdam, subsequi ad Assisium iussos, relegavit, praefinito in reditum suum exilio, ausos & coetus cogere, & praefecto Urbis, ubi ille Italia discessisset, iam tunc insidias praestruere. Tyrannidem sibi per

cae-

caedem arrepturos. Instaurari & Assisii utramque arcem iussit. Superato deinde ad Fabrianum Apennino, iter flexit ad Fanum virginis Lauretanae, vota nuncupaturus, ubi & aureum obtulit calicem, ac pateram, eximiae magnitudinis. Ingressus Anconam XV Cal. Sextilis, supplicationes trium dierum decrevit, praefatus, initia rerum Deo, cetera virtuti, commendanda esse. Nuncio allato de incursione Turcarum in agrum Ragusinum, milites ducentos, ad corporis custodiam comparatos, cum paucis sagittariis, triremi expedita, navigare extemplo Ragusium iussit. Triremes Venetas numero duodecim, in quibus & Venetorum Dux adeserat, ubi appropinquare intellexit, deferri se iussit ad primum littus, classem inspecturus, eaque inspecta, subgemuit, una edita voce, nuper sibi navigandi occasionem defuisse, nunc occasioni se defuturum. In cubiculum relatus, solvi statim profluvio coepit. Medicis nihil periculi promittentibus, Et haec quoque Principum miseria est, inquit, ne in morte quidem carere assentatoribus; postulavitque eucharistiam, quam & triduo prius acceperat, & paulo ante ad Lauretanum. Acciri deinde Patribus iussis, hortatus est, in expeditione persisterent. Triremes, & quae in portu erant, & quas venire per fretum Siculum nunciabatur, tradi Venetis iussit; pecunias, ad aureum nummum quadraginta millia ex decimis

exactas, Matthiae, Regi Pannoniorum, mitti in sumtus belli. Cum deficere vires sentiret, reiiciens sese in Cardinalem Papiensem, Fili, inquit, curam meorum ipse suscipito, & huic expeditioni adesto. Interrogatus ab illo, an sepeliri Romae se vellet? non tenuit lacrymas, subdens: Et quis id procurabit? Illo recipiente, se curaturum, refici visus est; vocavitque Patres ordine ad osculum, postulata prius a singulis venia, si minus recte rem Christianam administrasset. Lacrymantibus omnibus, & Bessarione eius verba de re Christiana sanctissime gesta excipiente, iterum, amplexis omnibus, inungi se iussit, ubi concurrens & ipse precibus, inter hymnos exspiravit, voce ultima aegre edita, rogare omnes, pro se precarentur. Decessit anno aetatis nono & quinquagesimo, religionis nostrae millesimo quadringentesimo sexagesimo quarto XVIII Cal. Septembrium, ex quo Pontificatum inierat, anno sexto. Polinctores, curato corpore, cordatissimum affirmaverunt. Praecordia exsecta in templo Divi Cyriaci recondita fuere. Corpus decreto Patrum, subsequentibus ipsis, relatum Romam est, & in cella Divi Andreae sepultum ad Vaticanum.

& insecuta tandem ipsa mors,

atque funus.

Vita Pii a nobis parvo conclusa libello,
Digna elephantini tergoris orbe fuit.
Larga, sed hoc illi Papiensis vena, nec unquam,
Dum coeli stabunt, emoritura, dabit.

Cam-

Campani exigua, & rivo deducta minuto,
Non explet, primum vix rigat illa labrum.
Cum tua mox aedes nunc pressa volumina, dicent,
Campanus dormit, suscitat iste Pium.
Debilis at quamvis, atque omni manca labori,
Magnum si tetigit, dextera iuvit onus.
Sic ego pone sequens, & post tua terga, priorem
Laudabo, atque auctor non ero, testis ero.

FINIS.

Esse hoc in tumulo Pium Secundum
Ne tu crede; Pius petivit astra;
Terris gloria nominis vagatur.
Praeterquam ossa nihil reliquit urnae.



IOANNIS ANTONII CAMPANI AD PANDVLFVM BALIONIVM THRASIMENI DESCRIPTIO.

Descriptio montis Aerei.

Venimus Thrasimenum Idibus Septembris. Sed hic quoque saepius errare, mutareque sedem, coacti, primum ad Aereum montem, propter loci solitudinem, amoenitatemque, confugimus. Monticulus est editissimus, & situ, prospectuque pulcherrimus. Nam & sese insigni rotunditate complectitur, &, densissimis ad eius radices relictis sylvis, in liberum atque expeditum cacumen exsurgit. Nec perpetuo, ut ceteri montes, excurrit dorso, sed colligit paulatim sese, atque ex omni latere, latis interiectis vallibus, finitimorum montium societate disiungitur. Lacum praeterea, radicibus late iacentem, universum despectat. Tum arcem habet perexiguam quidem, totum tamen cacumen monticuli complectentem, mirifice ad ventorum flatus atque impetus excipiendos aedificatam. Hic nos, quamdiu venti ac frigora tolerari potuere, dies circiter viginti commorati sumus. Hyeme deinde adveniente, in pacatiora descendimus loca, ubi nec cum continuis ventis esset nobis, nec cum assiduis nubibus decertandum. Oppi-

pidum est in littore lacus amoenissimum, Montem accolae vocant. Credo ea de causa hoc inditum nomen, quod aliquanto altius, quam cetera oppida, quae Thrasimeni fluctibus abluuntur, in speciem parvi montis erigitur, universum pene prospectans lacum, intra quem sic extenditur, ut procul aspicientibus insulae speciem retinere, continentemque relinquere, videatur. Itaque ex tribus lateribus continuo clauditur lacu, reliquo latere porrigit sese, ac paulatim expandit in continentem; nec multum procul in collem assurgit per apricum, & ad omnia gignenda feracissimum, tum partim ad venandum sylvestrem & nemorosum, partim liberum & in apertum, patentes campos. Quo fit, ut id oppidum omnium consensu totius agri Perusini amoenissimum censeatur. Nam quae ad moenia & domos spectant, cultiora sunt, quam credere quenquam incolarum fortunae patiantur. Totum oppidum silice quadrato stratum, & pluviam aquam universam in lacum exspuit, & sordes ac coenum, solo in lacum devexo, non continet, ut non minus hyeme, quam aestate, siccis pedibus incedere, totumque oppidum lustrare, sine molestia possis. Porro eam munditiem ingens vicorum latitudo exornat, ut bini currus, si planicies soli pateretur, occursare sine impedimento facile possint. Sed quo minus curribus uti queant, regio-

Descriptio urbis Montis.

nis importunitate prohibentur; & oppidum est in lacum, a quo tribus, ut est dictum, lateribus abluitur; proclive atque devexum. Itaque oppidani nullis terrestribus vehiculis, sed iisdem, quibus in mari, navigiis utuntur. Hoc in loco totam hyemem & aestatem iam mediam commorati; incredibile dictu, quanta varietate rerum omnium, quantisque voluptatibus piscandi, venandi, navigandi, aucupandi, tempus id omne transegimus; quanquam ferarum venationibus, fugiendi nimii laboris gratia, rarius nos quidem, sed tamen interdum, utebamur. Sed quo plenius earum rerum opportunitatem intelligas: Thrasimenum tibi ad unguem, ut dicitur, describemus; Tu modo epistolae modum ne requiras. Est enim praeter incredibilem ubertatem piscium, qua ceteros Italiae lacus antecellit, facie atque aspectu longe pulcherrimus. Eius ambitus, millia passuum circiter triginta complectens, littore lato, atque arenoso, in speciem maritimi sinus extenditur. Multa praeterea oppida, Thrasimenum ex omni parte cingentia, perpetuum exornant littus. Pleraque, non multo a lacu ipso intervallo recedentia, mirifice eam plagam cultu agrorum atque hominum celebritate exornant. Medio lacu tres interiectae insulae aspiciuntur, quarum duae, ad septentrionem vergentes, haud multum inter se distant, earumque altera minor, ut est,

Transitio ad Thrasimenum;

Qui facie atque aspectu longe pulcherrimus.

In medio lacu tres occurrunt insulae, quae describuntur.

est, insula, altera maior, appellatur. Minorem incultam atque inhabitatam remansisse anguium multitudine, ferunt, solo templo in eius cacumine posito. Maior insula, quae ad agrum spectat Cortonensem, ducentis prope familiis habitatur. Reliqua vero, quam tertiam esse, monstravimus, frequens hominibus, situ aliquanto maior ceteris, qua parte lacus pertinet in meridiem interiecta, sex millibus passuum a maiore minoreque insula distare fertur. Hae omnes mille passus, diversa tamen regione, recedunt a continente. Earum incolae solis fere piscationibus incubuere. Nam frumentum, nisi pauci admodum, non ferunt, quanquam vineta non modo insularum dorsis, sed extremo etiam littore, proximisque littori collibus, plantavere, adeo bibendi voluptas illis, quam comedendi, maior. Lignatum pabulatumque in finitimos campos sylvasque egrediuntur. Vicina quoque oppida haud multum colendis agris ceterisque artibus student, omni fere victu ex piscationibus, quibus mirifice dediti sunt, quaesito. Ceterum lacus diversae orae, certis spatiis intervallisque notatae, haud secus, quam terrestria inter se loca, distinguuntur. Suum unicuique orae nomen, sui extant termini, tum piscandi varia genera, quot vix universo mari habeantur. Navigiis quoque non unis utuntur. Habent enim, quas illi naves, nos melius magnas, ut opinor,

Orarum adiacentium situs, ratioque vivendi;

Diversarum diversa navigia,

nor, ſcaphas, appellamus. Neque enim ſubductae in navis modum, curvataeque ſunt, ſed lato planoque fundo, ut minus vi tempeſtatis agitantur, ſic tardius, quam maritimae naves, promoventur. His ſimilia ſunt navigiola, eundem prope in modum aedificata, niſi quod aliquanto minora, quam naves, & gubernari a paucioribus poſſunt, & omnem in partem facilius celeriusque vertuntur. Sunt & alia navicularum genera, Caravellas illi, nos vel lintres, vel propter celeritatem Celoces appellamus, aliquanto tamen maiores, quam lintres. Earum genera extant duo: aliae, paulo altiores, eodem, quo navigiola, modo, binis trinisque remis impelluntur; anguſtiores aliae, preſſioresque, ut ſingulas ſinguli, cum velint, remiges moliantur. Hae cetera navigia celeritate antecedunt, perſimiles reliquis, niſi quod ad velocitatem excogitatae, tenui ac levi tabula conficiuntur, roſtriſque ſunt humilioribus, nec ſupra naviculae altitudinem elevatis. Quae ut celerius, parvo impulſae motu, perveliuntur, ſic, lacu intumeſcente, difficilius tempeſtati reſiſtunt, ut ne toto quidem lacu ad navigandum tutae, hybernis praeſertim menſibus, exiſtimentur. Tempeſtate adveniente, in lacum deduci non poſſunt, aut, ſi deducantur, vim ventorum, niſi magno cum periculo, non ſuſtinent. Saepe enim agitatae, concuſſaeque fluctibus, nonnunquam undis etiam completae, ne magna

gna quidem vi procellarum obruuntur. Ceteris navigiis non dubitant ſe committere, totumque lacum remorum impulſu per omnia tempora aeſtuoſiſſimis etiam fluctibus navigare. Nam velis uti, quam rariſſime ſolent, credo, quo expeditiores habeant naves, ne rudentibus ullis, aut antennis, impediantur. Quibus igitur ad navigandum piſcandumque remigiis utantur, vides. Nam parvas lintres, quarum uſus non niſi in extremo eſt littore, non putavi dignas, quae in remigiorum numero ponerentur. Aguntur enim conto, aut pertica, lacus fundus attingente, nec alia contis navigia pelluntur. Nunc, quibus modis, quibusque temporibus piſcari ſoleant, aperiemus. Nam de aquaticis aucupiis, quorum non minore, ut arbitror, admiratione capiere, poſtremo loco dicemus. Sed cum de piſcationibus dicendum eſt, oportere, arbitror, etiam de retibus facere mentionem, quo plenius cognoſcas omnia. Et retarium apud eos uſitatius, quod vocant Iacium, a iaciendo, ut arbitror, appellatum, rotundum, amplum crebris nodis, arctiſſimiſque maculis, elaboratum, quo, ubi piſces ineſcavere, dextra miro artificio collectum, ac funiculo, cui alligatum eſt, laeva detento, duodecim fere pedum intervallo eiiciunt, quod, plumbo paulatim ad ima deductum, dextra laevaque per funiculum, huc illuc reptando, contrahitur. Saepe, nullis factis ineſcationibus, lapil-

piſcandique modus.

Retium, quibus piſcantur deſcriptio, utpote Iacii,

lapillos in aquam coniiciunt, ad cuius sonitum concurrentes, qui prope natant, pisces, superiecto statim Iacio, capiuntur. Nonnunquam, magna coorta tempestate, fluctibus altissime concitatis, cum pisciculi undique ad portum confugiant, Iacii usus praecipuus habetur. Æstate adveniente, pisces ad littora frictus causa coëuntes, incredibili multitudine eodem reticulo capiuntur. Quod eo potest videri delectabilius, quoniam, qui hoc piscantur modo, per ipsam littoris arenam siccis, cum velint, pedibus pervagantur. Est & alius usus Iaciorum, de quo posterius dicemus. Utuntur praeterea retibus eximia longitudine, maculis quidem amplissimis, latitudine vero non

Cervariorum, magna, vocanturque Cervaria, quod & latiores habeant texturas, & sint, quibus irretiuntur cervi, prope simillima. Eorum latitudo quinque, longitudo triginta, continet pedes. Quibus cum velint uti simul, Cervaria plura connectunt, quae, longo tractu lacus subsidentia, pisces non nisi pinguissimos intercipiunt. Nam hi magis libere fuseque vagantur; limo plerumque ceteri conteguntur. Piscatoribus interdum sonitu ac strepitu peragentibus, exciti pisces, & fugae intenti, occurrentibus implicantur Cervariis. Sed hoc duntaxat per aestatem; hyeme omnium interdictum est strepitu, ne pisces ipsi thoros, de quibus paulo post dicam, deserere & in aliam regio-

gio-

gionem perterriti migrare cogantur. Tenduntur autem Cervaria per aestatem interdiu, nonnunquam etiam noctu; hyeme vero, per noctem in lacum relicta, prima statim aurora repetuntur. Sed de hoc genere, quoniam vulgatior extat usus, plura non dicam. Tertium rete multo mirabilius, quam cetera, incredibili magnitudine, arctissimis intextum maculis, filoque perduro & litio persimili, in latitudinem centum, in longitudinem ducentos, pedes extenditur. Eius usus hyeme tota permagnus fructus affert uberrimos. Hic enim lacus unus ex omnibus, quos nostra admisit Italia, hibernas piscationes non solum pati, sed etiam fructuosissimas praestare, consuevit, cum omni genere piscandi, tum maxime, de quo nunc loquimur. Et habet Thrasimenus opportunitates piscandi multas, quarum omnium vel maximam esse censent, quod in tanta latitudine atque ambitu, ubi maior est eius altitudo, non amplius, quam quatuor & viginti, continet pedes, solumque habet planum & limosum. Limus autem perlucidus decem pedum continet altitudinem, hyemeque est calidissimus, & ad fovendos pisces mirifice accommodatus. Illic enim saepe, relictis thoris, occultantur, ut qui futuram hyemem ac ventos diu ante naturae benignitate praesentiunt. Quae si horridior futura sit, thoros magno cum incommodo piscatorum deserentes, ad limum

Opportunitates piscandi.

ipsum, tanquam ad meliora tecta, calidioraque hiberna, confugiunt, eodemque brumae tempore toto delitescunt, nisi qui aliquanto sint obesiores. Hi enim neque thoros deserunt, neque frigora magnopere pertimescunt, adeo macies nocere etiam piscibus potest. Sed ne ab instituto recedamus, absolvendum est nobis tertium piscandi genus, mirabilius ceteris omnibus, atque uberius. Circiter Calendas Iunias primum ex vicinis sylvis, quarum magna circum lacum extat copia, tenuem ac frondosam materiam subcidunt, sarcinulasque cogunt incredibili multitudine. Ex his deinde densissimos aggeres in medium lacum coniiciunt, ita, ut aqua penitus obrutae, ne a supernavigantibus quidem aspiciantur, eosque appellant Thoros, nomen, ut ferunt, a re ipsa traductum, quod pisces, vel diurna peragratione fatigati, vel, quod verisimilius videtur, frigoris vitandi causa, illic noctu ad sarcinulas conquiescunt. Quod nisi saepe fecerunt, tanquam ad sua cubilia hibernis duntaxat mensibus assuescunt. Sternuntur autem in universo lacu thororum circiter duo millia. Nam ex quadraginta navibus, quas habent singulae, quinquagenos sexagenosque substernunt; quanquam non semper novos exaggerent thoros. Plerumque enim veteribus nova viridioraque stramenta subiiciunt. Non nunquam virentibus paucis adiectis sarcinulis, thororum instau-

Descriptio Thororum.

ſtaurationes appellant. Igitur omnium difficillimum eſt thororum tantum numerum medio in lacu, nullis impoſitis ſignis, ab unoquoque ſuos, obſervari potuiſſe, cum nec multum inter ſe diſtent, ſintque permixti, nec quicquam, quod oculis patere poſſit, emineat. Sed nihil tam difficile eſt, quod idem humana non vincat induſtria. Notantur igitur thori mirabili diligentia. Piſcatores, quem in locum ſarcinulas congeſſere, illinc e medio lacu in continentem proſpicientes, quae facilius occurrant oculis, bina ſigna, pertinentia ad orientem ſolem, totidem ad occidentem & ſeptentrionem, interdum etiam ad meridiem, diligenter obſervant, mandantque memoriae. Non nunquam inter domeſticas ratiunculas & thororum regiones ac ſigna conſcribunt. Signorum autem altera propinquiora, remotiora altera, utraque tamen ad oculos ipſos per eandem rectam lineam occurrentia, ſive domus illae ſint, ſive arbores, aut aliquid tale, quod procul intuentibus cerni poſſit. Itaque ex tribus, aut ad ſummum quatuor, lineis, ab oriente, occidente, meridie, ſeptentrione venientibus, ſingulae per bina transeunt ſigna, quorum alterum quidem, ut ſupra dixi, remotius eſt, alterum vero propinquius. Proinde quem in locum lineae recte per ſua ſigna concurrent, illinc ſtratum ſignificant thorum. Sed quoniam facilius percipi ſolent, quae oculis,

quam quae auribus, patuere, similitudinem etiam afferemus; tu, quod ipsi literis explicamus, animo diligenter attendito. Vidisti saepe & multa, cum trivia, tum etiam quadrivia; nec ignoras, omne trivium in tres, quadrivium in quatuor, sectum esse vias, quae ubi committunt, aut secant sese, medium quoddam spatium, quasi centrum, efficiunt. Finge, & rectissimas esse vias, & unicuique viae duas turres, aliquanto intervallo distantes, eminere, quarum propinquior altera duo, altera remotior quatuor, millia passuum distet a centro. Qui igitur in trivii centro maneat, sex videbit turres, tribus rectis ad se tramitibus pertinentes. Qui autem in quadrivio permorabitur, octo perspiciet, quatuor ad eius oculos rectissimis tractibus occurrentes. Quod si paululum a centro ipso recedatur, nec viae patebunt longius, nec turrium ordo constabit. Primum ergo, cum thorum velint invenire, qua nocte piscandum est, quam in regionem coniectas arbitrantur sarcinas, in eam de tertia vigilia, quanto maximo fieri potest silentio, devehuntur. Deinde, conversi ad continentem terram, tam diu, huc illuc navigantes, circumspectant, donec sex, aut ad summum octo, quae observaverant, signa rectis ad oculos concurrunt lineis. Qui si paululum ex loco moveantur, nec signa occurrent, rectis illuc tractibus aspicientia, nec lineae in alium quempiam

piam

piam locum recte congredientur. Coelo autem nubilo, cum prospectus in continentem obscuritate noctis, aut nebularum densitate, impediantur, non nunquam thoros piscantur alienos. Qua re cognita, thori domino, aut partem lucri satisfaciunt, aut integrum thorum, quem ille velit, piscandum concedunt. Utrum eligat, in eius est arbitrio, cuius fuerat thorus. Quod si nebulae diutius circum lacum haerent, montes ac rura aspectu eripientes, piscationes per id tempus fieri non poterunt. Thoro per eum, quem diximus, modum invento, ambitum eius pertica longissima percontantur suspensim, ac nullo cum strepitu, statimque retia illa, quae diximus, circumtendunt. Magnus sane in tendendo labor. Primum omnium navim ad palum quendam, longo intervallo a thoro defixum, longissimo alligant fune, ita, ut palus eo pertineat, unde ventorum occursuri impetus videantur. Id autem eo consilio faciunt, ut & navis consistere, & longo funis tractu minus a ventis impelli, exagitarique, possit. Deinde thori ambitum, diligenter, ut est dictum, contis longioribus quaesitum, circumdant duobus ordinibus perticarum, aliquanto interiecto spatio distantium, quibus alligata retia ita sustineantur, ut, protracta in longum, atque extensa, glomerare sese & supernatare non possint. Retia non modo ad solum usque demittuntur, sed ita pars quaedam per limum extenditur, ut pedes aliquot ae-

Retia circa thoros tendendi labor.

quata protensaque iaceat, fiuntque anguli curvi atque ampli, altera parte prioris ordinis perticarum in soli speciem strata, altera per reliquas perticas in modum surgente parietis, quae pars sursum exsurgit, aliquot in ea sarcinulae suspenduntur, quo perterriti pisces, ac thoris exagitati, confugere latereque possint. Retibus iam firmatis, piscatores, partim in navigiolum descendentes, partim consistentes navi, rastra iniiciunt, perticas intentant, contos subigunt, thorum ex omni parte perturbant, sarcinasque ad unam corripientes, alium in locum extra retia coniiciunt, sequentis anni futurum thorum. Utuntur autem ferreis rastris mirae magnitudinis, sexdecim praecurvos quasi digitos habentibus. Eamque ob rem uni rastro plures incumbere oportet, quod, ad solum usque penetrans, pisces limo contectos intercipit, quos eo vitandi frigoris causa confugisse, dicebamus. Sunt, qui viderint, uno iactu rastri sexaginta pisces esse correptos. Quae res indicio est, hyemis, quam praesentiunt, magnitudine esse perterritos, & in limo ipso, quem natura calidum ostendi, sese penitus immersisse. Quo nihil piscatoribus esse potest incommodius, cum pisces, quod thoris non assuevere, capiendi sui facultatem minime praebeant, nec in unum aliquem conveniant insidiarum locum, sed toto lacu vage sparsimque limo, quo quemque tempestas rapuit,

piscandique modus.

puit, contegantur. Thoro per hunc modum furcillis rastrisque exagitato, ac sarcinulis exteriorem, ut diximus, in locum coniectis, pisces omnes, suis exciti sedibus, ad sarcinulas, quae in retis gremio erant suspensae, confugiunt, nulla alia data evadendi via. Tum vero, quae pars retis limo aequato iacebat, perticis alterius ordinis, quam celerrime fieri potest, elevatur, remanentque retia curvata, in speciem longae sportulae colligentia sese, omnibus lateribus per perticas duorum ordinum elevatis. Quod autem medium est inter utramque extremitatem collectum gremium, per id pisces, iam & sarcinulis ipsis exturbati, natando fugiendoque pererrant, non nulli tanto impetu subsiliunt, ut, superatis retibus, liberi in patentem concidant lacum. Tanta interdum multitudine complevere retia, ut confundere oculos, & nubeculae, quam auster impellat, speciem praebere videantur, adeo & multi sunt, & incredibili celeritate concursitant, donec paulatim, collectis retibus, unum in locum arctum angustumque compellantur. Huc deducti, manibus, quot libitum est, capiuntur, & in aliud quoddam reticulum, Mucilum illi vocant, leniter coniiciuntur. Quibus peractis rebus, alii secernendis piscibus occupati, alii funiculis solvendis intenti, clamore atque cantu omnia complent. Non nulli, quem reliquum usum Iacii dicebamus, prius, **Mucilum.**

quam colligantur retia, in thori vestigiis Iacio piscantur. Postremo perticis, contis, rastris, ceterisque piscatoriis instrumentis, in navim convectis, & retibus in puppe congestis, ad portum magno plausu, modico tamen lapsu, deferuntur, Mucilo ad navim primum, quo minus agitetur, mox, ubi portui appropinquaverunt, ad navigiolum alligato, ac per medias undas subducto. Quod ideo faciunt, ne pisces, aut in siccum educti moriantur, aut celeritate offensi, vel Mucili angustiis pressi, concutiantur. Quibus rebus nihil ad eos in hyemem servandos incommodius. Venduntur enim minoris, qui procelloso, quam qui tranquillo, lacu capiuntur, quoniam minus exagitati servari diutius queant. Studium quoque servandi non vulgare. Viminibus saliceis, aut si qua sint similia saliceis, cophinos intexunt praelongos atque amplos, & in columnae speciem rotundos, nisi quod paulatim in ora coguntur, clausi undique arctissimeque contexti, praeter unicum in extrema fronte relictum os, per quod & immittuntur pisces, &, cum tempus postulat, extrahuntur, persimiles saccis, nisi quod uteris sunt amplioribus, & salicis, ut dictum est, conficiuntur, ore quoque sint arctiore, quam sacci, Vaccaria dicunt piscatores. Eos, ubi piscibus complevere, multo relicto vacuo, ne angustiis pressi moriantur, piscatorii nodi sigillo concludunt, longoque alliga-

Studium pisces servandi.

Vaccaria.

ligatos palo, in intimo littore, nec multum procul a terra, relinquunt. Natant illi dies aliquot, mox, viminibus ſenſim madefactis, obruuntur. Natantibus auſtrales venti ſunt pernicioſi. Nam & littora coena perfundunt, & Vaccaria ingenti exagitant aeſtu, etiam ſua quadam natura peſtilentes. Aquilone autem, aut Favonio, flante, nihil piſces accipiunt detrimenti. Mira quidem, ſed tamen certa nobis, atque explorata, referuntur, cophinis ad ſolum demerſis, pertenuem quendam panniculum piſcium oculis increſcere, & paulatim occaecari, occaecatos autem nullam amplius auſtralium ventorum tabem aut impetum pertimeſcere, atque in longiſſimam hyemem, & in primam fere aeſtatem, vivos poſſe ſervari. Sed iam ad alterum genus piſcandi tranſeamus. Nam uſus quoque hamorum celeberrimus. Eorum tria ſunt genera. Alii pertenues, nec multum arcus magnitudinem excedentes, mirabili flexu curvati & extorti; vocantur autem Spaternae. Sed eorum uſus toto eſt interdictum lacu. Si qui clam utuntur, funiculo primum longo, de quo poſterius dicemus, centenos ducentenosve ſuſpendunt, tenui ferro in fili modum extenſo, interdum etiam & filo; ſi eo genere ferri careatur. Quod ideo faciunt, ne piſces, ubi eſcam hauſere, filum aut erodant morſu, aut impetu evadendi diſrumpant. Funiculum deinde hamis, ferreo filo ligatis,

Aliud piſcandi genus per hamos, quorum tria occurrunt genera.

Spaternae.

ac minuto inescatis pisciculo, noctu in lacum coniiciunt, qui, pauco ex utraque parte sustentati subere, incredibile dictu est, quantam piscium decipiant multitudinem. Alterum genus artificiosius est, & mirabilius, minus tamen ad omne tempus accommodatum. Quippe vel si paulum lacus intumescat, aliquo flante spiritu, nec piscatio quo minus recte fiat, impedimento sunt, undaeque paulo aestuosius agitatae obtuitum offendunt oculorum. Hami quidem sunt bene magni, minus tamen intorti, quam quos paulo ante diximus. His filum longissimum in hunc modum alligant. Primum iuncum, quam maximum comparare queunt, ter quaterque duplicatum, in palmi redigunt longitudinem. Deinde filum, quo suspensus est hamus, medio iunco conglomerant. Mox inescatum hamum medium in lacum iacientes, iuncum ipsum, suapte natura pernatantem, diligenter observant. Quem si tranquillo lacu circumagi, aut alteram in partem quasi praecipitem inclinari, videant, celeriter ad eius locum navigantes, hamum subito contrahunt conatu, supposito prius reticulo, ut, si filum interceptus piscis erumpat, in subiectum decidens reticulum, liber enatare non possit. Sed hoc modo soli Lucii capiuntur, pisces mirae pulchritudinis, qui vario colore, & quasi viridibus aspersi maculis, ceteris omnibus, quos Thrasimenus alit, magnitudine praestant.

Lucii pisces.

Hac

Hac piſcatione nulla delectabilior, &, ſi per omnem tempeſtatem fieri poſſet, nec ulla quidem eſſet utilior. Sed de Luciis mira referuntur, coire interdum cum ſerpentibus, & ex his gignere, atque eam ob rem vario eſſe colore, piſces praeterea ſummae magnitudinis involare, ſoloſque in hoc lacu eſſe voraces, quod & dentium implicatiſſimus ordo demonſtrat; remanſiſſe aliquando in ſicco Lucium, quem cum vulpes capere contenderet, alterum pedem eius dentibus eſſe deprehenſum, atque ambos inventos eſſe mortuos. De tertio genere hamorum, quoniam eſt familiare omnibus, & hami paluſtri arundine ſuſpenduntur, nihil dicam. Eorum tamen uſus ſupra thoros non vulgaris. Sed quo minus ſaepe fiat, vetat, qui thorum ſubſtravit, ne piſces aliquo, vel parvo, exturbati ſtrepitu, alios in thoros exterriti deferantur. Anguillarum piſcationes plus videntur habere difficultatis, cum nec omni reperiantur lacu, ſed limoſo duntaxat atque herbido, nec eiſdem, quibus alii piſces, retibus capiantur. Eſt autem Thraſimenus ex omni parte perlucidus, niſi quod in ea plaga, quae pertinet inter meridiem atque orientem, paulo ſeſe latius in continentem effundens, angulum efficit quietiorem, limi tamen, coenique feracem, & ulna, ceteris paluſtribus herbis, denſum atque obſcurum, quo ne venti quidem, ac tempeſtas, penetrare poteſt. Nam fra-

Anguillarum piſcatio.

ctae

ctae densitate herbarum undae repelluntur. Venti quoque, occursu circumflectentium sese montium liberum exitum non habentes, maiores undas facere, tumidioresque, aestusque ciere, prohibentur. Hic igitur, intextas palustri canna, sepeculas in obliquos gyros & quasi anfractus longo tractu circumdant, raris tamen relictis foraminibus, per quae irrepentes anguillae in tophos (sic enim appellant, genus retis artificiosissimum) delabuntur. Eius retis primum os patens atque amplum paulatim in arctius cogitur, donec angustissimum factum, in medium latioris reticuli ventrem excipiatur. Cum igitur anguillae, sepecularum anfractu oberrantes, inspersam sectarum escam in Tophos ipsos, foraminibus obiectos, incidentes illabuntur, illae quidem aditu facili atque libero, sed, ubi ad retis uterum pervenerunt, elabi reditu perangusto non possunt. Nec tamen anguillae hoc in lacu oriuntur; sed est finitima, atque in Thrasimenum devexa, vallis, cuius terra lubrica minutissimarum anguillarum, nec fili magnitudinem excedentium, feracissima est, quarum, quibus eius cura data est, magnam vim in lacum, terra interdum admixta, coniiciunt. Ex quo vulgi subsecutus est error, existimantis, eam terram statim in anguillas verti, quoties Thrasimeni unda perfunditur. Quamquam nec ex ea valle solum, sed etiam ex Clusinis paludibus asportantur.

Tophi.

Parvae

Parvae enim coëmtae, atque in lacum ipsum coniectae, in incredibilem solent evadere magnitudinem, fiuntque longe meliores, quam quae Clusinis paludibus coaluerunt. Eius rei causam esse, putant, puritatem & munditiem lacus, ubi & non nascuntur anguillae, quippe quae non nisi ex luto coenoque gignantur, & invectae aquarum depurantur nitore. Sed qui eam incolunt oram, non iisdem, quibus ceteri, retibus ac navigiis utuntur. Causa est densitas herbarum, quae & thoros, si substernerentur, obduceret, ut sine magno labore sarcinae evelli non possent; & ipsae per se satis sunt fovendis piscibus, & a ventis ac frigore defendendis. Ceteris igitur piscationibus reiectis, solis utuntur Rocchis, eamque ob rem navibus navigiolisque caruere. Navigant autem, cum illorum vocabulis utendum est, mediocribus Caravellis. Rocchorum immensa multitudo. Suspensi enim canna palustri, & per noctem in lacum relicti, mane repetuntur. Sed in tendendo quoque mirificus ordo servatur. Neque enim passim temereque tenduntur, sed per rectissimos tractus, veluti per sulcos arbuta, collocantur. Eius regionis pisces, nequaquam comparandi ceteris, & colore, & gustu, facile dignoscuntur. Dorso enim sunt nigriore, afferuntque ne, scio quid, lutosum coenosumque gustantibus. Tum mortui, livore quodam obducti celerius, quam ceteri,

Rocchorum usus.

ri, corrumpuntur. Sed de piscationibus satis arbitror dictum. Reliquum est, ut avium aucupia aestiva hibernaque absolvam, quo plenius Thrasimeni felicitatem intelligas. Avium in primis magna copia, generaque pervaria. Quocirca aucupandi quoque modos, necesse est, esse complures. Nos tamen eos solos afferemus, qui digniores memoratu atque auditu videbuntur; ceteros ipse considerabis, cum a terrestribus aucupiis, quorum studiosissimum te esse scio, non multum differre videantur. Atque non alienum putavi, pauca prius de aquatilibus avibus dicere, quo magis in aperto sint omnia. Earum aliae quidem piscibus aluntur; abstinent autem hoc cibo aliae. Sed quae pisce vescuntur, deteriores ceteris, &, nisi diligenter condiantur, nescio quem piscium odorem effundunt, vix nostris deliciis tolerabilem. Ex his nonnullae despiciuntur. Nam Mergis, quorum magna extat copia, nemo vescitur. Avis ad anseris magnitudinem, nigra, foeda, insigni voracitate praedita. Navi & thoro descendente, statim eo incredibilis advolat Mergorum multitudo. Catervatim enim, tanquam explicata acie, gregatimque feruntur. Mox thori vestigiis immergentes sese, pisces mira magnitudine rostris educunt, statimque absorbent, magnum sane Thrasimeni curatoribus incommodum. Neque enim plures piscatoribus toto anno pisces

Aucupia avium,

praecipue aquatilium,

tempore Mergorum,

fces capi, quam ab his paucis menfibus involari, fatis conftanti opinione ferunt. Sed nec annum illic integrum permorantur. Tanto enim funt calore, tantaque teguntur pluma, ut aeftatem, nifi gelidis in fluminibus, perferre non poffint. Igitur primo ftatim adventu hyemis ad Thrafimenum e remotiffimis advolant regionibus; multitudinem autem, quantam, nifi qui ipfe fuis, ut dicitur, oculis videat, credere quisquam, aut cogitare, vix poffit. Tum interdiu quidem toto lacu natando mergendo fefe, atque rapiendo, circumferuntur. Non nunquam defeffi, proximos littori petentes palos, paffis illic ad folem alis, paululum confiftunt. Mox, quafi refumtis viribus, integri ad praedam profiliunt. Nocte iam adveniente, ad proxima, fi qua funt, flumina volatu altiffimo concedunt, nec bini, ternique, fed eodem, quo grues, eunt ordine. Nam alter alterius caput tergo excipit, & ducem unum ordine longiffimo ceteri fubfequuntur. Mox deinde ad praedam, eodem fervato ordine, auroram circiter revertuntur. Eam ob rem Thrafimeni curatores praemium his, qui fingula capita Mergorum obtuliffent, ternos denarios ftatuerunt. Praeterea Volfenam, quo in loco nidos primo vere facere confueverunt, mittunt, qui ova rumpant, pullos iam natos interimant, &, fi quos condidere, nidos exturbent, vivaria, fi qua habeant, deleant, ca-

ver-

vernas intercludant, cetera omnia, quae ad delendos pertineant Mergos, diligentissime faciant. Nidificant autem in asperrimis crepidinibus praeruptorum montium, quo loca habeant ad tollendos pullos praecipiti rupe munita atque invia, adeo unicuique vis sua est se, liberosque tuendi. Quocirca magnus in delendo labor, plurimique nidi illaesi atque integri dimittuntur. Alterum genus magnitudine gutturis rostrique permirandum, ut facile integrum arietem capere posse videantur. Eorum victus rapinae. Specie pulcherrimus. Natant tota die, & quasi deambulantes, Mergorum, quacunque eant, vestigia subsequuntur, eosque observant mergentes; surgentes autem aggrediuntur, &, si quem rostro piscem cepere, vi eripiunt. Igitur quo pacto illos & observent, & adoriantur, aspicere summa est voluptas. Harum quoque avium cibo abstinemus. Extant etiam aviculae quaedam, columbarum magnitudinem vix excedentes, candore insigni, mansuetudineque singulari, ut non nunquam ad navim usque volando descendant; aluntur autem mortuis pisciculis. Quoties enim vaccaria evacuantur, aut mortui, si qui sint, pisciculi eiiciuntur, earum millia ingenti stridore supervolitant, eiectosque pisciculos mira cum celeritate corripiunt; eamque ob rem & hamio, si libitum est, facillime capiuntur. Nec his quidem vesci consuevimus.

vimus. Ceteras omnes, praeter paucas, quarum nomina ipsis etiam ignota sunt accolis, non aspernamur, anseres, fulicas, germanos, strigiles, cygnos, anates, & si qui sint eiusmodi. Fulicas a sumina, qua sunt, nigredine appellatas, existimo. His oculi stant igni rubentiores; rostrum, nisi quod ipsum quoque rubeum est, columbae rostro persimile. Hae paulo maiores gallinis incredibili multitudine lacu, praesertim extremo, natant. Strigiles, minores columbis, rara, nigraque teguntur pluma. Itaque volare illae quidem, ac tollere sese, quod alas habeant pene nudas, non possunt; undas tamen concitatissimo findunt cursu. Fulicarum ac strigilum carne non solum vescimur, sed inter mediocres habemus delicias, si modo exta omnia & caruncula quaedam sublivida, quae est sub costis, abiiciantur; quanquam fulicae, quod piscibus non aluntur, non tanta indigent cura condiendi. Germanus, anati persimilis, nisi quod aliquanto maior, piscibus & ipse nutritur. Sed quae ad anates atque anseres pertinent, praeteribimus. Quales enim illae sint, ignorat nemo. Cygni, quos accolae Cesios vocant, aves sunt candidissimae, aliquanto maiores gruibus, quanquam grues tibiis sunt longioribus. Aluntur autem solis radicibus iuncorum, quorum magna in toto littore gignitur copia. Hi etiam futura praesentiunt. Nam & mortem suam cantu significant,

anserum, fulicarum, germanorum, strigilum, cygnorum, anatum, & aliarum.

cant, &, qua parte venti flaturi sint, ostendunt placida tempestate coeloque tranquillo. Toto lacu liberi pervagantur; austro autem adveniente, priusquam flare incipiat, ad eam partem littoris, quae meridiem spectat, nando contra nituntur ad septentrionem: si aquilo, si favonius, ad occidentem, eodemque modo, si eurus, ad orientem, ventis, quacunque flaturi sint, sese offerentes. Pennae illis durissimae sunt. Alarum quoque ordo pulcherrimus, & mirifice ad findendas aquas accomodatus, quas sic perstringit interdum, ut procul natantis cygni strepitus & undarum quasi stridor audiatur. Hac ave nihil in toto lacu deliciosius, quae, cum capitur, non modo vocem emittit, sed vim quoque lacrymarum profundit, futuram, ut arbitror, calamitatem mortemque divinans. Aves autem non simplici dolo, sed varia fraude capiuntur. Funiculi usus inprimis clarus. Hunc extremo iuncorum cortice longum tenuemque conficiunt, oblinunt deinde visco, hoc quidem usitato & vulgari, sed aliter tamen conficiendo. Primum enim viscum ipsum diligenter expurgant, parva deinde in olla reconditum, lento admovent igni, carbonesque substernunt. Mox vetusti atque ardentis lardi paululum superstillant, viscumque tamdiu agitando permiscent, donec paulatim humile atque tenax, & quamvis flexuosum efficiant hoc genus visci, tam hyeme

Scilicet per funiculum visco oblitum,

me atque aqua, quam terra atque aestate, tenacius, ad aestivos etiam calores accommodatum, si minus adipis instilletur. Coelo igitur subnubilo, lacu autem aut omnino tranquillo, aut, quod commodius arbitrantur, aliquanto aestuoso, quo levi motu confundent undas, minus possint apparere insidiae, funiculum ipsum, qua parte avium transitus futurus sit ex adverso extendunt, palo suberis ad utramque eius extremitatem alligato. Ille vero supernatans neque mergi, cum unico confectus subere etiam sustinetur, neque cerni propter tenuitatem potest. Interea aucupes, paululum ad dextram, aut laevam secedentes, longo intervallo regrediuntur, donec aves, quae post terga fuerant relictae, conversi ad funiculum, in conspectu habeant. Tum paulatim, tanquam aliud agentes, binis ternisque naviculis subsequuntur, cursu tamen quam lentissimo navigantes, ne quo, aut illae strepitu, aut clamore perterritae, tollere sese, & alte volantes funiculum deserere, cogantur. Igitur progrediuntur illi quidem, sed tam modico gradu, ut, eodem vestigio haereant, an quicquam promoveantur, ignores. Aves autem, paulatim appropinquantes, aucupem & ipsae leviter natando antecedunt. Iam ubi ad insidias devenere, ad viscum recto, ut eunt, pectore passisque alis implicatae cordula detinentur. Utuntur & alio genere mirabiliore illo quidem, per reticulum, quod Roc-

chum appellant, dem, sed tamen minus usitato, & quo soli capiuntur mergi, aut si qui naturam eandem habeant sese demergendi. Primum latum reticulum alligant palustribus cannis, quibus natura levibus, ne ad ima descendat, sustinetur. Quatuor deinde mediocres lapides totidem reticuli angulis suspenduntur, qui, duro alligato licio, duos ferme pedes infra reticulum pendeant, atque ad ima descendant. Rete igitur protensum a lapidibus ad solum, modico illo relicto intervallo, deducitur, &, ne ad ima usque descendat, cannis palustribus sustinetur, duum pedum relicto spatio, quantum per licium lapides infra reticulum descendebant; Rocchum appellant, adeo ipsi sibi pepere nomina. Inter haec mergi, ut est natura, ad limum usque penetrantes, ne supervadere queant, reticulo prohibentur, nec multo post, maculis intercepti atque implicati, moriuntur.

per hamum, Est & alius modus mergis maxime insidiosus. Hamo pisciculum inserunt, quem illi exsorbere cupientes gutture traiecti corripiuntur.

& per aream, sive per retia, quae Pagellas vocant. Ultimum genus haudquaquam dissimile terrestribus aucupiis. Aream, extremo littore suffossam, tamdiu milio, faba, aut simili esca, consternunt, donec avium, saepe impune comedentium, multitudo ingens assuescat. Interea, tuguriolo prope aream aedificato, duo retia inter se paria, Pagellas vocant, aream ipsam magna ex parte complectentia, sic tendunt, ut humi reie-

rejecta vix appareant, & ex tuguriolo contracta per funiculum sursumque erecta mirifice concluduntur. Praeter haec, quae memoravimus, plurima aucupiorum extant genera, quorum ipse, quod obscuriora videbantur, nec memoratu digna, non putavi, faciendam mentionem, ne nimiam & supervacuam minimarum rerum in scribendo diligentiam accusares. Equidem regiones adivi & lustravi multas; nullam tamen agro Perusino cultiorem amoenioremque cognovi. Vasta sane & montosa procul intuentibus, cum autem propius accedas, nihil tum cultu agrorum, tum benignitate coeli, tum & terrae ubertate, felicius. Sed de reliquo quidem agro fortasse scribemus alias; nunc autem, cum eramus otiosi, inducti sumus, ut Thrasimenum nostrum describeremus, rationemque tibi nostri otii redderemus. Totius enim agri Perusini mira fertilitas; eius autem orae, quae Thrasimenum claudit, tanta rerum omnium ubertas atque copia, tanta etiam amoenitas, ut cetera quidem hominum, haec autem Deorum, domicilia esse videantur. Finitima littori loca cuncta feracia, quaedam arboribus consita, pauca pascendo pecori herbida & nemorosa, cetera vinetis olivetisque referta. Hinc Clusina patent arva, quae, Thrasimenum ipsum ad occidentem longissimo tractu arrigentia, plena sunt variis generibus ferarum. Hinc editissimi

Laus agri Perusini.

Littorum Thrasimenum adiacentium pulcherrima conditio.

mi colles,& ipsi culti, aspiciuntur, qui aliquanto procul a littore planitiem relinquentes, nec abrupta atque praecipiti rupe, sed levi acclivique iugo surgentes, ut planitiem suis radicibus iacentem excipiunt, sic & ipsi a finitimis, qui circa lacum prominent, montibus excipiuntur. Porro montium suprema iuga, placidissimo excurrunt dorso, partim pomiferis arboribus, partim rariusculis distincta sylvis, quae materiam sternendis thoris instaurandisque suppeditent. Littoris oram nulla interfusa stagna, aut paludes, impediunt, sed liberam atque patentem cannabi linique feracem, oliveta etiam exornant extremo littore, non frutecta, spinetaque, sed iam sponte sua solae arundines, & illae ne palustres quidem, oriuntur. Tum omnia Thrasimeni aspectu felicitantur. Quicquid ille non abluit solum, sed etiam aspicit, optimum reddit atque uberrimum. Paucis in terris meliora vina, oleum liquidissimum. Sed haec per colles ipsos, quos circum lacum assurgere ostendimus, mira fertilitate conspicuos. In planitie vero, inter lacum atque colles iacente, cannabi & lini tanta copia, ut ne in reliqua quidem Hetruria maior, quod ipsum tenuitate sua praeclarum, frumenta salubriora ceteris, poma quoque suavissima, per anni tempora distincta mirifice. Nam quae ad Thrasimeni alveum spectant, admiratione digna sunt omnia. Lacus ipse lucidus

ac

ac perſpicuus, nec recipit alienas aquas, nec refundit ſuas, niſi quando pluviarum magnitudine excreverit. Qui tametſi ad longitudinem aliquanto potentior, tamen rotundus fere, ac mari ſimilis, tribus interiectis inſulis, adornatur; nec in paludes aut ſtagna deficit, ſed ubivis, quam in medio, purior; hibernae atque aeſtivae piſcationis patiens, iisdem, quibus mare, fluctibus agitatur, eosdem ſentit ventos, eodem coeli colore diſtinguitur. Inſignis aquae ſuavitas, ut vivo potius manare fonte, quam ne influo quidem lacu ſtagnari, videantur. Augetur interdum vi magna pluviarum. Ferunt, aetate noſtra ſeptem creviſſe pedes, totidemque eodem anno recidiſſe; tum patrum memoria, longe lateque ſtagnantem, in Cortonenſem agrum influxiſſe, averſum deinde in Peruſinum, parvo quodam ſuffoſſo monticulo, per quem educta in patentiores campos aqua, excreſcere amplius, & liberius vagari, non poſſet. Piſcium quidem genera non multa, copia tamen inaudita, quos non Peruſiam modo, ſed primo ſtatim adventu hyemis ad Hetruſcos, ad Umbros, ad Picentes, Romam quoque, plurima quotidie iumenta comportant. Bruma adveniente, littora mulionibus tota complentur. Nam ante id tempus per calorem longius vectari non licet, & nec per hyemem quidem, ſi modo nubes auſter impellat,

Ipſius Lacus paulo accuratior deſcriptio.


pluvius ſane ventus, nec piſcibus ſolum, quanquam his maxime, ſed ceteris quoque animantibus, perniciosſus. Flante aquilone, per ſeptem dierum ac noctium continua itinera deportantur. Hoc vento nihil cum ceteris rebus, tum maxime piſcibus, ſalutarius. Nam & viventes tutos, ne moriantur, praeſtat, & mortuos diu ab omni livore tabeque conſervat. Feruntur autem ciſtellis, ſalicto vimine intextis, Barculios vocant accolae. Singuli muli quatuor vehunt ciſtellas. Cave, vel marinas piſcationes cum his cenſeas conferendas. Plura enim haec uberioraque genera; & cum terra fiunt, plus admirationis videntur afferre. Sed de Thraſimeni amoenitate nunquam ſatis multa dici poſſent. Quamdiu hic permorati ſumus, ne otioſi quidem, iucundiſſime viximus. Neque enim deſerta nobis atque inculta loca defuere. Nam Cluſina arva, quae Thraſimenum claudunt ad occidentem ſolem, vaſta ſunt atque patentia, referta vario genere ferarum. In media igitur terra poſiti, latiſſimum tanquam mare proſpicimus, navigia quotidie videmus; non nunquam tranquillo navigantes lacu ſimul manibus attractamus undas, ſimul natantium piſcium laſciviam intuemur, qui non modo ad inſpiciendum oculos, ſed manus etiam ad capiendi ſpem, videntur invitare. Interea magnas excitari aquarum mo-

Barculii.

moles, subitamque exoriri tempestatem, mox aestus omnes, quasi confecta pace, resistere, nosque cum ad navigandum, tum etiam per aestatem ad natandum, allicere; Hyeme autem altissimas misceri undas, & praeruptos aquarum montes magno in nos impetu concursare, ripas omnes atque littora, & cuncta denique vicina loca, fluctuum sese collidentium stridore compleri; pisciculos ad littora portusque confugere, ac sese retiario capiendos praebere. Interea piscationum studio late fervere omnia, viros, unumquemque suo labori intentos, alios nova contexere retia, vetera resarcire, alios novas rates aedificare, veteres reficere, commissuras stuppa munire, remos atque alia navalium operum instrumenta dolare. Mulieres quoque alias linum cannabumque contondere, diligentius expurgare, alias plerasque filandi licii studiis intentas esse, viris omnia administrantes, eorum labores adaequare, media nocte surgentes, cantu excitare vicinorum aures, & longas dormitationes accusare. Videre haec omnia atque audire pulcherrimum. Tum quotidie insulas atque oppida, quae in Thrasimeni littore sita sunt, tertium circiter vigiliam nautico plausu laetitiaque resonare; tot simul naves mane abeuntes, piscantes interdiu, vesperi redeuntes aspicere; tum lacum omnem va-

Accolarum piscatorum praecipui labores.

variis confertum navigiis, non modo faciem maritimae orae praebere, ſed multa hic maria ſimul oſtentare varietate portuum. Haec in media terra ſi videas, credo, fore, ut & affirmes, me nihil tibi de Thraſimeni deſcriptione eſſe mentitum, & ipſe ſtatim loci amoenitate capiaris. Vale.



IOAN-

IOANNIS ANTONII CAMPANI AD PANDVLFVM BALIONIVM DE INGRATITVDINE FVGIENDA

LIBER PRIMVS.

Saepe me, Pandulfe, hortatus es, ut, quae ipse de ingratitudine sentirem, ea, si quando essem otiosus, paulo diligentius ad te perscriberem. Quod ego neque recusare ausus sum, ne fugiendi laboris gratia morem tibi gerere nolle putares, neque plane promittere, quod factu longe mihi difficillimum cognoscebam, siquidem in desertas me rerum solitudines, & in abditam quandam atque obscuram Philosophiam, traiicere videbaris. Nam si dicendum mihi esset de modestia, de magnitudine animi, de gloria, de dignitate, de omni genere virtutis, atque praestantia, si de constituendis civitatibus, de Diis etiam immortalibus, & scientia rerum futurarum, si de omni denique sublimi atque ardua facultate disserendum: plurimos, me hercule, & locupletissimos auctores habuissem, quorum incedere vestigiis, & pulcherrimum, ut arbitror, & quam facillimum, nobis extitisset. In ingratitudine autem expli-

Excusatio laboris suscepti.

plicanda, quem imitari possim, habeo neminem. Et quod est apud Lucretium: Avia Pieridum peragro loca nullius ante tacta pede. Diu igitur, quid agerem, incertus, mecum ipse mirifice confundebar, qui, si, ut aequum erat, crebris hortationibus tuis obtemperarem, scriberemque aliquid in ea Philosophia, cuius ne limen quidem adhuc atque aditum prospexissem, in impudentiam quandam incidere videbar, & temeritatem non mediocrem. Sin his in rebus fuissem adversatus, quae non minorem mihi gloriam, quam iucunditatem tibi, essent allaturae, tum me omnium appellare potuisses ingratissimum. Sic erat, quocunque me appellerem, non sine magno periculo atque dedecore discedendum. Neque prodesse mihi magnopere videbatur, quod tanquam inter duos mundos habitarem, quales Deos lusit Epicurus. Postremo cum instares vehementius, & id non hortareris solum, sed iam quasi tuo iure postulares, malui temerarium meme, quam ingratum atque difficilem, iudicari. Satius enim arbitratus sum, quoniam ita cogerer, si auctore te impulsoreque delinquerem, fieresque & ipse particeps erroris mei, nec stultum atque audacem appellares, quem tu ad eam rem aggrediendam vel solus impulisses. Spero tamen, hanc novitatem materiae, ut laboris & industriae multum, ita non parum excusationis, mihi praebituram;

&

& ceteris quoque, si quando his de rebus accuratius scribere constituent, multo faciliorem aditum fore ad id ipsum, de quo loquimur, investigandum, non quod mea vestigia secuturos esse censeam, (id enim mihi non persuadeo) sed quoniam facilius agitata & concussa robora, quam immota atque intentata, divelluntur: quanquam non adeo dementes fuerimus, ut, nullius auxilio freti, veniremus ad scribendum. Multa enim accepimus a Sulmonensi nostro, viro cum in omni magnarum rerum scientia, tum maxime in Philosophia doctissimo, quae in haec volumina non sine nostra diligentia contulimus, loquentem eum iustis quidem de causis inducentes, cum quod Philosophus est omnium acerrimus & copiosus, tum ne, quam ab illo accepimus, disciplinam temere nobis assumentes, in id vitii laberemur ipsi, quod fugiendum aliis detestandumque moneremus. Pauca etiam mutuati sumus aliunde, ut neque animus, neque studium nobis, diligentiaque defuerit. Nam quantum ad ingenii vires attinet, id nos aliorum iudicio relinquimus; & naturam accusare, ea mihi summa demum videtur ingratitudo.

Sed antequam de re dicere incipiamus, non videtur illud silentio praetereundum, quod plerique incipientibus nobis exprobrarunt, non decere satis, neque ad spectatum pertinere virum, neglecta virtute, quae rebus omni- **Exordium, a persona**

omnibus eſt anteponenda, exquirendis atque explicandis vitiis ſtudium operamque conſumere, ne edocere poſteros & prave vitam inſtituere videatur. Quod ita fieri putant, ſi in diſputatione adducta vitia memoriae poſteritatique mandentur, eamque ob rem maiores noſtros, humanarum divinarumque rerum ritus, mores, ſtudia, complexos, aut nullam unquam in ſcriptis ſuis, aut perexiguam, mentionem feciſſe vitiorum, omnemque de illis diſputationem abieciſſe; quae vero ad decus vitae huius atque ornamentum, & in primis ad virtutem attinerent, ea ſumma cum diligentia proſecutos egregie ſatis magnificeque tractaſſe, omnemque in ea ſtudia & animi & ingenii magnitudinem contuliſſe; & ſi quando in vitia praeter opinionem incidiſſent, illico revocaſſe pedem, & ſeſe ad virtutis inſtituta convertiſſe. Ceterum naturam ipſam per ſe pronam nullius egere impulſu, ad turpiſſimum quodque facinus inclinatam eſſe ſemper, & ad omnia flagitia declivem. Satius eſſe,praecludere illi viam, neque aditum in eum locum patefacere,ad quem ſponte ſua videtur nullis noſtris adiumentis acceſſura. Quibus autem legentur haec noſtra, eos nihil aliud, quam vitiorum documenta reportaturos, & quo diligentiorem operam navabunt, eo nequiores magisque ingratos evaſuros, ut, qui traiecto flumine piſcantur, madeant, neceſſe eſt,

est, & fluminis unda perfundantur. Nec quenquam fuliginem & sordes alias manibus tractare posse, quam tingantur digiti, atque adeo foedentur, uti saepe non sine magno labore diluantur. Eodem modo neminem vitia esse lecturum, quin vel inficiatur animus, & quadam vitiorum contagione depravetur, vel ad virtutem fiat honestatemque languidior. Sic evenire, ut, a recta semita rationeque vivendi divertentes, ad turpem & ignominiosam vitam adducamur. Id praeterea & aetatis, & otii, quod in vitiorum inquisitione consumimus, multo praestantius ad mores optimos perquirendos, investigandaque rerum honestarum praecepta, accommodari; perquam exiguum vitae spatium esse nobis a Diis immortalibus constitutum, multos etiam primo aetatis cursu deficere solere; nec posse tam exiguum temporis & virtutis & vitiorum studiis impertiri. Nemini tam diu vivendum esse, cui vel ad unam bonarum artium facultatem, nedum ad vitia, satis otii temporisque suppeditet. Esse itaque id ipsum, quod vivimus, non ad cognoscendas illecebras, vitiaque perscrutanda, sed potius ad bene sancteque vivendi studia conferendum. Vitium nullum nobis afferre potest emolumentum, nihil magis dedecori & calamitatibus expositum; virtutem gloria comitatur. Illud igitur fugiendum esse semper, nec operam his rebus impendendam, quae detrimento nobis & ignominiae futu-

futurae ſint. Virtutem omnibus appetendam eſſe, huic dies, huic noctes invigilandas, huic vires omnes & animi & corporis accommodandas. Poſtremo non recte eos facere, qui, neglectis optimarum rerum ſtudiis, vitiorum documenta ſectentur, &, abiecta virtutis contemplatione, cum vitia reliqua, tum maxime ingratitudinem, literis perſequantur. Inſidiari enim generi humano, & ad foedam morum depravationem pellicere, contaminareque videntur. His atque aliis rationibus & ipſi nihil ſcribunt, & ceteros, ne ſcribant, acerrime dehortantur. Equidem niſi mea cum multis cauſa coniuncta eſſet, facile iſtis acquieſcens, non nimis graviter commoverer. Sed cum videam, & hanc calumniam mihi cum multis eſſe communem, & maximam humanis rebus incommoditatem afferre, nullamque eſſe maiorem ignorantiae & ſtultitiae cauſam, perverſam atque inutilem eorum opinionem paucis refellere conſtitui. Videntur enim mihi non mediocri caſtigatione digniſſimi, quibus ita male ſit de vitae rationibus ex ſapientia perſuaſum, ut arbitrentur, quenquam evadere poſſe ſapientem, qui minus fuerit omnium malarum ſceleſtarumque rerum, quam virtutis atque honeſtatis, notitiam conſecutus. Nam (ut Phyſicis placet, quod genus hominum rerum proprietates atque naturam mirifice perſcrutantur) contraria quae ſunt

& intentione ſcribentis deſumtum.

ſunt, ea ita ſe habent, ut alterum a nobis cognoſci non poſſit, niſi utrumque ſimul antea cognoverimus. Quam ob rem nemo de ſuavitate, de luce, de praeſtantia formae, de copia dicendi, de clementia, de omni denique virtute, iudicabit, niſi quid acre, quid obſcurum, deforme, exile, truculentum, vitia cognoſcat omnia. Quis enim honeſtatem amplectetur, niſi qui ſciat fugere turpitudinem? Virtute autem nullus atrocior hoſtis, quam vitium, quae duo convenire inter ſeſe, ac ſimul habitare, nullo modo poſſunt. Virtutem amplecti ſi velimus, vitia fugiamus oportet, ab hisque vehementer abhorreamus. Quae vero ignorantur a nobis, fugi atque evitari, mea quidem ſententia, non poſſunt. Cur infantes ignem non formidant? ſerpentem non timent? non caedes parentum, non incendia patriae, non denique ulla rerum diſcrimina verentur? Cur homines ſaepe veneno conficiuntur? Unam omnium, puto, eſſe rationem, cum videlicet non cognoſcunt. Nunquam, me hercule, in hoſtium inſidias incideremus, ſi eas, quo pacto, quibusque in locis ſervantur, quibusque artibus evitandae ſint, ac fugiendae, quam optime calleremus. Immenſa praeterea natura eſt, in qua ſaepe nos rerum ſimilitudine confuſioneque deludimur, & decepti ſpecie recti, ut ait Flaccus. Quae ſuperba dicenda ſunt & temeraria, ea nos magnifica & fortia geſta nun-

 cupa-

cupamus. Qui timidi sunt atque ignavi, humiles & mansueti iudicantur. Ceterum qui prodigi sunt & profusi, eos beneficos arbitramur, & inprimis liberales; qui adulatores, qui scurrae, qui leves, qui garruli, urbanos, placidos, faciles, eloquentes, appellamus; & temerarium quendam gladiatorem fortem ac strenuum dicemus militem. Sic immanissimum tyrannum ut gloriosissimum Regem observabimus. Habent enim, quae honesta sunt, quandam cum rebus turpibus similitudinem, quam nisi prudenter ipsi cognoverimus, plerumque non magis in virtutem, quam appetimus, quam in vitia, quae fugimus, nullo discrimine prolabemur. Nam & animi magnitudinem superbia, & fortitudinem audacia, imitatur. Prudentiae & liberalitati malitia & effusio finitimae sunt. Rursus patientiam duritia, verecundiam timiditas, vanitas & iactantia gloriam, frugalitatem avaritia, constantiam pertinacia, adulatio amicitiam, religionem superstitio, & lenitatem animi molitia, comitatur. Idem evenit in his, quae sunt. Saepe enim specie bonae habitudinis turgens quidam & inflatus tumor occultatur. Quid in Medicis? quos hoc quidem in loco maxime videmur imitari. Nam ut illi corporis morbos, ita nos animi vitia, pertentamus, non ut his adhaereamus, quibus & animus & corpus in periculum atque discrimen adducantur,

sed

ſed ut depulſis ſicut illi corporis valetudinem, ita nos animi moderationem, aſſequamur. Optimam animi valetudinem virtutem eſſe, quis ambiget? Eam ſi quis labefactaverit, turpique infecerit contagione vitiorum, animus quidem valere & recte ſeſe exercere non poteſt. Medicorum volumina quanquam omnia ad unum finem pertinent bonae valetudinis, morborum tamen indicibus plena ſunt omnia, qui, niſi genera, cauſas, ſignaque morborum, niſi initia, augmenta, gradus, decrementaque, perceperint, & quae ſalutaria atque utilia ſint, quaeve perniciosa & mortifera, quam optime teneant, reſiſtere morbis, valetudinem reſtituere, & reſtitutam tueri & conſervare, non poſſunt. Ceterum qui animadvertendi in hominum capita puniendique habent poteſtatem, his omnia criminum & maleficiorum genera perſpicua ſint, oportet, quid furtum? quid peculatus? quid calumnia, dolus, parricidium? quo tempore? quo in loco? quibus adiumentis? qua confidentia? vitarine potuerit? magnum ſit, an mediocre? ad privatum aliquem, an ad univerſae Reipublicae ſtatum maieſtatemque, pertineat? ſponte quis peccaverit, an invitus, atque fortuito? Sic qui mari terraque mercantes, ſive equos, ſive margaritas, aut pretioſiora quaedam, emere voluerint, niſi rerum emendarum vitia mendasque cognoverint, incommoditatem conſe-

qui ſolent non perexiguam. Quod ſi maiores noſtri vel negligentia quadam, vel vana opinione, adducti, vel (quod magis credendum eſt) quia temporibus ſuis permulta latebant, quae de virtutibus tradenda poſteris exiſtimarent, pauca de vitiis, quod ego fateor, ſcribere voluerint, non iccirco tacendum nobis de illis intelligo. Quid ſi ne de virtute quidem mentionem ullam habuiſſent, nobis quoque ſilentium indiceretur de virtute? Quid ſi illi ignari? quid ſi tardi & negligentes extiterunt? Quanquam eos accuſare ſummum eſt nefas. Nam illi mihi plus quam ingrati videbuntur, ſi, qui non diſciplinam ſolum atque fortunas, ſed vitam ipſam a ſuis maioribus conſecuti, eos tamen incuſare non vereantur, quorum etiam nominibus priſci homines ita parcere conſueverunt, ut, ſi quando in defunctorum mentionem incidiſſent, ſe nequaquam eorum memoriam ſolicitare teſtarentur. At illi omne genus vitiorum acri atque inſigni reprehenſione perſecuti, fugienda ſemper & deteſtanda eſſe monuerunt. Hinc illae crebrae Satyrorum exclamationes, mordaceſque ſententiae. Hinc Philoſophorum omnium praeclara volumina de virtutibus, ſaluberrimaque de fugiendis vitiis monita atque praecepta. Verum quid eſſet, quod fugere deteſtarique monerent, & quo pacto evitare conveniret, minime, niſi fortaſſe in paucis admodum, aperuerunt.

Tranſitio ad tractationem ipſam.

runt. Id nos facere de ingratitudine conamur, ut eam non solum fugiendam esse & propellendam, sed quae sit, & quo etiam pacto fugienda, demonstremus, quantum vel disciplinae suppeditabunt, vel ingenii ratio patietur. Nam cum aetatem hanc nostram temporaque considero, & veterum praeclara atque amplissima volumina, & summam rerum scribendarum diligentiam studiumque, mecum ipse repeto, & illi mihi satis ample scripsisse de virtute, de literis, de gloria, videntur, ut adiumento nostro non egeant, & nostros homines in tantos errores incidisse video, ut, virtutem ipsam amplexuri, finitima plerumque vitia sola rerum ignoratione complectantur. Sunt itaque vitia omnia, ut est in proverbio, atque flagitia, non committenda illa quidem, ceterum nequaquam ignoranda, ut vel, si qua insint nobis a natura, deponere industria atque abiicere valeamus, vel fugere, si occurrant, atque evitare. Quo recte, mea quidem sententia, Socrates, quo nemo unquam vel praecipua integritate vitae, vel omnium magnarum rerum scientia & cognitione, praestantior, Atheniensium adolescentes ante, quam exirent domum, imagines suas speculo contemplari, seque ex omni parte circumspicere, iubebat, ut, sive quid in motu ipso, sive in sermone quotidiano, sive in rebus ceteris, deformitatis appareret, emendare id in dies, & sese componere per-

Vitia sunt neque committenda, neque ignoranda.

Socratis in hanc rem praeceptum.

perdiſcentes, non in eodem, quo prius, errore deformitateque perſiſterent. Ex omnibus enim erroribus is longe maximus habendus eſt, cum ne errare quidem ipſe tibi conſtantiſſime perſuades. Quod evenire cunctis, neceſſe eſt, niſi vitiis omnibus perinde, ac virtute ipſa, quam optime cognitis. Neque iniuria Terentianus ille Parmeno tantopere ſolebat gloriari, quod ignarum atque imperitum adoleſcentem in meretriciam domum induxiſſet, ubi perſpectas turpiſſimarum mulierum illecebras, immunditiam atque illuviem, facile deinde ſperabat evitaturum. Hoc ille ſibi palmarium, hanc poſtremam erudiendi adoleſcentis gloriam, exiſtimabat. Quod etiam Cinicum illum Diogenem atque Ariſtippum dixiſſe conſtat, viros cum in vita & moribus, tum ceteris in rebus, diverſa ſentientes, quorum alter expedire dicebat adoleſcentibus, maximeque ad eorum mores, ſtudiaque conferre, ſi meretricis domum ingrediantur turpitudinis cognoſcendae cauſa, quam ubi perſpexerint, vehementer fugiant, neceſſe eſt, atque abhorreant; alter ut non turpe videbatur ingredi, ita egredi non poſſe turpiſſimum. Lacedemonii quoque, magna exempla vivendi, ceteris, quibus nihil potius fuiſſe memoriae proditum eſt, quam ut liberos adoleſcentesque praecipua morum integritate ſummaque modeſtia educarent, inſtruerent, erudirent, quoties convivia in civi-

Diogenis Cinici & Ariſtippi ſententiae.

Lacedemoniorum exemplum.

civitate celebrassent, temulentos quosdam servos admittere solebant, quos sui liberi, in tanta & oris & mentis conservatione conspicati, & riderent, &, ne ipsi eadem de re ridendi forent, evitarent. Qui autem vitae brevitatem impedimento sibi esse propterea queruntur, quod ad multarum & prope infinitarum rerum notitiam consequendam ne multa quidem secula, nedum anni paucissimi, sufficere videntur, nescio, quantum iure queruntur. Quod etiam permoleste ferens Theophrastus, cornicibus & corvis, quorum natura hebes esset, & in terrestri duntaxat mole pessundata, totaque demersa, diuturnum & prope immensum vivendi spatium datum esse, dicebat, hominibus autem, quibus essent praeclara ingenia, capacia rerum divinarum, perexiguam vivendi metam a natura fuisse praescriptam, ut e multis, maximis, amplissimisque rebus, ad hominis cognitionem atque excellentiam pertinentibus, vix pauca quaedam propter vitae brevitatem assequantur. Quod etiam Zeno querebatur, nullius rei maiorem inopiam mortalibus esse, quam temporis. Hoc Xerxis, qui, cum, facto ex navibus ponte, Hellespontiacum mare traiecisset, tanta militum multitudine, ut, aequatis montibus vallibusque, nec mari, nec terra, caperentur, tantas copias summa cum admiratione circumspiciens, tacitus atque attonito similis, humanae vitae terminos contemplatus, vim lacryma-

Theophrasti,

Zenonis,

Xerxis,

rum fudisset traditur, cum, neminem ex tam incredibili multitudine vel uni seculo superstitem fore, cognoscebat. Adeo brevis est, & circumcisa hominis vita, quantumcunque longissima contingat. Quanquam mihi nec naturam incusare est animo, nec eam magnopere defendere, quam nullis in rebus producendis errasse, nihilque plus minusve, quam satis esset, effecisse, iam pridem ipse mihi pulcherrime persuaserim. Longissimam profecto vitam natura mortalibus tribuit, si non ad supervacuas & vanas actiones, sed potius ad optimarum probatissimarumque rerum studia, conferatur. Ea sunt, vitium virtutemque cognoscere, & quae his finitima sunt, atque annexa, quam diligentissime perscrutari, ut evitemus alterum, ac detestemur, alterum ut recte studioseque colamus, amemus, amplectemur. Nam qui vitam omnem in otio & voluptatibus per luxum atque libidinem & ignaviam consumsere, hi mihi, & si Nestorem illum antiquissimum vivendi spatio superarent, Cadmeos fratres, ut est in fabulis, videntur imitari, qui, qua hora simul omnes nati sunt, eadem simul omnes occiderunt. Studiosi autem, ut nulla sibi temporis iactura exeat, sic nullam eius indigentiam atque inopiam patiuntur. Plus enim habent spatii in vita, quam quod satis sit, ad vivendum, & ad omnium magnarum difficiliumque rerum notitiam consequendam. Possumus itaque non virtuti solum, ut sancti atque hone-

de brevitate vitae sententia refutata.

Excusatio naturae.

honesti, sed vitiis etiam, ut sapientes habeamur, navare operam, studiaque nostra omnia utrisque simul citra omne & virtutis & aetatis detrimentum impertire. Virtutem enim, nisi cognitis vitiis, consequi poterit nemo. Nam & certam esse, oportet, & ab omni vitiorum depravatione seiugatam. Quos autem vitia latuerint, eos nunquam plenam, putabo, virtutis cognitionem habituros. Quas ob res cur isti me tantopere dehortantur, equidem non intelligo. Mihi vero nihil videtur esse praeclarius, nihilque sapiente viro dignius, quam si fraudem, dolum, insidias, & turpissima quaeque, cognoscentes, ad virtutem tamen tuendam atque exornandam, servandamque honestatem, referamus omnia. Sed iam ad instituta transeamus. Cum ad fanum Constantii una cum Nicolao Sulmonensi reficiendi animi gratia me contulissem (soleo enim & audire illum frequenter, & perdiscendae Philosophiae causa vix unquam ab eius latere discedere) & hic me, ut solet, ad dicendum aliquid non hortaretur solum, sed quaedam ipse disputationis quasi fundamenta iacere coepisset, populusque in via frequens nobis, ut solet, occurrisset: nihil, ait, videri sibi mirabilius in tam immensa multitudine mortalium, quam tantam esse omnibus morum, vultus, corporis, dissimilitudinem, ut nunquam duo tresve ex omni sui parte similes fuisse

Instituti ratio occasioque.

memorentur, idque non ſolum in hominibus, qui & ingenio & corpore differrent, ſed in ceteris quoque animalibus, ſolo diſtinctis corpore, videri mirandum. Cauſam omnino ad ſtellas ſideraque referri, quorum motus traiectionesque perpetuae in infima haec & terrena maximam habent immutandi poteſtatem, quae cum tanta ſint celeritate, tantoque impetu & concitatione rapiantur, ut perſiſtere ne momento quidem poſſint, continue alios atque alios concentus efficiunt, qui cauſae ſunt rerum omnium,& ſemina. Hic mihi etſi pulcherrima diſceptatio eſſet exorta, tanti viri diſputatione digniſſima, ceterum quae non ſatis recte mecum ageretur, (maior enim erat, quam quae a me vel defendi, vel oppugnari, vel etiam intelligi, potuiſſet) placuit tamen aliud quiddam afferre, non multum abhorrens ab eo, quod erat inſtitutum. Nam cum fateri me, ſic eſſe, reſpondiſſem, viciſſim & ipſe percontari coepi, quod ille genus hominum teterrimum atque immaniſſimum omnium exiſtimaret; ea in re diu iam a me fuiſſe dubitatum, nec habere ſatis exploratum, quos omnium peſſimos iudicare potuiſſem; quanquam ſaepe mecum in eam incidiſſem opinionem, nullos homines infeſtiores humanitati, & a bene beateque vivendi ſtudio remotiores, quam qui ἀχάριστοι a Graecis, ingrati a noſtris appellantur, eos praecipuos humanitatis

ac

ac vitae hostes, nec ullum esse crimen turpius ingratitudine. Tum ille, haud absurde, inquit, opinaris; multi, ut ego quoque, idem opinantur. Fortasse non iniuria. Est enim scelus quoddam atrocissimum, & quod non honorem solum & dignitatem offendit amicorum, sed ipsam penitus extinguit humanitatem. De his, inquam, si non est aliud, quod putes pervertendum; (neque enim sumus occupati) quid ipse sentias, libenter audirem. Nam qui adhuc ea de re paulo accuratius disputaverit, inveni neminem. Pergratum, inquit, cum ceteris in rebus, ad disciplinam & eruditionem attinentibus, tum maxime in tam opportuna & honesta postulatione, tibi quam accumulatissime satisfacere. Sed tamen non alienum mihi videtur, si Graeculos illos imitemur, omnia in certamen & controversiam adducere solitos, quod ego ad unamquamque rem aperiendam plurimum valere arbitror, nihilque magis ad multarum rerum usum memoriamque conferre. Nihil enim tam obscurum atque abditum, & a communi sensu cognitioneque remotum, quod frequens illa disputandi consuetudo & diligentia non inveniat, aptissimeque demonstret. Fit enim saepe, ut ex crebris disputationibus magnarum rerum non solum sensa captemus aliena, sed ipsi etiam, nova quaedam excogitantes, mirum in modum exacuamur, & ingenium, pulcherrimis

Disputationis finis atque utilitas.

atque

atque altissimis rebus intentum, vehementer excitetur, ut ne dici quidem possit, quantum frequenti & quotidiana disputatione proficere, & in rebus omnibus erudiri, videamur. Quam ob rem idem quoque nobis censeo faciendum, fusa tamen & continua oratione, non crebris interpellationibus abrupta, ne vel tempus in repetendo conteramus, vel seriem perturbemus rerum explicandarum. Proinde, quid tu sentias de ingratitudine, prius explicato, mox ipsi vel ad opinionem tuam, si videbitur, refellendam, vel, si opus erit, ad confirmandam sententiam, accedemus, nullaque in re tibi deerimus. Ego vero, cum, inquam, ita placet, dicam perlibenter, sed ea lege, ne ineptias novi philosophi & deliramenta derideas. Perniciosam hominibus ingratitudinem, & omni malo flagitio comparandam, multis equidem censeo de causis; sed eo perniciosissimam iudicandam, quod, cum duplex liberalitatis genus habeatur, alterum, in conferendis praestandisque beneficiis, in referendis alterum: quorum primum inter homines praeclarum atque excellens, & maxime ad laudem gloriamque accommodatum; alterum vero necessitatem quandam prae se ferens, ut honestum est, & omni laude dignissimum, si praestetur, ita, si contemnatur, turpissimum, & ab humanitate prorsus alienum. Utrumque ingratitudo tollere e vita, penitusque extinguere, videtur.

Ingratitudinis perniciosissima detestandaque facies.

Tollit enim omnem libera-

tur. Quis enim, omni sublata spe praemii, quod ab ingratis expectare non possumus, beneficentiae & liberalitati locum esse putabit? Equidem nihil omnibus divinis atque humanis in rebus fieri posse, arbitror, nisi quaedam facientibus praemia vel accepta prius fuerint, vel saltem exposita, ut accipiantur. Nam qui rebus bellicis, qui studiis literarum, qui legibus, qui omni denique facultati atque operi, student, eam ob rem moveri ad id potissimum, impellique videntur, quod vel utilitatem quandam praemio sibi cessuram arbitrantur, vel, quod multo pulcherrimum, famam atque gloriam. Quae spes si tolleretur, nemo tam esset insanus, qui eiusmodi ceterisque rebus dandam operam, existimaret. Idem puto liberalibus & beneficis evenire, qui, si nullam sperarent remunerationem beneficii, & ne liberalitate quidem ulla uterentur, ut neque agri arantur atque excoluntur, nisi fertiles, neque arbores, nisi uberrimos fructus pariant, foventur, purgantur, inseruntur. Omnem itaque ingrati humanitatem extinguunt, quibus aut nihil conferri potest, quod nobis gloriae fit, emolumentoque futurum, aut, si conferamus quicquam, vana spe ducti, nullaque accepta gratia, in bonos deinde & gratos viros munifici & liberales esse non possumus. Veremur enim, ne, semper in ingratos incidentes, temereque profundentes fortunas nostras, pau-

litatem, quin & humanitatem.

paupertate aliquando, & rerum inopia, conficiamur. Ingrati enim rerum acceptarum omnia sua sola utilitate metiuntur. Magnifica quidem res, & praeclara, conferre beneficium, munificum sese omnibus, liberalemque praestare, inopibus adiumento esse, consulere ignaris, levare afflictos, opem ferre omnibus, omnem denique munificentiam & liberalitatem in omnes exhibere. Ad quod cum natura ipsa cogere nos quadam humanitatis lege videatur; quanto magis cogi eos existimabimus, qui non ipsi primi contulere, sed accepere beneficium? Sed est quoddam genus hominum in postulandis atque accipiendis muneribus procacissimum, quorum in postulando audacia, in accipiendo confidentia, incredibilis ac prope detestabilis, in referenda vero gratia & beneficio rependendo tanta sunt oblivione, tantaque amentia, ut aut dissimulent ac negent, accepisse se, quod est postremae perfidiae, aut, accepta si fateantur, referre tamen gratiam, cum est opus, minime studeant, aut obliti penitus atque immemores efficiantur, aut, quod omnium censeo immanissimum, pro laude, pro gloria, pro vita, pro dignitate, pro bonis omnibus, obtrectationem, ignominiam, calamitatem, perniciem, & omnia mala, referant. Hos omnes ingratos iure optimo nuncupamus; quanquam refert plurimum, quis sit inter eos ingratior, quis ingratissimus

Praecipue hoc agit genus quoddam hominum & in postulando & in accipiendo procacissimum, quorum quatuor potissimum occurrunt species.

mus,iudicandus. Habent enim vitia gradus quosdam magnitudinis, ut remissiora in aliis sint, [illegible] mediocria,& interdum fortasse toleranda, in aliis vero maiora, & ne ferenda quidem,inveniantur; quemadmodum nec virtus ipsa omnibus eadem esse solet,sed in quibusdam hebetior languidiorque, in plerisque vero multo eminentior atque praestantior. Utcunque tamen accipiendam putabimus ingratitudinem, quocunque in gradu collocandam, turpem nimirum, ac foedam, & ab omni humanitatis genere iudicari oportet alienam; quippe cum nomen ipsum absonum per se atque infestum gratiam rebus & iucunditatem omnem eximere videatur, ut nihil relinquat nobis, quod iure censeamus appetendum. Appetuntur sane non quidem, quae ingrata & infesta, sed quae grata sunt atque iucunda. Haec ut consequamur, omnem vim nostram & conatus adhibeamus; illa vero tanquam pestifera & perniciosa horremus, fugimus, detestamur. Verum qui beneficium non negat, quanquam turpissimum, non referre gratiam, minus tamen delinquere putaverim,minusque,quam ceteros, in culpa esse, qui cum debere sese fateatur, neque liberalitatem inficiatur alienam, neque immemorem penitus se ostendit acceptorum, videaturque vel aliquid rependere, cum, munificentiam non occultans, gloriam affert eis, qui benefecerint. Qua pel-

Prima, eaque magis,ac reliquae,excusanda, est eorum, qui quidem neque beneficium se accepisse negant, neque tamen gratiam referunt.

pellecti liberales, aut satis sibi fore praemii gloriam existimabunt, au[illegible] adhuc remunerationis aliquam ret[illegible]s, non omnino a beneficentia & liberalitate desistent. Quem iccirco tolerandum aliquando dicebamus, si non voluntas deesset gratiae referendae, sed vel angustia rei familiaris impediretur, vel metu aliquo difficultateque perterritus, differendam in tempus statuat remunerationem, melioremque & reddendi & cumulandi beneficii occasionem expectandam. Qualem Darium erga Silophonem Samium, ferunt, extitisse, qui, cum privatus, neque regiam adhuc nactus dignitatem, quadam ab illo veste donaretur, expectandam ratus occasionem, nihil sibi principio retribuit; ceterum, ubi primum regnum adeptus, & urbem & insulam, Silophonti parere iussam, eius usui arbitrioque subiecit. Quam ob rem, non oblitum fuisse Darium, credendum est, sed meliorem reddendae cumulandaeque gratiae occasionem expectasse. Quod ea de causa qui fecerint, non modo non culpandos puto, verum magnopere, mea quidem sententia, commendandos. Sin illis ac temporis opportunitas, & fortuna suppeditaverint, quo pacto excusari possint, equidem non intelligo. Nam & plerumque non expetenda solum, sed quaerenda etiam est occasio reddendi beneficii. Solet enim animus cuiusque cum in rebus ceteris, tum maxime in libe-

Exemplo Darii illustratur.

A quibus differunt, quibus neque occasio, neque facultas, sed voluntas saltem beneficii remunerandi suppetit.

liberalitate spectari, qui si non nisi ad honestum, bonum, aequumque declinans, nulla impulsus malevolentia, nihil temere, nihil flagitiose, nihilque denique avare, agere conetur, etiamsi mala rerum eventa sequantur, neque ingratus erit, neque temerarius iudicandus; ut, qui sociis obsessis navim frumentariam miserit, eaque prius, quam in portum se recipiat, ab hostibus intercipiatur, non iccirco eum vel socii ingratum, vel liberalem hostes, appellabunt, quanquam sunt utilitatem ab eo consecuti non mediocrem. Non enim, quid agamus, semper inspiciendum est; sed quo simus animo, cum agimus. Quod etiam in fabulis iocati sumus, corvum, lupos per ardua montium iuga comitatum, partem sibi praedae fieri postulasse, qui eos secutus nullo tempore destituisset, sociusque fuisset; repulsus deinde a lupis, tanquam non eos, sed praedam cibumque, secutum, neque minus luporum, si occiderentur, quam ceterorum animalium, exta fuisse voraturum. Omne namque beneficium maleficiumve ideo appellandum, quod, a bono malove animo profectum, non ipsum eventum rerum prae se ferre, sed voluntatem atque animum respicere atque intueri, videatur. Quam ob rem quibus non voluntas retribuendi officii, sed facultas atque occasio, defuerit, ab omni, ut arbitror, ingratitudinis crimine absolventur. Idem de his quoque

ut & ii, qui non, quam debent, sed quam possunt, remunerationem offerunt.

censeo dicendum, qui, cum ingens aliquod acceperint beneficium, non plenam atque uberem gratiam, sed tamen aliquam, retulere; siquidem non obliti penitus, aut ingrati, iudicandi sunt, quorum animus quantocius magno beneficio devictus, si non illud, qua debet, saltem qua potest, remuneratione prosequatur. Nam neque acceptum munus & benefaciendi virtus occultatur, & rerum inopia atque egestas faciet excusatum, neque omnem ab animo liberalitatem radicitus evellit, spe aliqua compensationis remanente, cum manifeste appareat, metas illi retribuendi non voluntate constitutas, sed impositas ab inopia. Videtur enim fore, cum fortunatius res sese habebunt, gratiam eum multo pleniorem esse relaturum. Ceterum, qui negant accepisse, quorum undique permagna est copia, tanta sunt feritate atque perfidia, ut maiore quasi esse non possint. Quid enim potest esse perfidius, quam eius inficiari beneficium, cuius ope atque auxilio fretus, vel periculo subtractus, & saluti restitutus sit, vel in aliqua dignitate constitutus, vitam sit consecutus meliorem? Reminiscor equidem, frequenter me, in eos viros incidisse, qui ornati a me & cum pecunia, tum rebus aliis, sustentati, susceptique hospitio, & in maximis difficillimisque negotiis adiuti, usque adeo confidentes atque ingratos sese praestiterunt, ut cognitionem mei & familiaritatem

Secundam, eamque prima longe deteriorem, ingratitudinis speciem constituunt, qui aperte negant, se unquam beneficium accepisse;

tatem diſſimulare non ſint veriti, atque ita mecum egerint, ut ſi nusquam neque cognitum, neque viſum, aut auditum, unquam habuiſſent, nefandos profecto homines, & liberalitatem delentes omnem. Quis enim conferendum in quempiam beneficium, aut ulla unquam utendum liberalitate, iudicabit, ſi, de quibus optime ſe meritum, & quavis gratia dignum, putet, ab iis negligi ſe contemnique, cognoſcat; & a quibus ſummam caritatem, amorem, decus, expectabat, his contemtui ſeſe videat eſſe, atque ludibrio, & odio etiam non mediocri? Ingrati hominis poena nulla maior atque atrocior eſſe poteſt, & quam ipſe vehementius fugere conetur, quam eos ipſos intueri, quibus ſe ſentiat obligatum, officioque devinctum. Quorum eo maxime potentiam horrere fugereque videtur, cum non delectatur aliena in ſe caritate & benevolentia, ſed exuritur aſſidua recordatione beneficii, ex quo, qui gratus eſt, maximam ſolet capere voluptatem. Nam & ſi ingratum ſua protervitas abſolvat, conſcientia tamen, ſeveriſſima aequi atque iniqui iudicatrix, arcana rerum confeſſione damnat & torquet. Habet praeterea conſcientia mirificos accuſatores defenſoresque ruborem, trepidationem, conſtantiam, fiduciam, quorum primis mala, poſtremis bona reteguntur. Qui vero levatus abs te, atque adiutus, aliquando tui notitiam diſſimulabit, ſi forte obvium te

illi obtuleris, erubeat, necesse est, cogente conscientia. Quid tunc illum censeas cogitare? quibus te petere execrationibus? quo usque vitam illi tuam videri molestissimam? Quorum enim veremur conspectum, potentiam formidamus, eos odio persequamur acerbissimo, & extinctos cupiamus, oportet, ne obvios se nobis interdum offerentibus subpudere erubescereque cogamur. Equidem aequiore animo tolerandos esse, ducerem, si satis haberent, negare beneficium, neque ita nos tacita malevolentia atque odio insectarentur. Est enim turpe satis, atque absurdum, non reddere, quod acceperis. Cui si addideris malevolentiam, nihil potest turpius atque immanius excogitari. Quid efferacius cane? quid totius humanitatis magis expers inveniatur? cui si semel noti esse coeperimus, perpetuo nos memoria tenebit, nunquam oblatrabit, mordebit nunquam, etiam si fuerit irritatus, & quocunque profecturos longo itineris spatio comitabitur, nunquam a nostro tergo lateque discedens, & quoties vel solo nutu evocabimus, cauda, capite, auriculis, & ipsis demum oculis, incredibili laetitia blandietur. Ingratus autem, omni cane perfidior, ne illud quidem veretur dissimulare, quod constat, sitque omnibus manifestissimum, dico notitiam & familiaritatem, quae non nisi diuturno tempore & multorum testimonio comparantur. Quod animal leone truculen-

Praecipue si praeterea benefactoribus suis adhuc male velint.

lentius? Sed eum nos ad beneficium flecti saepissime videmus. Etenim nulla tam immanis, tam indomita & immansueta, fera, quam sui educatoris adventu non summopere gaudere, gestire, atque arridere, videamus. Ex omni genere animalium solus ingratus benefacientis vultum nequit intueri. Quem veste, quem pecuniis, quem victu, iuveris, quem susceperis hospitio, quem denique capitis interdum periculo liberaveris, cui summum praestiteris honorem, ad dignitatemque sustuleris, is te aut perinde ac nusquam cognitum dissimulabit, aut si id, cum manifestum sit plurimis, inficiari non possit, nihil se tibi debere, contendet. Tum vel nullum dicet accepisse beneficium, vel multo plura & maiora praestitisse, quam acceperit. Quid igitur ingrato, vel dissimulante foedius, vel negante perfidius, vel utroque detestabilius, inveniatur? Quanquam non me fugit, interesse plurimum, quinam maiorem inferant nobis iniuriam, hi, qui, ornati a nobis, notitiam tamen nostri, beneficiique memoriam, dissimulant, an qui, aliquid in se collatum, aperte inficiantur? Utrique enim ad unum ingratitudinis finem, diverso tamen itinere, contendunt. Nam quibus audacia inest dissimulandi, eos tum demum ituros inficias, existimo, si quando velimus praestitas commoditates, collataque in eos beneficia, in memoriam revocare. Tunc enim non igno-

rasse solum, sed ne vidisse quidem, Deos atque homines testabuntur, aut, si id facere non possunt, mendacem te, ac vanum, appellantes, mille conviciis insectabuntur, & iurgiis. Quocirca, qui dissimulat, eo minus delinquere videtur, cum hic paulo tectius, ille vero multo apertius, inficiatur. Dissimulantem nequitia, negantem etiam & perfidia, condemnat. Tamen ingratus alter, quia negat, alter vero, cum negare paratus, si repetatur. Aliud genus ingratorum ad eos attinet, quibus cum magna sint collata munera, non modo gratiam referre non cogitant, sed ipsius, quod turpissimum est, obliti beneficii, ea ipsa, quae acceperunt, penitus memoria delevere. Rem, me hercule, ut primo aspectu tolerabilem, neque nimis magnae deformitatis apparentem, ita, si paulo propius accedas, diligentiusque perspicias, nescio, an omnium perfidissimam, ac prope nefandissimam, iudicandam. Nec vero dubito, plerosque mortalium, cum maxime ceteris in rebus, tum in hoc, multa inter se, diversaque sentire, & suum cuique esse iudicium, atque sententiam. Nam sunt, quibus humanum & ne turpe quidem, hoc videri soleat, cum invitis plerumque nobis ea excidant, quae, si perpetuo memoria teneremus, summa nos afficerent voluptate, maximumque interdum afferre ornamentum, ut qui literas, qui leges, qui artes reliquas, qui denique res mille

Tertia, eaque pene nefandissima, ingratitudinis species est eorum, qui beneficia, quae acceperunt, penitus memoria deleverunt.

Neque enim est, quod non nulli volunt, lapsus memoriae.

le

le, didicerint, quarum omnium memoria diuturna in nobis esse non potest, nisi quam rarissime paucissimisque contingat, ut rerum omnium, quae didicerint in vita, ex omni parte recordentur. Quae praeterea aetas magis ad discendum idonea, & ad memoriam magis accommodata, quam tenera illa puerorum, qui tamen vix minimam partem eorum, quae in aetate didicerint, perpetuo tenere potuerunt, instante semper atque admonente praeceptore? Multa praeterea sunt, quae vim illam memorandi soleant impedire, amplissimae dignitates, calamitates, aegritudines, quarum vi atque impulsu non modo, quae accepimus ab aliis, sed nos ipsos, interdum obliviscimur. Obruitur enim sensus atque memoria multitudine gravissimarum rerum, quas in vita evenire, necesse est, & ipsius fortunae mutatione & varietate confunditur; ut neque aures nostras soni capere magnitudinem, neque oculi solis possint splendorem intueri, sic fieri, ut, quoscunque ex infimo loco ad summum rerum fastigium & dignitatem fortuna sustulerit, pristinae conditionis & amicitiae immemores efficiantur, cum permagni motus animorum, memoriam totam occupantes, minima quaeque depellunt, quemadmodum ardentes faces atque incendia magno fulgore solis obfuscantur depelluntur que ab angulis & intuitu oculorum. Saepe etiam solet evenire, ut membra quaedam nimio dolore adeo

Neque impeditur ob novas vel dignitates, vel calamitates, vel id genus alia.

tabescant & corrumpantur, ut nec sentire, nec movere se, queant; eodem modo deficere memoriam multitudine & varietate maximarum rerum, non culpam voluntatis, sed naturae opus esse, contendunt, quippe cum humanum sit, & nobis a natura datum, quam iure nos quidem accusare non possumus. Conatur enim nihil mutilum facere, nihil gignere diminutum, sed perfectissima quaeque producere. Rursus periculorum & calamitatum tanta interdum est acerbitas, tantus metus atque dolor, ut non modo immemores beneficiorum, sed exanimes, non nunquam fieri videantur. Multos memorare solent, vel orbatos filiis, vel exutos dignitatibus, vel aliis fortunae casibus lacessitos, non oblitos solum praeteritarum rerum, sed insanos factos aliquando, & summo demum dolore angustiaque confectos; ut Aiacem illum Thelamonium, quem ita insanum propter iram scribit Sophocles, ut, greges armentaque Archivorum ferro invadens, ipsos se Archivos putaret interfecisse; ut Hecubam canina latrantem rabie; ut Hieroclem, Parthorum regem, qui, Pacoro filio Aventidio cum omni exercitu trucidato, in furorem conversus, fertur, non cibum sumere potuisse, non amicos alloqui, non vocem emittere; ut Periandrum, qui, unus inter Graeciae sapientes habitus, filium a Corcyreis interfectum, atque multum dolens, impatientissimo moerore confe-

Quod tamen tantum abest, ut exemplis probari posse videatur,

fectus est; sic Menippum Cinicum, qui, pecunia sibi per insidias erepta, laqueo se suspendens, vitam ex ingenti dolore finivit; sic alios multos. Neque censent, memoriam beneficiorum in tam acerbissimo dolore locum habere potuisse, in quo salutis ac vitae memoriam abiecerunt omnem. Quosdam etiam ex nimia laetitia vita defunctos, ut Dionysium, tyrannum, accepto victoriae nuntio; ut Sophoclem, ut Chilonem, quorum alter, victor in tragoediae contentione declaratus, subito ex ingenti laetitia moritur, alter, filium in Olympia coronatum amplexus, extinguitur, qui honos maximus apud Graecos habebatur. Multos tantus interdum invasit morbus, ut extemplo sensus memoriam & rerum omnium cognitionem amiserint, phreneticos, vel lethargos; sic Strabonem quendam, qui, cum saxo in caput concussus esset, rerum omnium, quas ante noverat, dicitur statim factus oblitus. Quam ob rem non videri tantopere culpandos, qui memoriam abiecerunt beneficiorum, quod plerumque a natura ipsa casuque contingit. Contra vero mihi nulla tam ingens, tamque insignis, ingratitudo videri solet, & quae tam nullam admittat excusationem. Nam ut a pueris initium capiamus, perdiscunt illi quidem multa, sed ea diu memoria non tenent; tamen non ita statim dediscunt, ut ne semel quidem recitare possint omnia memoriter, quae, animo frequenter agitata, saepe-

ut potius contrarium probetur.

quae ad verbum repetita, raro e memoria delabuntur. Qui igitur accepit beneficium, si cito referat, si frequenter in animo versabit, saepeque de illo referendo cogitabit, nunquam efficietur oblitus. Quod si multa nobis excidunt, quae, memoria retenta, maximo nobis essent ornamento, quod ego non inficior, nec hoc quidem memoriae magis videtur, & naturae, quam negligentiae nostrae, tribuendum. Cur legum, cur artium obliviscimur reliquarum, nisi quia non frequenter exercemus, non mente, non animo & cogitatione versamus? Hinc praeclarum illud a Pythagora praeceptum, exercendam esse memoriam; hinc Diogenis saluberrima sententia, nihil in omni vita sine exercitatione fieri posse; ob eam homines cum in Mechanicis, tum in ceteris artibus, permiram celeritatem assecutos; hinc etiam & Periandri Corinthii praeclare dictum, exercitationem omnia valere. Cantores vero & cytharoedi tantam habent initio difficultatem addiscendi, ut ne vocem quidem exprimere, aut digitos movere, posse videantur; mox vero, summa voluptate allecti, aut repetentes, quae didicerunt, aut concentus omnes & vocum intervalla crebra cogitatione complectentes, id demum frequenti usu & exercitatione consequuntur, ut, clausis, si velint, oculis, & vocem flectant varietate incredibili, & chordas omnes mira digitorum celebritate percurrant. Ingratus vero, quia nullam capit voluptatem refe-

Contingit enim istud magis negligentia, quam memoriae culpa.

referendi, ideo nunquam de reddendo beneficio cogitavit, nisi fortasse, cum accepit. Quae res non ad homines pertinet; sed bestiis ea insita natura, ut, quamdiu cibus ore versetur, sola praesentium delectatione teneantur. Sic etiam, quae audita semel fuerint, memoriaque comprehensa, excidant necesse est, & elabantur, nisi custodita sint, & animo frequenter repetita, nunquam intermissa. At mutatio fortunae animum ad maiora convertit. Fateor equidem hoc, in illis duntaxat, qui, minimis rebus assueti, quae magna sunt, sine mentis atque animi detrimento capere non possunt. Hi sunt, quorum nimiam felicitatem graviter, ut omnia solet, Aristoteles, ab amicis non censet esse cupiendam. Putat enim, eos nequaquam in amicitia mansuros, ubi fuerint nimium locupletati, discessurosque ab officio, tanquam secundam fortunam capere sine amicorum oblivione non possint. Sed ego, idem omnibus evenire, non arbitror. Fortuna vero, quanquam in rebus aliis plurimum valet, nullam tamen habet in animo potestatem. Qui Reges, qui Principes, qui Imperatores, efficiuntur, optime illi quidem meminisse poterunt, privatos sese aliquando, & in infimo rerum statu constitutos, adiutosque beneficio privatorum hominum, quod in Dario supra demonstravimus. Immensum nobis Dii immortales vim ingenii & memoriae tribuerunt. Multa invenio man-

Sed mutatio fortunae non nisi male sanos aut mente captos adeo turbat, ut pristini sui status penitus obliviscantur, aut beneficiorum olim acceptorum immemores reddantur.

Magna enim ingenii memoriaeque vis est.

mandata literis a nostris maioribus, magna quosdam, & prope divina, fuisse memoria; ut Gneam illum Platonicum, qui postridie, quam venisset Romam, omnium Patriciorum, & equestris ordinis civium, nomina cum summa omnium admiratione dicebat, eosque omnes suo nomine compellabat. Cyrrhus vero & Themistocles, L. Scipio, aliique permulti, idem in suis militibus faciebant. Mythridates quoque tanta memoria fuisse perhibetur, ut duabus & viginti nationibus, moribus, institutis, lingua, differentibus, quibus imperabat, ipse nullo cum interprete loqueretur. Quid dicam de Septio Metrodoro, qui, multorum simul loquentium verba sensaque excipiens, in maximam omnes admirationem adducebat? Plurimos equidem, memorare possem, cum superioribus seculis, tum etiam aetate nostra, quam plurimum memoria valuisse.

Sensus quidem in hominibus differunt; animus vero immensus est, atque plane divinus.

Nec est eadem vis videndi atque auditus, aliorumque sensuum in nobis. Quippe privi illi atque hebetes magnitudine rerum deficiunt & confunduntur. Animus vero immensus est atque divinus, qui, quo plura capit, maioraque amplectitur, eo magis perfici atque illustrari consuevit. Quo fit, ut, cum defixius quicquam intuemur, hebetentur oculi, & caligine quadam mirum in modum afficiantur, soni magnitudine aures obtundantur; studio vero & assidua contemplatione magnarum rerum non modo non obrui-

obruitur animus, & vis ipsa contemplandi, sed ingenti quadam & prope incredibili luce intelligentiaque completur, illuminaturque continuo usu cogitandi. Nemo potest, mea quidem sententia, tam satis doctus esse, tam satis eruditus, tam maximarum altissimarumque rerum memoria refertissimus, qui non colligere sese, & multo plura capere, censeatur. Neque, si qua volet alia, propterea non perdiscet, cum mens multis rebus sit occupata; neque, si perdiscat, rerum obliviscetur ceterarum. Qui vero magnis calamitatibus & fortunae casibus lacessiti sint, & in maximis angustiis ac necessitatibus constituti, quanquam incommoditates plurimas & detrimenta patiuntur, non tamen ita cetera omnia dediscere putaverim, ut nulla in eis remaneat memoria praeteritarum rerum, & pristinae felicitatis immemores efficiantur. Nam etsi miseris & calamitosis maximum adiiciat doloris incrementum prioris fortunae recordatio, fiuntque ob hoc miseriores, cum, felicioribus & tranquillioribus rebus assueti, quae paulo molestiora fuerint, non parum aegre patiuntur, eamque ob rem multo magis afflictantur: repetunt tamen honores, opes, dignitates, amicitias, & multorum in se collata beneficia recordantur; tum, praesentium incommodorum calamitatem acerbitate compensantes, felicissima quaeque meminerunt, & quod more suo sapienter, ut Poëta: Nimium

Neque obstant calamitates, angustiae, necessitates, aliique fortunae casus.

Quod exemplis superius iam allatis illustratur.

um meminisse, necesse est. Quod si Aiacem, factum primum furiosum, propter iram atque dolorem mox sese interfecisse, & Sophocles, & alii plurimi, tradiderunt, nescio equidem, quem furiosum, si mori fortiter maluit, quam vivere ignominiose. Idem multi fecisse memorantur. Nam quod de gregibus atque armentis Poëtae confinxere, his non magnam admodum fidem putamus adhibendam, nisi fortasse, Palladem eius rei causam afferentes, id Deorum immortalium potestati tribuamus. Orestem quoque furiae caede parentis invaserunt. Sed nec Pyladem ullis affecit iniuriis, nec eius in Thracia oblitus est, cum mori se mallè diceret, quam mactari Pyladem pateretur. Sic insana facta Hecuba, & propter maximam crudelissimamque fortunae acerbitatem in furorem rabiemque conversa. Verum non illa in Helenum, non in Cassandram, sed in Polynestorem, saeviendum cognovit, quod magis praeclarum facinus agere vel optime sana potuisset, quam violatam fidem hospitii, per iuratos Deos & necatum filium ulcisci. Quod si Sophocles, si Periander, si Menippus, Chilo, aliique permulti, vel gaudium nimium capere, vel doloris acerbitatem superare, non potuerunt; quid aliud causae fuisse putem, nisi insitam & pertinacem in animo memoriam, vel boni, quo nimis gaudebant, vel mali, quo nimis angebantur? Qui si neque victoriae & utilitatis, neque

neque calamitatis atque incommodi, meminissent, profecto neque a gaudio nimio fuissent, neque ab intolerabili dolore, superati; sed, cum iis cogitationibus haerentes avelli non poterant, nimiam memoriam mortis causam habuere. Quam ob rem non video, cur deficere memoriam, & oblivisci homines, etiam maximis & periculosissimis calamitatibus, arbitrari debeamus, afferreque exempla, ad eam rem nihil prorsus attinentia. Optima rerum omnium excogitandarum magistra necessitas est. Nihil enim magis solet ingenium atque memoriam nostram excitare. Nunquam, me hercule, magis sapere solemus, magisque rerum omnium recordari, quam cum mille fortunae casibus expositi, tanquam navis ventis atque fluctibus, exagitamur. Quod vero de moribus dicebatur, quam rarissime solet evenire, ut ita penitus exanimati, sepultis sensibus, efficiamur, ut nec recolamus quidem praeterita, nec praesentia, si qua sunt, satis recte sentiamus; aut si accidat fortassis aliquando, non igitur videntur excusandi, qui tam diu ingrati perseverare potuerunt, ut etiam morbum expectarint, ad ingratitudinem perpetuo confirmandam. Erat enim occupandum tempus, ut anteferret gratiam, quam referendi tolleretur occasio. Quam ob rem qui oblitus fuerit beneficii, eum magis delinquere, putaverim, quam quo iure possit excusari, cum sit turpis-

Potius necessitas ingenium atque memoriam excitare putanda est.

Neque de moribus idem est arbitrari.

pissimum genus ingratitudinis, & quantum ad humanitatem & perfidiam attinet, ceteris omnibus, quae diximus, anteponendum. Qui non referunt, qui negant, qui dissimulant, ingrati quidem omnes iudicandi sunt, ceterum nequaquam cum hoc genere comparandi; quippe cum nemo prohibeat, quando emendare sese, & quam gratissimos praestare, possint. Enim vero mores, & quam facillime, & quam saepissime, commutantur. Quod cum ceteri permulti, tum maxime Palemon Atheniensis ostendit, qui ex ignavo & temulento adolescente in sapientissimum & gravissimum Philosophum evasit, sola Xenocratis oratione persuasus. Saepe enim colligunt homines sese, &, nullo impellente, sua ipsi delicta detestantur. Nemo tam ferus & agrestis, tamque ab omni humanitate destitutus, qui, si modo peccare se intelligat, non aliquando sibi ipsi displiceat, & ad sanctiores mores melioraque studia permutetur. Qui vero se errare non sentiat, is & vitam suam probat, & in ea summa vi atque studio perseverat. Quam ob rem, oblitus qui fuerit beneficii, gratus fieri nullo modo potest. Nunquam etenim reviviscet, quod semel est extinctum, ut membrum aliquod, a corpore decisum, cuius nullae remansere reliquiae, in corpus amplius coire nullo, ut arbitror, valebit artificio. Nec ulla est tam pestilens & immanis aegritudo, quam medici vel curare pe-

penitus nequeant, vel ſaltem leviorem facere non poſſint. Solis his, qui ſunt extincti, nullum afferre, nullumque idoneum medicamentum excogitare, valuerunt. Quid enim ab his putabimus eſſe ſperandum, in quos non conferri quidem videtur beneficium, ſed extingui? Equidem ſic mihi perſuadeo, nullam certiorem, nullamque ſtultitiam inſigniorem, quam res fortunasque noſtras ita temere collocare, ut nobis, cum opus ſit, praeſidio eſſe non poſſint. Sed illum ego longe cenſeo ſtultiſſimum, qui non largiendo quidem, ſed diſſipando potius, ita collocat opes ſuas atque profundit, ut ſtatim videantur eſſe periturae, nullamque neque loci, neque temporis, recordationem habiturae. Sed iam ad genus aliud tranſeamus, quod eam ob rem poſtremo loco conſtituimus, cum non ſolum cetera ingratorum genera, ſed omne ſcelus atque flagitium, atrocitate ſua videtur anteire. Hi ſunt, qui pro honore dedecus, pro laude ignominiam, pro ſalute, pro vita, periculum, diſcrimen & perniciem referre conſueverunt; quorum ut atrocitas inſignis, ita copia quam maxima. Quid hoc ſcelere immanius? quid truculentius excogitari poteſt? Si qui gratiam non retulere, vehementer abhorremus; ſi qui negaverunt, qui obliti ſunt, odimus, deteſtamur, execramur. Quo vultu? quo animo? quibus oculis intuebimur? qua malevolentia eos

Quartam denique ingratorum ſpeciem, eamque longe immaniſſimam atrociſſimamque, conſtituunt ii, qui pro honore dedecus, pro laude ignominiam, pro ſalute, pro vita, periculum, diſcrimen & perniciem referunt.

perſequi debeamus, qui, adiuti cum a nobis, maximisque ornati dignitatibus, & in ſumma rerum fortuna atque amplitudine conſtituti, oppugnare tamen nos & pedibus conculcare non vereantur? Quos domi, quos tectis, hoſpitioque ſuſcepimus, quos domeſtico praeſidio ſuſtentamus, ii nos domo, patria, propellere, rebus omnibus exſpoliare, & in exilium extrudere, nituntur. Quorum ſumus tutati dignitatem, honorem auximus, amplificavimus gloriam, & quorum laudes in coelum usque tollere conati ſumus, ii ſummum nobis dedecus inferre, famam noſtram depopulare & afficere turpiſſima cogitant ignominia. Et quos ab inimicis atque hoſtibus non ſine magno noſtro discrimine defendimus, magnoque interdum vitae periculo ſubtraximus, hi nefanda in nos tela & ſceleratas manus intulere. Quos in portum reſtituimus, ab his in maximas tempeſtates diſcriminaque iactamur. Multis vitam ipſam conſervavimus, qui, corpus atque animam eripere conantes, mille inſidias & mortem nobis atrociſſimam machinantur. Quid hoc ſcelere poteſt nedum dici, ſed excogitari, deteſtabilius? quid foedius? quid denique inveniri truculentius? & ab ea, quae eſt inter homines, caritate magis alienum, magisque liberalitati contrarium? Quis non ab omni officio beneficentiaque deſiſtat, ſi, quibus hominibus benefecerit, hi ſibi omni vi atque ſtudio nocere

Tollit enim humanitatem & liberalitatem.

cere insidiarique conentur? An ideo sementem electissimam seminavimus, vites propagavimus, ut, perniciosas cicutas metentes, non musta, sed aconita & pestilentissima venena biberemus? Et quod per saxa scripsit Themistocles (nam ille quoque ad ingratos tunc forte loquebatur.) An ideo moenia vestra, domosque, condidimus, ut essent, qui nostra delerent? Quod tantum facinus agitari possit? quod tam immane flagitium excogitari, quod non huius truculentissimi sceleris atrocitate superetur? Contulimus enim beneficium, ut potentiores essent ad tuendos sese, non ad contumeliam nobis inferendam. Dedimus gladium, quo se, fortunasque suas, &, si opus esset, nos etiam, nostraque defenderent, non ut in eos impetum facerent, a quibus vitae praesidium accepissent. At poenitebat homines sceleratissimos gratiam, ut par erat, minime referre, nisi vim ultro atque iniuriam nobis intulissent. Alexandrum Macedonem huius detestandi & nefarii sceleris magnitudinem ostendisse, multi memoriae prodiderunt, qui, cum Clitum, nutricis suae fratrem, magnum inprimis & praeclarum virum, interfecisset, quod, Philippi patris gesta in convivio magnifice, ut decebat, extollens, Alexandri gloriae atque laudibus detrahere visus esset, non modo mortuum Clitum, mitigato furore, deploravit, sed se ipsum interficere eodem telo constituit. Quod

Id quod Alexandri maxime Macedonis exemplo illustratur.

cum milites, detenta manu, facere prohiberent, miserabili planctu Regiam totam, ululatuque complebat. Nec indecorum tantae maiestatis fastigio putavit, faciem crebris unguibus laniare, & circumstantes obtestari milites, ne se tanto dedecore superstitem esse paterentur; finerent eum mori, qui omnium ingratissimus conservatori suo, & de se optime merito, vitam per summum facinus ademisset, quippe qui se apud Granicum amnem, nudo capite dimicantem, suo clypeo texisset, & Rosacis manum, capiti eius imminentem, amputasset. Postremo cum ferro vitam, prohibentibus suis, finire non valeret, inedia extingui properabat. Triduum namque sine omni cibo atque inclusum iacuisse, moriendi gratia, tradiderunt. Intelligebat enim, nihil a se committi potuisse crudelius, quam pro auxilio atque salute calamitatem & interitum reddidisse, nec ulla alia re tantam ingratitudinem, quam sola morte, diluendam. Ingratitudo, quantum ego sentio, cuivis homini turpis habenda est; Regi vero atque Principi longe turpissima. Quid enim magnificum illis & praeclarum esse potest, si sint ingrati, qui liberalitatem in primis & munificentiam praestare, & gratiam quandam prae se ferre, ipsa imperii maiestate compellantur? Turpius enim illis est, in beneficio, gratia & liberalitate, quam in praelio superari; quorum in alteris animi nequi-

Dedecet potissimum ingratitudo Reges atque Principes.

nequitia deprehenditur, fortuna in altero potest accusari. Philippus quoque, Alexandri pater, etsi amicitias sola, ut ferunt, utilitate coluisset, ab ea tamen, de qua loquimur, ingratitudine vehementer abhorrebat, re profecto omni magno scelere atrociore. Hic cum militem in castris haberet, fortem quidem virum, & bellis gerendis plurimum exercitatum, & cui Rex propter singularem & animi & corporis fortitudinem magna praemia contulisset: forte evenit, militem turbido mari navigantem, maximis procellis & tempestatibus agitatum, fracta demum navi, in agrum quendam fuisse deiectum, ibique ab eo, cuius fuisset ager, exanimatum, ac prope mortuum inventum, quanta maxima fieri potuit diligentia & humanitate, curatum, & domo, igni, vestibus, cibisque, ad revocandam animam conferentibus, humanissime fotum. Quid plura bonus vir? Cum militem triginta circiter diebus apud se detinuisset, abeuntem veste pecuniaque donavit. Qui ubi ad Philippum Regem se contulisset, orare coepit, ut iacturam eius & calamitatem miseraretur, quem maris fluctus & tempestates, omnibus rebus exspoliatum, ad postremam inopiam redegissent, postulat, dari sibi praedium, in quo a bono viro susceptus evasisset. Hic cum despoliari se per summam & inauditam ingratitudinem aegre pateretur ab eo, quem summa caritate, praesidio, vitaeque custo-

Quod exemplo Philippi Macedonis declaratur.

 dia

dia, texiſſet, rem omnem, ut ſeſe haberet, Regi patefecit, orat, ne, ſua ſibi beneficia & humanitatem nocuiſſe, patiatur, ſimulque, ne militi, tantum facinus aggreſſo, diuturniorem concedat impunitatem; Sordidiſſimum fore tanti Regis ſpectaculum, ſi, tam ingratos & nefarios viros aliquam apud ſe auctoritatem habere, ſuſtineret. Extemplo Philippus, reſtituto, ut par erat, praedio, militem, ad ſe vocari iuſſum, non exauctoravit ſolum, ſed, igni admoto, literis frontem inſigniri iuſſit, ut ludibrio foret omnibus, & animum ingratiſſimum, & nullius amplius dignum beneficiis, indicarent. Nam ut ego pro Philippo loquar, quantum tibi beneficium praeſtare poſſim? quam tantam afferre commoditatem, ut ſperem, gratum erga me animum habiturum? Poſſum tibi centuriam, poſſum cohortem, poſſum etiam phalangem, & denique totum exercitum, committere, poſſum & regni quoque dare maieſtatem. Magna haec quidem & praeclara munera, ſed quae, ſi cum vita conferantur, perexigua ſunt, & nullius emolumenti iudicanda, & tanquam vana atque inutilia contemnenda. Si pro vita, quam accepiſti, detrimentum referre non puduit, quam, obſecro, mihi habebis gratiam pro cohorte? Tum cavendum mihi cenſeo, ſi quicquam tibi donem. Quoties enim de meis in te meritis cogitabis, toties erit mihi a tam peſſima & ſordidiſſima gra-

tia

tia metuendum. Nam quo plura maioraque in te beneficia conferantur, eo maius mihi periculum impendere, pluresque ſtrui ſuſpicabor inſidias. Cui opes, cui fortunas omnes, cui ſalutem, vitamque debebas, eum tu fortunis omnibus exſpoliare conabaris. Quo in loco vitam tibi, ſpiritumque reſtituit, eum tu locum eripere ſtuduiſti. Non poſſum tantam immanitatem exequi verbis. Maius enim eſt ſcelus, quam quod ſatis dicendo poſſit explicari. Enim vero ceteros, qui a nobis paulo ante dicebantur, alios alia cauſa facit ingratos. Hic non refert, vel cum avarus eſt, & inopiam egeſtatemque veretur, ſi reddiderit, vel quia opus nobis gratia eſſe non putat. Negabit ille beneficium, cum permoleſtum ſibi videtur, ſi, ſe nobis devinctum atque obligatum eſſe, fateatur, notitiamque noſtri diſſimulabit, vel ob eam ipſam cauſam, quam diximus, vel quia videtur referre non fortaſſe propter inopiam, quam fateri vel pauperrimo cuique ſolet eſſe duriſſimum. Neque enim adeo ſapientes nati ſumus, neque adeo bonis & ſubductis rationibus inſtituti, quin in frequentiſſimos errores incidamus. Negat enim quispiam beneficium, cum ſatius duxit, ita facere, quam fatentem reprehendere. Nam non poſſum non fateri, male exiſtimaſſe. Sed ſuo tamen errore defendetur. Nam qui per ſolam peccat ignorationem, is, etſi non peni-

Conferuntur inter ſe quatuor ſuperius propoſita ingratorum genera.

tus videtur excusari, minus tamen delinquere, quam ceteri, iudicabitur. Alius oblitus est beneficii, quod, inficiari non possum, esse, quam turpissimum. Sed sua illum negligentia atque ignavia tuebuntur. Qui vero huic nefario generi est affinis, hoc vel maxime non potest excusari, cum neque paupertate & inopia, neque pudore aliquo, neque errore atque negligentia, sed sola perfidia, nequitiaque, peccavit, qua non ad ingratitudinem duntaxat, verum ad teterrima quaeque impelli flagitia potuisset. Nam quos, bonum aliquod accipientes, malum referre non pudet, eos nulla fide, nulla modestia, nullis legibus, nullis institutis, nulla denique iustitia & pietate, contineri, sed ad turpissima quaeque praecipites ituros, existimo. Quid enim, ut inquit Poëta vester, hosti faciat, qui sic excludit amantes? Si eos, qui maxima sibi, amplissimaque beneficia contulerunt, offendere minime vereatur: quid illis faciet, qui magnum aliquod detrimentum intulerunt? Si eos iniuria lacessat, cum quibus arctissima videbatur familiaritate devinctus: quo dedecore, qua contumelia, qua iniuria, quo impetu, in peregrinos ignotosque feretur? Nulla enim arctior amicitia inter homines esse potest, nulla maior familiaritas, nulla denique necessitudo coniunctior, quam quae mutuis studiis, alternaque beneficiorum largitione, continetur, quam, qui ingratus est,

est, evertat, necesse est, & caritatem omnem auferat, & beneficium. Quapropter nihil mihi atrocius videri solet, & humano generi detrimentosius ingratitudine. Cuius omnia genera foeda mihi quidem detestandaque videntur; sed hoc postremum omnium constat esse foedissimum, alienissimumque ab humanitate, quae tota in mutua benevolentia & caritate versatur. Neque iniuria quidem, qui ingratitudinem definire voluerunt, urentem ventum & caritatis fontem exsiccantem esse, dixerunt. Nulla enim capitalior pestis in amicitia conservanda, nullum maius in omni vita & humanitate discrimen. Nam si sanctissimum amicitiae & necessitudinis vinculum vel a caritate, quae nobis a natura est insita, vel a beneficiorum collatione proficiscitur: quid est, quod ab ingratis non sit penitus desperandum, qui & caritatem nullam habent, & beneficia nec conferunt quidem, nec, quod turpius est, referunt, si conferantur? Sed ego Deos satis demirari nequeo, qui, cum beneficii quidem ipsi sint, & in homines mirifice liberales, & precibus, aere muneribusque flectantur, iustitiam maxime coli iubeant & pietatem, hoc tamen nefandissimum genus hominum per summam impunitatem vivere, & suis etiam donis ali, maxima rerum affluentia patiantur. Quos quidem tollendos e vita omnes censeo, & tanquam ex agro lolium decerpendos, a


Quae inter tamen postremo loco nominatum eminet, tanquam turpissimum atrocissimumque.


quibus, ut supra memoravimus, liberalitas omnis extinguitur, beneficentia tollitur, caritas & benevolentia summovetur; quibus rebus a vita sublatis, ne vita quidem ipsa satis recta ratione constabit. Ego vero, si quid unquam fuerit mihi negotii cum ingratis, erit autem, ut opinor, frequenter, tantum praestabo vel fidei, vel beneficii, quantum satis honeste denegare non potero. Idem ceteris censeo faciendum, qui, si magnifici haberi velint, si largi, benefici, liberales, id saltem cavere studeant, eamque teneant largiendi viam, ne sua sibi beneficia, aut nunquam in omni vita prosint, aut in detrimentum calamitatemque redundent acerbissimam. Quod ita praestare quam facillime poterunt, si ab ingratis tanquam a vento flammaque cavebunt. Haec habui, quae dicerem de ingratitudine. Dixi equidem pleraque confidentius, ut tu quoque, si qua sentias (sentis enim longe plurima) in medium, si placeret, afferres.

Conclusio continet seriam hortationem ab ingratis sibi cavendi, eosque quam maxime fugiendi.

IOAN-

IOANNIS ANTONII CAMPANI AD PANDVL-





quibus, ut ſupra memoravimus, liberalitas omnis extinguitur, beneficentia tollitur, caritas & benevolentia ſummovetur; quibus rebus a vita ſublatis, ne vita quidem ipſa



Paliacate

Tuſou
Madras ou Fort St George
Thomé ou Meliapour

7 Pagodes
lrastpatan

ane

DE CORO

IOANNIS ANTONII CAMPANI AD PANDVLFVM BALIONIVM DE INGRATITVDINE FVGIENDA

LIBER SECVNDVS.

Praefatio continet, praeter ingratitudinis mentionem maxime odiosam,

Non temere contendisti a me, Pandulfe humanissime, manifestari tibi, quantum habeat vel mali ingratitudo, si admittatur, vel, si fugiatur, boni. Utilem profecto rem, & quantavis investigatione dignissimam. Nullam enim censeo capitaliorem humanitatis ac vitae pestem, & quae magis fugienda sit omnibus, magisque toto animo, totaque mente detestanda, quam ingratitudo. Quid, obsecro, videri potest cum ab omni genere mortalium, maxime ab iis, qui sive domi, sive militiae, praeesse volunt, alienius? Quid vel ad regendam civitatem, & animos hominum conciliandos, incommodius, vel ad militum benevolentiam comparandam & exercitum in fide continendum, inutilius? Quibus in rebus magnam ipse laudem, ingentemque tibi gloriam, peperisti, ut sive belli gerendi disciplina, sive regendae atque administrandae Reipublicae studiis, nemo tibi anteponendus esse videatur. Etenim ea in civitate natus, educatus, & liberalibus artibus

bus institutus es, qua, ut neque fortissimorum sapientissimorumque hominum nulla copiosior, neque gerendis bellis, militaribusque studiis & disciplinis instructior, sic nulla statu ipso per superiora tempora turbulentior, memorari potest, & quae tantis civilium cladium fluctibus, tantisque domesticarum seditionum tempestatibus, fuerit agitata. Quanquam commune hoc in tota & Umbria & Hetruria malum, quod etiam & Picentes invasit, ut ne vici quidem intestinis vacare discordiis videantur. Perusia vero, postquam ab Achaeis est condita, etsi imperium suum longe lateque distendit, eiusmodi semper factionibus fuisse traditur, ubi maiores tui primum Civitatis locum per multa iam secula tenuerunt, summo consensu omnium optimatium, nisi quando eos alterius factionis viri partim ferro necavissent, partim profugos atque extortes patriis laribus abegissent. Nam & illi, plebem secuti, aliquando pulsis, ut est dictum, ac trucidatis optimatibus, supremum sibi locum in Civitate vindicarunt, quoad ipsi quoque rursus vi atque armis a tuis inde maioribus pellerentur. Hic tu incredibili moderatione animi, summaque domesticarum & civilium rerum sapientia, maximaque animi gratitudine in omnes, qui te, tuamque dignitatem atque amplitudinem, conservassent, tantum tibi amorem omnium, tantam caritatem, studium, benevolentiam,

cam totius Balioniorum Gentis,

tiam, comparasti, ut maiores tuos hac in re non aequasse solum videaris, sed eos ipsos longe omnium sententia superasse. Qua in re Nellum Balionium, parentem tuum, patrem habusti, optimum & sanctissimum virum, & ceteris omnibus aequitate, iustitia, mansuetudine, & praecipua vitae integritate, praestantem, & ab hac ipsa, de qua loquimur, ingratitudine, supra quam dici potest, abhorrentem, qui, cum per aetatem a strepitu populari publicisque negotiis ad quietem sese, & animi tranquillitatem, revocaverit, omnia in te deposuit & domestica & publica gubernacula. Quid dicam in re militari? qui cum pene puer ad sororis tuae virum, fortissimum & praestantissimum hominem, militandi gratia te contulisses, nihil egisti, quo te non tuis dignum maioribus demonstrares, & spectacula de te praeberes longe pulcherrima, ut tantum tibi nominis ac gloriae in hac nostra citeriore Gallia comparaveris, tantumque tuis omnibus adieceris ornamentum, quantum ipse, etsi sentio animo, verbis tamen explicare non possum; ubi te in periculis & calamitatibus constantissimum, pugnacissimum in bello, in otio iucundissimum, & in omni tempore, omnibusque in locis, quam gratissimum, praebuisti, ut omnes fortitudinem admirarentur, virtutem laudarent, & diligentiam, & te singulari studio & benevolentia complecterentur, nomenque tu-

quam Nelli, Pandulfi Patris,

& ipsius tandem Pandulfi, magnitudinem atque celebritatem;

um non milites solum, verum Gallia universa loqueretur. Postremo cum nullis periculis succumbere, nullis terreri adversitatibus, non hostibus cedere, non pugnam obtrectare, sed pro gloria & animi magnitudine discrimina subire quam plurima, lacessere hostes, manus conserere, & in confertissimas semper turmas impetum facere, consuesses, non laudis opinionem solum, sed praestantissimae virtutis tuae insignia reportasti, quibus gloriari solebat vehementer Sertorius, vir omnium, quos prisca secula tulerunt, in re militari praeclarissimus. Eadem Philippus, Antiochus, Annibal, aliique permulti, nescio, an tam manifesta gloria reportarunt. Quippe inter mille sequentia tela, multis aliis & illatis & acceptis vulneribus, altero captus oculo, non prius a pugna destitisti, quam hostes tuos omnes, tui unius virtute impetuque perterritos, terga dare, atque in fugam sese vertere, coëgisses. Detractent, qui velint, & laudibus tuis invideant: nullum profecto verius testimonium virtutis, gloriaeque tuae, nullum apertius indicium fortitudinis, nullum gloriosius insigne rerum a te summa cum laude atque omnium admiratione gestarum. Quas ob res ab Imperatore, in Italiam adventante, ultro militaribus insignibus atque ornamentis donatus es, ut ornantur hodie, qui magni & in primis clari habentur viri, quae nos aliis in locis omnia for-

fortasse dicemus uberrime. Nostri enim officii esse putamus, pro maximis amplissimisque beneficiis, a te collatis, non ista solum, quae egeris, sed etiam, quae acturus sis, literis memoriae mandare. Sed iam ad instituta redeamus.

denique vero etiam officium scribentis.

Ubi finem dicendi feci, subridens ille, credo propter ea, quae nuperrime ad meam retrudendam ac labefactandam sententiam excogitaverat, sedeamus, inquit, ne semper agamus Peripateticos, qui Stoicorum etiam provinciam ingressuri sumus. Quemadmodum enim corporis quies & respiratio quam maxime prodest, sic ingenium etiam solet mirifice, & ad inveniendum, & ad discernendum, excitare. Ubi consessum est, equidem non possum, inquit, me continere, quin, ut Chremes ille, caput tibi hodie demulceam, qui, cum heri pridieve ad haec varia & difficillima Philosophiae studia te contuleris, tantum videris in ea facultate profecisse, quantum, qui ad eam consequendam non parum aetatis atque otii consumserunt. Valde itaque tibi congratulor, & ingenium non probo solum, sed, aetatis habita ratione, vehementer admiror. Quod etsi opus esse non arbitror, officii tamen mei est, ut ad haec honestissima, quae coepisti, Philosophiae studia te exhorter, & currenti, quod dici solet, equo stimulos admoveam. His, velim, animum tuum, his ingenii vires intendas, manibus pedibusque in-

Sequitur responsio Nicolai Sulmonensis ad ea, quae Libro I. dicta sunt.

Laus Philosophiae.

um non milites solum, verum Gallia universa loqueretur. Postremo cum nullis periculis succumbere, nullis terreri adversitatibus, non hostibus cedere, non pugnam obtrectare, sed pro gloria & animi magnitudine discrimina subire quam plurima, lacessere hostes, manus conserere, & in confertissimas semper turmas impetum facere, consuesses, non laudis opinionem solum, sed praestantissimae virtutis tuae insignia reportasti, quibus gloriari solebat vehementer Sertorius, vir omnium, quos prisca secula tulerunt, in re militari praeclarissimus. Eadem Philippus, Antiochus, Annibal, aliique permulti, nescio, an tam manifesta gloria reportarunt: Quippe inter mille sequentia tela, multis aliis & illatis & acceptis vulneribus, altero captus oculo, non prius a pugna destitisti, quam hostes tuos omnes, tui unius virtute impetuque perterritos, terga dare, atque in fugam sese vertere, coëgisses. Detractent, qui velint, & laudibus tuis invideant: nullum profecto verius testimonium virtutis, gloriaeque tuae, nullum apertius indicium fortitudinis, nullum gloriosius insigne rerum a te summa cum laude atque omnium admiratione gestarum. Quas ob res ab Imperatore, in Italiam adventante, ultro militaribus insignibus atque ornamentis donatus es, ut ornantur hodie, qui magni & in primis clari habentur viri, quae nos aliis in locis omnia for-

fortasse dicemus uberrime. Nostri enim officii esse putamus, pro maximis amplissimisque beneficiis, a te collatis, non ista solum, quae egeris, sed etiam, quae acturus sis, literis memoriae mandare. Sed iam ad instituta redeamus.

denique vero etiam officium scribentis.

Ubi finem dicendi feci, subridens ille, credo propter ea, quae nuperrime ad meam retrudendam ac labefactandam sententiam excogitaverat, sedeamus, inquit, ne semper agamus Peripateticos, qui Stoicorum etiam provinciam ingressuri sumus. Quemadmodum enim corporis quies & respiratio quam maxime prodest, sic ingenium etiam solet mirifice, & ad inveniendum, & ad discernendum, excitare. Ubi consessum est, equidem non possum, inquit, me continere, quin, ut Chremes ille, caput tibi hodie demulceam, qui, cum heri pridieve ad haec varia & difficillima Philosophiae studia te contuleris, tantum videris in ea facultate profecisse, quantum, qui ad eam consequendam non parum aetatis atque otii consumserunt. Valde itaque tibi congratulor, & ingenium non probo solum, sed, aetatis habita ratione, vehementer admiror. Quod etsi opus esse non arbitror, officii tamen mei est, ut ad haec honestissima, quae coepisti, Philosophiae studia te exhorter, & currenti, quod dici solet, equo stimulos admoveam. His, velim, animum tuum, his ingenii vires intendas, manibus pedibusque in-

Sequitur responsio Nicolai Sulmonensis ad ea, quae Libro I. dicta sunt.

Laus Philosophiae.

incumbendum eſt his ſtudiis, quibus non ſolum negotia noſtra, ſed otia ipſa, & omnis noſtra aetas exornatur. Philoſophiae, inquam, noctes diesque invigilandum. Ceterae enim artes admonent hominem multarum rerum; Philoſophia ſola, & facit, & inſtituit, & ad omnem fortunae ictum ita parat, ut tegat, atque ita tegit, ut vincat & rideat. Sic enim ſpero, te, ſi perſeveres conſtanter, ornamento nobis futurum non mediocri, qualem ipſo etiam te initio praeſtitiſti. Cumque multa in eam ſententiam adieciſſet, ut me benevolentia potius, quam animi iudicio, laudaret: quae paulo ante de ingratitudine dixiſſem, ſic omnia miro quodam ordine atque memoria complexus eſt, ut dicta mea non ſolum repeteret memoriter, ſed exornaret cuncta, &, ubi opus eſſet, ſuis novis acutiſſimisque rationibus confirmaret. Quam ob rem placebam ipſe mihi non mediocriter, ut qui, magnum aliquid atque praeclarum dixiſſe me, putarem, quod tanti fuiſſet Philoſophi iudicio comprobatum, neque oppugnaturum amplius, cum tantopere me laudaſſet, exiſtimabam. Tandem plurima, inquit, a te dicta praeclare, & aeque, ne a novitio quidem Philoſopho dicta cenſeantur. Sed ego, nec omnia tibi concedenda, puto, nec rurſus neganda omnia, ne, vel, ſi cuncta concederentur, ab his ſtudiis, tanquam ſatis eruditus, evolares, vel, ſi refellerentur omnia, deſperatio-

ratione quadam & rerum difficultate perterritus, e medio currendi ſpatio revocatus, a ſtudio philoſophandi deſiſteres. Quam ob rem dicemus pauca quidem, ſed huic disputationi non incommoda fortaſſe, & a ſtudiis inſtitutisque tuis nequaquam aliena, cum, ut veram huius diſputationis metam inveniamus, neque oberremus longius, tum ut tui etiam acumen ingenii paulo diligentius pertentemus, quod tum demum acutum atque acre iudicamus, ſi, quae a te & contra te tela coniicientur, ita & intorqueas fortiter, & conſtanter excipias, ut, repulſo hoſte, locum, quem tibi cepiſti, tuearis. Rerum tu omnium, quae vivendi praevertunt rationem, atrociſſimam perniciosiſſimamque ingratitudinem iudicabas. Cauſas autem, dicebas, eſſe permultas, ſed eam potiſſimum iudicandam, quod liberalitatem & munificentiam exſtinguere omnem, & e medio tollere, videntur. De liberalitate mox: nunc ingratitudinem ipſam paulo preſſius ac propius intueamur. Hanc tu appellas rerum omnium perniciosiſſimam. Mihi ne mala quidem videtur, ſaepe etiam utilis, plerumque neceſſaria. Placet ante, quam feramur longius, diſputationis noſtrae iacere fundamentum, ut unum in locum congerere materiam totam, & aedificare, valeamus, nec operam tempusque perdamus oberrando. Placet, inquam, ex diviſione tua ingratitudinis definitionem aucupari,

Digreſſio ad ulteriorem ipſius ingratitudinis conſiderationem.

Quae vere nunquam mala, ſaepe utilis, plerumque neceſſaria, videatur.

quod & commode, vt arbitror, fieri potest; & Physici plerumque idem facere consueverunt. Omnem tu ingratitudinem quatuor in genera consumebas. Primum eorum, qui, cum faterentur, accepisse beneficium, gratiam tamen referre negligerent. Alterum ad eos attinebat, qui vel paulo tectius dissimularent, vel aperte negarent, accepisse. Eos, qui omnium obliti essent, genus tertium considerabat. Postremum eos maxime continebat, qui pro commodis incommoda, & pro gloria ignominiam, pro auxilio, pro salute, calamitatem, perniciem, reddidissent. Ex his facile definitionem colligemus. Omnia namque illo tendere videntur, ut sit ingratitudo, quoties accepti beneficii gratia vel omnino nulla, vel certe non satis digna, referatur. Hoc tu perniciosum & funestum arbitraris; ego vero, ut saepe non malum, ita plerumque bonum, & aliquando necessarium esse, contendam. Id nos manifestissimis, ut arbitror, rationibus aperiemus. Quod enim mali rationem non habeat, id quo pacto tandem appellabis malum? Qui navim gubernare, declinare scopulos, auram, ventos, regionesque cognoscere, maris tempestatem praevidere, stellarum ac siderum intervalla, motumque notare, & cetera, quibus sit opus ad navigandum, ignorabit, hunc tu nautam censeas esse dicendum? Stulta, me Hercule, ista censura. Rursus qui mentem habet & ra-

Cuius suppeditatur, tam divisio,

[illegible] quam definitio.

Malum quid ingratitudinem non videri partim probatur,

rationem, brutum nec esse quidem, nec dici iure, potest. Malum vero id appellamus, a quo omnia abhorrent, fugiunt, detestantur; ut bonum id solum dicimus, quod omnia cupiunt, expetunt, amplectuntur, quemadmodum noster Aristoteles. Quaecunque enim appetuntur a nobis, & quaedam quaeruntur delectatione animi, ea mala dicenda esse, non puto; ut nec bona, quae fugimus atque horremus, appellantur. Ingratitudinem vero cum non omnes execrent, paucissimique devitent, quo pacto malam esse censeamus? Plurimos adeo ingratos finxit ipsa natura non homines solum, quorum paucissimos inveniri gratos, tuus clamat Cicero, sed feras etiam, ut nullis obsequiis flecti ad humanitatem & mansuetudinem, nullis leniri aut tangi beneficiis, nulla denique conciliari liberalitate, videantur. De hominibus quidem ipse videris, qui ad res gestas hominum, civitatum, nationum, inquirendas non parum temporis atque otii consumsisti. Sed ego quoque nonnullos, memini, audivisse, magnos in primis & praeclaros viros, multas etiam civitates perlibenter hanc sibi saepe ingratitudinem arripuisse, quam, si, qualem tu, funestam fuissent & perniciosam opinati, summo studio, summaque diligentia devitassent. Quos igitur in tanta nos turba primos aggrediemur? Romanosne, an Carthaginenses? Athenienses, an Thebanos? Omnes enim, late po-

partim illustratur, exemplis hominum,

potiti rerum, sanctos atque optime de Republica meritos cives habuerunt. Ex his plerosque, aut exilio ignominiose, aut morte crudeliter, sustulerunt. Quae res si mala visa esset & perniciosa: nunquam in eam universi adduci sententiam potuissent, ut, aut superiori Africano Romani exilium, aut posteriori mortem, intulissent. Quid dicam M. Furium Camillum, sanctissimum virum illum quidem, & ceteris omnibus pietate, fortitudine, gloriaque, praestantem, sed ex ea tamen civitate, quam ante, quam exul fieret, pulcherrimis ipse victoriis exornavit, in exilio ab hostibus atque incendio liberavit, & post exilium, ne desereretur, effecit? Quid Lentulum? Quid Nasicam? aliosque permultos, magnos sane viros, & reipublicae utilissimos, insigni tamen ingratitudine agitatos omnes; Annibalem, Carthaginenses pepulerunt, conservatorem & propugnatorem suum: Amilcarem Alexandri consilia suis civibus patefacientem, interfecerunt. Athenienses ea civitate Theseum pepulerunt, quam ipse fecerat civitatem, & qui, Regis filius, Athenas, aut condidit, aut constituit, in Schiro privatus extinguitur. Aristidem, & re, & cognomento, iustum, cum victoriam omnium pulcherrimam apud Maratonem Atheniensibus peperisset, in exilium ire coëgerunt. Quid vestrum illum Aeschinem, qui, exilium suum commune sibi cum Aristide, gloriatur? Quid dicam

dicam Demetrium, cuius tot pulcherrimas imagines cum in foro collocassent, paulo post illum necare nequeuntes, trecentum septuaginta sex eius statuas confregerunt? Quid in Socratem? Quid in Alcibiadem? Quid, si ceteros praetereamus, in Themistoclem, aliosque pene innumerabiles? quorum praeclara domi militiaeque facinora plurimum Reipublicae, cum pacis, tum belli, tempore contulerunt. Quid rursus Thebani? Nonne Cadmum, iam senem, his moenibus, his tectis, his domibus deiecerunt, quas ipse condiderat? virum literarum, ac metallorum, & lapicidarum, inventione clarissimum. Sed praetereamus sane Respublicas, quae, nisi non malam ingratitudinem existimassent, non tanto consensu omnes fuissent ingratae. Qualem censes fuisse Alexandrum? Nonne magnum & re & nomine virum, &, ut taceantur alia, quinquennio Aristotelicis disciplinis institutum? Quem, obsecro, ex tot suis ducibus non, aut interemit, aut interimere cogitavit? Non Calisthenem necavit, vehementer sibi Aristotele commendatum? Calisthenes Alexandrum, cuius res gestas scripserat, exornavit; Alexander Calisthenem interfecit. Hunc ille, aut fecit, aut conatus est facere, immortalem; hic illum morte affecit crudelissima. At Cassandri quasi ex eadem officina crudelitas insignior habita est, ingratitudo non minor. Hic Alexandrum,

apud quem, aut primum, aut certe non postremum, consilii, fidei, dignitatis, locum obtinebat, veneno confecit; duos deinde filios, Rosanemque vxorem, & Olympiadem matrem, ferro necavit? Quid Romulus? Quo pacto fratrem habuit, cuius ope fretus, pastorum saepe manus evaserat, urbemque una fundaverat. Quid Tullum? Quid Tarquinium? Pleni sunt auctores istarum rerum. Repete Pompeium; repete C. Caesarem, oratorem, & tuum etiam, si ita vis, repete Ciceronem. Caesi sunt omnes ab ingratis, an non? Quid Octavium, qui postea Augustus est dictus? Nonne Caesaris, a quo adoptatus fuerat, & haeres institutus, filium, ex Cleopatra susceptum, interemit? neque aetati, neque nomini, affinitatique, pepercit? Non melior Iugurtha in Micipsam, a quo cum esset adoptatus, & in regni partem admissus, non solum duos filios exspoliavit regno, sed eos ambos dolo fraudeque necavit. Sed quid exemplis opus est? praesertim apud te, qui refertus es historia rerum antiquarum. Sed, quaeso, repetas paulisper vitam & aetatem tuam, & manum pectori, quod dici solet, paululum deducas. Quoties in vita fuisti, non dicam ingratissimus, sed tamen non semper cuiusque exactissimus beneficii compensator? Necesse est enim, ut plerumque simus ingrati omnes, sive inopia rei familiaris ad referendam gratiam minime suppeditantis; sive occupatione rerum aliarum;

sive

ſive quia non egeat is, cui gratiam ipſi debeamus; ſive cum hamum in eſca latere vereamur; ſive quia tyranni metuimus odium, ſi eius inimico, noſtro tamen amico, referamus; ſive cauſis mille. Quod ſi omnes igitur, qui ſunt ingrati, malos cenſeri oporteat, vide, ne bonum inveniamus neminem. Sunt etiam, quos adeo ingratos non caſus aliquis fecerit, ſed finxerit ipſa natura, ut univerſae penitus humanitati bellum indixiſſe, maximisque decertaſſe odiis, videantur; ut Cinicus ille Diogenes, qui bonis, malisve infenſus, notos perinde, atque ignotos, contumelia perſequebatur. Heraclitus quoque & Democritus ita rebelles ceteris mortalibus, ut, quoties, ſive peregrinum & ignotum aliquem, ſive civem & familiarem, aſpexiſſent, lacrymae alteri excuterentur, alter in riſum erumperet. Quid Bellerophontes? Nonne congreſſus hominum fugiebat odio incredibili? Quid Timon ille Athenienſis? Amabat Alcibiadem, quem everſurum funditus patriam cognoſcebat; ceteris aſper & intractabilis erat. Orationem etiam unicam habuit in omni vita, ſuis moribus vel maxime conſentaneam, qua viros Athenienſes, ut ſua ſeſe ficu ſuſpenderent, hortatus eſt. Itaque fuit ingratus Timon, & civibus, & patriae, neſcio, an ratione; ſed certe natura ingratus. Vides igitur, non omnes fugere ingratitudinem, ſed multos eam ſua quidem ſponte

complexos. O quae tibi volumina conficerem, si tempestatem hanc nostram, & ingratos, non quidem quos audivimus ab aliis, sed quos vidimus ipsi, recensere vellem; non modo hic dies ad dicendum non satis esset, sed etiam te obtunderem audiendo. Sed demus hanc veniam aetati nostrae, tanquam non solum praecepta vivendi non teneat, sed etiam vitae spatio maioribus nostris par esse vix possit. In feris autem maxime naturae vis apparet, quas ideo volunt sic appellatas, cum toto corpore, solaque natura impellente, ferantur. Earum plurimae, quanquam multa saepeque conferimus, nec sentiunt quidem, quae conferuntur, nec ullo largitionis genere leniuntur. Nam milvus agrestis semper nulla nostra tangitur beneficentia. Mures item & hirundines, cedo, quas unquam vidisti mansuetas? Versantur tamen nobiscum semper, & nostris etiam in porticibus, in domibus, in cubiculis etiam nostris, educantur; sed tamen ad illam domesticam vernaculamqe mansuetudinem flecti nullo modo possunt. Quid vestros illos ericinios, ad hominum ac ferarum perniciem velocissimos, qui ne parvuli quidem excepti mansuescunt? Sed & vipera exemplum est ingratitudinis singulare, quae, & congredientis maris collum praecidit, & a suis ipsa catulis nondum natis interimitur. Sed sint sane frivola, quae diximus, & huic rei, cuius est fu-

ferarum,

futura disputatio, non satis accommodata. Quid dicemus Cocticen, memini aliud nomen, an excidit? Cuculum dicunt. Certe sane hanc unam, non negabis, ita fuisse natura institutam, atque ab ipso initio nascendi comparatam, ut plane ostenderet, ingratitudinem non dandam vitio, sed ipsi potius esse naturae tribuendam. Avis est haud sane multum rapax, sed nec a papacium quidem natura abhorrens multum, quae alitibus infensa ceteris, ubi ova peperit, quoniam suo in nido tuta satis fore non putat, supponit alieno, eius maxime, quam sibi cum colore, tum magnitudine, videt esse simillimam; &, ne parum convenire numerus videatur, quot subiicit sua; totidem sorbet aliena. Fovet itaque infelix avis, nihil suspicans mali. At pulli, quam primum eruperunt, victu dispares, alteri humiles, parvoque contenti sunt, alteri, naturam secuti, rapiunt omnia, & iam grandiusculi, pingues, laetique, altricem summa delectatione ad se nutriendos alliciunt. Tum sibi curruca placet, & tales, tantosque peperisse, gloriatur. Hos alit, suos negligit. Sed ubi unguibus ac rostro valuerunt, primum cibum per vim eripere, mox ipsos laniare adoriuntur, spectante matre, sibique gaudente. At vero, posteaquam pennae ad volandum satis crevere, avem ipsam aggressi, unguibus rostroque dilaniant; quam ubi totam sunt penitus depasti, tum demum, quasi avium,

 red-

immo ipsius naturae,

reddita gratia, nido discedunt. Quid agis igitur? An negas, hoc esse naturale? & non hominum solum opinioni insitum, sed ipsis etiam tributum feris? Quod indicium dari nobis manifestius potuisset, homines instinctu quodam naturae atque impulsu non fieri, sed nasci potius, ingratos? Quod si fatebimur, & illud fateamur; necesse est, quod inficiari iure non possumus, non malam esse ingratitudinem, cum nec mali rationem habeat, sed in re potius & natura reponatur. Natura vero, si cum Aristotele sentias, nihil mali parit, sed bona omnia producit & gignit. Sed cum eo ventum, ut in naturae mentionem incideremus, & ingratitudinem ab illa proficiscentem ostenderemus, non videtur, fore alienum a re nostra, si tanta in re (est enim quaesitu dignissima) paulo diutius immoremur. Satis, ut arbitror, quae ad animalia pertinebant, prosecuti sumus. Idem in aliis quibusdam faciemus breviter & luculenter, ut plane intelligas, opinionem tuam, licet veri similem, non tamen totaliter veram, & constantibus esse rationibus confirmatam. Stabiliri enim prius oportebat mali rationem non quidem opinione vulgari, sed iudicio & sententia philosophantium. Quo solide iacto fundamento, multo firmius atque altius aedificare potuisses. Nunc vereor, ne tua aedificia, nondum confecto opere, collabantur. Sed redeamus iam, unde deflexímus.

Ter-

Terram beneficam esse, maximeque in homines liberalem, non Poëtae solum, quibus non semper assentior, sed Philosophi etiam optimi & sapientissimi, tradiderunt. Et est, me Hercule, benefica, & in qua naturae vis late dominatur. Tota enim ex ipsius nutu & dispositione dependet. Hanc nos terram appellamus, quod incessui pateat, & pedibus assidue teratur, adeo ipso etiam nomine sua in nos beneficia negare, ut iure non debemus, ita etiam recte non possumus. Sic illi semitas, calles, actus, itinera, in eadem eundi, calcandique significationem indidimus. Tellurem autem propterea nuncupamus, quod ex ea fructus omnes, alimentaque tollantur, sinusque terrae omnipotentis alumni. Haec quoniam agros, arva, praedia, stagnis, fontibus fluviis, irrigat atque humectat, humus appellatur. Haec Ops, haec Bona dicitur a nobis, quod & opem ferat omnibus, & bonarum rerum copiam perquam abunde suppeditet. Quid oracula Deorum? Nonne parentem nostram? nonne magnam parentem ostenderunt? quoniam gignit omnes, genitos educat, educatos vero rebus omnibus sustentat & fovet, recipitque in sese morientes omnes, &, ne a feris lanientur, occultat. Audio, & Fatuam a quibusdam appellari, quod infantes non antea vagitum emittant, quam, ut est hominum fatuitas, Fatuam attigerunt. Multa sunt illi nomina, ut quae in Poëtarum

& terrae, alias perquam beneficae,

rum officina cudantur; sed ea nos, ne longius feramur dicendo, relinquemus. Tamen illo tendunt omnia, ut sit natura tota benefica, tota liberalis. Neque me Hercule iniuria. Principio nudos mortales & omnibus exutos rebus, excipit, fovet, alit, & mira multarum rerum varietate delectat, odores praestat suavissimos, colorum mille species, tot etiam sapores, dulcem, suavem, amarum, austerum, acrem, acutum, acerbum, acidum, salsum, insulsum, &, ex his qui fiunt & commiscentur, prope innumerabiles. Montes etiam editissimos excogitavit, & opacas sylvas, mille ferarum generibus refertissimas, vel ad usum delectationemque venandi, vel ad materiam, pro tectis, pro domibus, deiiciendam, ut a glacie, pluvia, ventis, imbribus, interdum etiam a sole, tegeremur, mariaque ratibus navigaremus. Fontes etiam, & flumina, vel ad leniendam sitim, cibosque conficiendos, vel ad corporis alvorumque sordes eluendas, quosdam etiam ad morbos corpore depellendos, quales in Baiano tuo plurimos & calidissimos, excitavit. Quot enim genera morborum a natura proveniri homini possunt, tot ibi balnea tellus aperuit. Tot praeterea saluberrimas herbas, quibus & pellerentur aegritudines, & animalia, quae nobis vel ad vestes lana conficiendas, vel ad homines ipsos, oneraque provehenda, ad cibum usu forent, alerentur. Huc adde tot mediter-

diterraneos lacus, qui tanti ſunt piſcium ubertate. Nam quid arbitraris hunc Thraſimenum, longe omnium amoeniſſimum & pulcherrimum, admiſſum a terra, niſi tantam nobis aleret piſcium multitudinem, quantam non haec civitas ſolum, ſed univerſa Hetruria, ſentit, ſentiuntque Umbri, atque Picentes, & etiam Romani, ad quos quotidie plena retia perferuntur? Sed quid nos e multis pauca perſequimur? Quocunque te vertas, terrae beneficiis plena ſunt omnia. Hinc lapides aſpiciuntur, oſſa matris noſtrae, quibus in aedificia multa variaque congeſtis, nos vitamque noſtram, ac fortunas, tueri & cuſtodire valeamus. Hinc laetiſſimi colles, oleis vitibusque feraciſſimi. Hinc tot dulciſſima poma, per anni tempora diſtincta mirifice. His nos, atque aliis, beneficiis proſequitur in vita, ut nihil deeſſe poſſit ad laute magnificeque vivendum. Quid tandem, ubi e vita migravimus? Num deſerit morientes? Immo vero fovet & tegit, recipimurque in eius gremio mortales cuncti, &, quod eſt praeclare apud Pacuvium: Haec omnia animat, format, alit, auget, creat, ſepelit, recipitque in ſe omnia, ut contemplanti mihi ſaepenumero haud abſurdum videri ſoleat, maiores noſtros tantis eam nominibus decoraſſe, & nunc Deam, nunc magnam, ut eſt, parentem, appellaſſe. Sed quorſum, dices, haec? Mira eſt terrae liberalitas, ingens beneficentia,

tia; quam si rite coluerimus, beati quidem efficimur, sed non omnes beati. Nam ex Babyloniis singulis modiis ducentos, Apulis sexaginta reddere consuevit, Hirpinis ne sementem quidem. At Crustunii foenum gignit inutile quidem & pestiferum, finitimum vero saluberrimum. Adorant Persae orientem solem. Agros enim habent omnium rerum feracissimos. Atlantes & orientem execrantur, agris pecorique pestiferum. Excolant agricolae, si sciunt, infelicem agrum, arent, serant, rem tamen & operam perdant, necesse est; adeo in eos ingrata est terra, fortassis ita iubente natura, quam tute accusare non sentis, cum ingratitudinem tam ardenter accusas? Quid in arboribus? Num credis, omnes, quaecunque a nobis excoluntur, fructus ac poma esse reddituras? Tota erras via, si ita credis. Multa etiam ex his, quae redduntur, inutilia, multa perniciosa sunt, atque mortifera. Soline igitur homines ingrati? Quid ferae? quid terra? quid arbores? quid Dii etiam immortales? Nescio, an ita tuae tibi prospere eveniant rationes; mihi certe non eveniunt, ut, quoties voveas quid, vota illa, cuncta pleneque succedant. Libare Diis videre soleo permultos, litare vero quam paucissimos. Num igitur malos appellabis Deos, si aurum pro farre non referant? Num coelum execraberis, si, confectis sacris, pluviae non ces-

ut & Deorum immortalium,

tandem vero coeli.

cessent, seges tabescat & corrumpatur? Ut igitur non mali sunt, quoniam ingrati, sic nec ingratitudo quidem mala est, quae saepe a feris, ab hominibus, a Diis immortalibus, ab ipsa denique natura, tam libenter arripitur. Nec is tu quidem es, qui vel Deos possis accusare, vel eorum, quae iidem fecerint, expostulare rationem, nisi velis fortasse cum Diis immortalibus de imperio & maiestate certare, & omnia, quaecunque fecerint, improbare contendas, quorum consilia & rationes absunt a nobis, quantum id coelum omne, quod patens atque apertum intueris, ab hoc infimo terrae globo seiungitur. Quaecunque enim ab his aguntur, bona censeamus, oportet, tanquam ab omni temeritatis errore seiugata, profectaque a maiestate, beneficentiaque Deorum, quos errare qui sibi persuadeat, is maxime totus errat. Ingrati sunt aliquando Dii, quoniam non extemplo referunt, cum & possent, & debeant. An ergo sunt etiam dicendi mali? Non te adeo dementem puto, ut haec dicas. Si ergo non mali sunt, quanquam sunt ingrati; nec ingratitudo mala sit, oportet. Sic nec erit perniciosa, nec detestabilis, iudicanda. Patet igitur, non malam esse. Sed quid? si bonam, si utilem, si etiam necessariam, ostendemus? Nonne totum e tua te sententia deiecerimus? Sed ad definitionem redire oportet. Illuc enim referenda sunt omnia, ut, quid sit, de quo disputetur, & quid

Unde ingratitudo porro nec perniciosa, nec detestanda; potius bona, utilis, immo etiam necessaria.

faria aliquando, videatur. Id quod & rationibus probatur,

quid ad rem pertineat, intelligamus. Est enim ingratitudo, quoties accepti beneficii, aut gratia nulla, aut certe non satis digna, referatur, quae mala tibi perniciosissimaque videtur. Sed vide, quaeso, ne, cum, ingratitudinem fugiendam, tibi persuadeas, in scelus incidas multo flagitiosius, & ex ingrato longe ingratissimus efficiaris. Saepe enim potest evenire, ut tum demum referamus beneficium, cum sit recipientibus non gloriae, aut utilitati, sed ignominiae potius, detrimentoque futurum. Iupiter ille, qui est in fabulis, ingratus non fuit erga Semelem, perniciosus tamen fuit. Nota est res, neque indiget explicatione. Sic Egeus ille, Thesei parens, cui maris nomen attribuerunt, cum quaedam in eum Theseus beneficia contulisset, (fieri enim poterat, ut talis Deus beneficio egeret) tria sibi, quae vellet, optare permisit. Optat infelix pater, discerpi filium. Nam tum forte erat iratus. Ille, ne ingratus videri posset, marinam bestiam immisit, fecitque, ut Hippolytus discerperetur. Cum tamen ira illa vehemens desedisset, gemitus parentis vndique exaudiuntur: Hippolytus hic est; facinus cognosco meum. Ego te peremi; morte dignum facinus ausus sum, qui nova natum nece sparsi. O maria! o terrae! o inferorum furiae! impium rapite, atque mersum premite perpetuis malis. Sic sese infelix conflictans pater, Deos omnes, atque Egeum ipsum,

& exemplis illustratur.

ipſum execratur. Qui ſi fuiſſet ingratus, Theſeus Hippolyto ſuo non eſſet orbatus, nec patrem ipſum Deum crudelem atque immanem appellaſſet. Melius ille Domitius ſeruus, qui, poſtulante domino venenum, ne viuus in Caeſaris veniret poteſtatem, ſoporiferum porrexit medicamentum; pauloque poſt capto Corſiuio, cui oppido forte Domitius praeſidebat, Caeſar ſumma eum humanitate complexus eſt. Laudat ille Philippum medicum (ſic enim ſeruus vocabatur) &, re cognita, gratias agit non mediocres. Qui niſi fuiſſet ingratus, & domini non paruiſſet imperio; Domitius quidem ante diem veneno fuiſſet extinctus. Sed quid exempla iſta perquirimus? Si aegrotanti amico & aquam poſtulanti, non obtemperabimus: erimus ingrati; ſi vero porrigemus, grati, tua quidem ſententia, iudicabimur. Pulchra, me Hercule, gratia, quae facit, vt, cum ingrati eſſe videri nolimus, multo quidem efficiamur ingratiſſimi. Si furioſus ſit amicus, & ferrum, quo ſe perdat, expoſtulet: putesne, illius inſaniae obtemperandum, ut ingratitudinem, quae tibi videtur tam mala & pernicioſa, fugiamus? Quid pernicioſius, quam ferrum ad necem exhibere? Quid Brenius noſter, qui parentem arctiſſime deuinxit, quoniam ſe interficere velle videbatur, nonne etiam catenas iniecit? Sic, ſi amanti amico, cui maximis multiſque beneficiis deuincti ſumus, operam

dabimus, & ad turpes illecebras, flagitiaque iuuabimus: fugiemus quidem ingratitudinem; sed nescio, an satis faciemus amicitiae. Quis igitur ista tua de Philosophia praecepta non videat, ex stultis, ut ait Poeta, insanos facientia? cum summa potius ope nitendum sit, ut amicos a flagitio dehortemur, & quasi magistri ad bene sancteque viuendum instituamus. Sunt enim, quemadmodum praeclare, ut solet, inquit Aristoteles, non adiuuandi, impellendique ad morbum, sed omni potius studio a vitiis & turpitudine retrahendi, ne illi incommoda maxima consequantur. Itaque oportet esse ingratum. Quod si oporteat, negare non potes, vtile esse rem ingratitudinem, & viuendi rationibus saepe necessariam. Quam si fugere nos semper, ut tu mones, detestarique volemus, & ita referre gratiam, ut detrimentum pro vtilitate, & pro vita perniciem, referamus: magis, me Hercule, detestandi sumus ipsi, quam sit ingratitudo fugienda. Sed haec te fortasse non mouent, hominem fixum, & tua, ut soles, opinione acriter innitentem; quod ego in te saepe commendo, modo non sis pertinax. Quid si vel iactantia & ostentatione quadam, vel, quod est periculosius, ambitione, quispiam benefecerit, vel si captare muneribus haereditatem cupiet, si amicitiam & familiaritatem, decipiendi gratia, conflare, si donis & largitionibus operam impetrare, lenociniis, si plebem, si optimates

Aliquando non solum oportet esse ingratum;

sed & quam maxime fas est;

mates, conciliare ad Rempublicam diripiendam, ad alienas fortunas inuadendas, ad spolianda templa Deorum immortalium, ad mille denique flagitia committenda: huic tu gratiam censes esse referendam? num potius summo a te afficiendus supplicio? e domo, e laribus, ex ipsa denique ciuitate, praecipitandus? Sunt adhuc, qui eam ob rem beneficiis uti solent, vt ex paucis, quae fecerunt, multa, & ex paruis multo maxima, consequantur, & quod nos de Viua nostro dicere solemus: Passeres mihi, Viua, perquam magnos attulisti, ut & columbas a me perquam exiguas reportares. Plurimi Reges adeunt; multi etiam diuitibus largiuntur, vel poma, vel pullos gallinaceos. Res est sane non contemnenda, si tantum largiuntur. Sed statim deinde vel pecunias a diuitibus, vel a Regibus efflagitant magistratum. Qualem huic hominum generi te praestabis? Videntur enim mihi non beneficos & liberales, sed piscatores potius & venatores, imitari. Nam, ut ait Poeta vester, auceps, quando concinnat aream, effundit cibum; aues assuescunt, saepe edunt, semel si sunt captae, rem soluunt aucupi. Magna vero matris familias in pullos gallinaceos liberalitas; maior in sues munificentia, quos, vbi saginauit, aut exponet, vt vendantur multo pluris, quam quod saginando contulit, aut tandem caesos vsui domestico reseruabit. Itaque multo sic praestant beneficia,

vt, non aliena commoditate moti, ſed ſua utilitate compulſi, ad benefaciendum eſſe videantur. His tu gratiam cenſes referendam eſſe? Oportet eſſe ingratos aliquando: alioquin humana ſimul, diuinaque peruerterentur. Nam nec Dii fugiunt ingratitudinem ſemper, & hominibus ſaepe eſt neceſſaria. Illud autem non modo ſum ſtolidum arbitratus, & a Philoſophiae praeceptis abhorrens, ſed etiam, te in id erroris incidiſſe, vehementer admiror. Tollis videlicet beneficium & liberalitatem propter ingratos. Quaſi vero ſolis iis benefacere debeamus, qui & poſſint, & velint, referre beneficium; ceteros autem, ſive inopes, quia nequeunt, ſiue ingratos, quia nolunt, gratiam referre, contemnamus, nullaque in eos vnquam beneficia conferamus. Quibus igitur cenſes benefaciendum? Divitibus, qui non egeant, an gratis, qui multo cumulatius aliquando retribuunt? Utrumque tamen, mea ſententia, reprobandum. Nam profundere mihi illud videtur, hoc vero foenerari. Quid enim poteſt eſſe profuſius, quam cuiquam praeſtare, quod habeat; quam id elargiri, quo nihil indigeat? Tanto enim beneficium conſtat eſſe amplius, quanto magis ſit accipienti neceſſarium; etſi id non voluntate atque arbitrio donantis, ſed eius potius, cui donatur, vtilitate, metiamur. Si nautae anchorae donentur, ſi pacatae & tranquillae civitati praeſidium noſtrum imponamus,

beneficum vero ſemper, & erga omnes,

mus, si maxima rerum omnium affluentia frumenti copiam largiamur: quid hoc potest esse stolidius? quid a liberalitate & beneficentia magis alienum? Quod si expectemus, maiora nobis referri, quam contulerimus; propterea sumus benefici: quid aliud foeneratores agunt? Hoc, ut arbitror, solum interest, quod illi nude nobiscum, simpliciterque paciscuntur, hi benefaciendi nos simulatione decipiunt. Illis cum, quod sumus polliciti, persolverimus, nihil a nobis amplius postulabunt; hi, nunquam plene sibi satisfactum esse, iudicabunt, adeo sunt ab ea ipsa, quam simulant, largitione munificentiaque remoti, a qua nihil omnino potest esse remotius, quam si quid vtilitatis gratia conferatur. Proinde illam ego censeo liberalitatem praecipuam, & munificentiam singularem, in qua ne spes quidem ulla appareat retributionis, aut, si qua demum appareat, non tamen illius impulsu moveamur. Nam ut praeclare Stoicus noster, & acerrime, disputat, vel nihil expectandum, vel, quod est multo magnificentius, eorum omnium, quae dedimus, effici debemus immemores. Non igitur intelligo, cur liberalitatem submoveri censeas propter ingratos, a quibus vel nihil est recipiendum, vel saltem ita recipiendum, tanquam non videatur expectatum. Officii enim nostri esse videtur, ut omnibus summa cum liberalitate benefaciamus. Ingrati sint, nec ne, quibus benefiat, id profecto nihil ad nostram bene- etiam ingratos.

beneficentiam attinebit, aut, si attineat, non video, cur alienos errores imitemur, & nostro desimus officio. An quoniam illi sunt ingrati, iccirco nos effici debemus illiberales? Quod si pravo erga nos animo fuerunt, vel meminisse desinendum est nobis, vel, eos non sapientiores fuisse, cogitandum. Nec tanti stultitiam faciamus, & temeritatem alienam, ut rationis gubernacula nobis etiam erepta esse videantur, quibus si, cum sunt ingrati, benefacere nolemus; at faciamus, quoniam sunt homines, & in quos res nostras conferre magnificentissime valeamus. Si eorum oderimus mores, spectari conveniet humanitatem, aut, si nihil tale cogitabimus, cavendum erit, ne tantum in nobis valeat aliena nequitia, vt sit nobis ratio, disciplinaque nostra contemtui. Afferam hic Camillum, & tuis nunc tecum armis decertabo, magnum virum illum quidem, & cum pace, tum maxime bello, praestantissimum, sed qui eam ipsam ingratitudinem & senserit, & maxime in singulari humanitate restinxerit. Hic, cum multa, praeclaraque facinora pro Republica domi militiaeque gessisset, pulsus tamen ab ingratis civibus, forte apud Ardeam, Hetruriae ciuitatem, exulabat; quo tempore, Galli cum maximas in Italiam copias traiecissent, expugnata urbe atque incensa, Capitolium obsidebatur. Camillus, ubi haec intellexit, mediam ingressus concionem, Ardeates ad bellum hortatur; ipse, coacta

praecipue propter humanitatem.

Exempla Camilli,

coacta iuvenum manu, primum Gallos, incaute atque inconsulte palantes, adoritur, profligatque; mox, dictator in exilio factus, in eos, qui Capitolium obsidebant, impetum facit; aurum, quod pro redimenda Urbe tum forte pendebatur, tolli e medio iubet, ferro, dicens, non auro, Populum se Romanum solere defendere. Tandem, hostibus ad vnum caesis, ingratos cives ac patriam liberavit, pauloque post Romanos, alio migrare cupientes, constantissime detinuit, &, ne patrii lares desererentur, effecit. Qui si, tuis obsecutus praeceptis, opem ingratis ferre noluisset: ne ipsum quidem sanctissimae Urbis cinerem intueremur. Maluit itaque homines eos iudicare, quam ingratos, nec mores illorum, sed suum potius officium, contemplari. Demosthenes, cum missus esset in exilium, legatum Atheniensium, Periclem, secutus, Argos, Sicioniam, Corinthum, & reliquas totius fere Graeciae civitates, sua divina eloquentia conciliatas Atheniensibus, a quibus exul erat factus, societate coniunxit. Qui si civium ingratitudinem cogitare voluisset, non pacis tam insperatae, sed odii acerbioris, auctor extitisset. Maluit itaque sua erga ingratos cives accumulare beneficia, quam ab humanitatis officio aliena temeritate desistere. Palantus, Dux Spartanorum, cum in Italiam, ignominiae occultandae gratia, se contulisset, Tarentique arcem, pulsis incolis, occupasset, a

Demosthenis,

Palanti,

ſuis tandem damnatus, exilio Brunduſium proficiſcitur, quo & Tarentini, ab eo pulſi, paulo ante confugerant, ibique, propter ampliſſimam viri auctoritatem perbenigne receptus, conſenuit. Cum vero moriendi tempus appropinquaret, Colligitote, inquit, o viri Tarentini, oſſa mea, cum vita exceſſero, pulveremque tenuiſſimum Tarentinam in arcem proiicite; haec vna recuperandae vobis patriae ſupereſt ratio. Sic Apollo cecinit, quo in loco mei pulverem diſperſeritis, ibi diuturnam vos ſedem habituros eſſe. Quod cum decepti feciſſent, redire nunquam amplius in patriam valuerunt. Nam oraculo monitum erat, vbi Palanti pulvis miſceretur, ibi Spartanos ſtabilem tandem & perpetuam ſedem habituros. Dignus ſane, qui puer a Diogene vocaretur, in quo magna quaedam animi vis apparuit, ut, ſuorum nequitia contemta, quibus dux fuiſſet, foret etiam conſeruator, nec, factum ſe ab illis exulem, ſed ducem potius fuiſſe, cogitaret. Quocirca liberalitatem ingratitudo non tollit, niſi fortaſſe apud eos, qui non recte fuerunt liberales, quorum animus non tam in ferendis ſementibus, quam in frugibus metendis, occupatus, non, quo beneficium ferre poſſit, ſed vnde fertiliorem gratiam metere, laboravit, quo nihil eſt magis a liberalitate cenſendum alienum. Divinum animal homo, & ad ſublimia ſemper erectus, ac Diis immortalibus

Deorum immortalium,

libus prope fimillimus, ita comparare debet sese, ut, cum in rebus ceteris, tum maxime in liberalitate & beneficentia, Deos ipsos, a quibus est ortus, imitetur. Dii enim tanta tribuerunt nobis, quanta & videmus ipsi, atque sentimus, & quae praeterea vix animo & cogitatione complectimur. Nam quod moveatur hoc coelum omne, quod undique patens atque apertum intuemur, sideraque ipsa, incredibili & divino splendore lucentia, circumagantur, irrequieta semper, & ad mortales gignendos, & conservandos, continue moveantur, eorumque altera noctibus aliquid nobis suae lucis impertiatur altera suo lumine dies nobis illustret & compleat; omniaque, certis sese intervallis aspicientia, varios in infimis his, & terrenis, rebus producant effectus, variasque tempestates, & animalia cuncta, eadem illa varietate distinguant; quod etiam mare hoc vastum & profundissimum, terrae circumfusum atque interiectum, cum ad itinera peregre perficienda, tum ad pretiosissima gemmarum aliarumque rerum genera foecundissimum atque uberrimum; quod terrae ipsae, altrices hominum, tot nobis fructus alimentaque tanta ministrant; quod gignimur; quod vivimus; quod adulti divinae rationis participes efficimur: haec omnia Deorum sunt munera, gratis tamen generi hominum elargita, ita, ut sine omni spe praemii collata nobis esse videantur. Sed nec Dii,

quos homines imitari debent.

 quan-

quanquam sumus ingratissimi, largi esse desliterunt, nec ullius unquam impietate moventur a studio & consuetudine benefaciendi. Nulli mare, nulli terram, nulli coelum, intercluserunt. Patet omnibus mare, patet terra, quibus boni malique nullo certo discrimine perfruuntur. Nascuntur enim omnes, foventur, educantur, & rationis mentisque participes efficiuntur & coelo tanquam tecto quodam operiuntur. Nec sol ipse tam lucidus & sempiternus bonis, quam malis, vtilior. Idem gratis atque ingratis, eodemque lumine, cunctis exoritur. Praedones maria navigant, nec saepius, quam mercatores, naufragiis obruuntur. Terra quoque, & serpentes alit, & homines. Sed quorsum haec spectat oratio? aut cur haec afferimus exempla Deorum immortalium? Quasi vero non idem homines facere, non principes, non civitates, soleant, cum saepe civitates a Regibus, vel ab imperatoribus exercitus, vel plebem a senatu, cum largitionibus aliis, tum etiam immunitatibus mille, donari videamus. Saepe exercitus coronatur universus, nec, quia vnus duove ignaviores in acie fuerunt, indigni reliqui iudicantur. Saepe sociis vectigalia, saepe etiam stipendia, remittuntur, non quia bono erga nos animo fuerunt singuli illi (id enim fieri posse non arbitror) sed quia satis putandum est, si aliter fieri non potest, profuisse malis bonorum gratia, quam bonis malorum cau-

sa

ſa nocuiſſe. Danda igitur ita ſunt beneficia, ut dari tantum, non repeti, aut exprobrari, videantur. Nec ita demens eſſe velim, ut, gloriam hominibus appetendam eſſe, non cenſeam. Quis, illam, niſi demens, negabit, eſſe appetendam? ab hoc tamen ſtudio benefaciendi alienam arbitror. Non enim ex gloria beneficium, ſed ex beneficio gloriam, naſci oportet. Vel naſcatur illa, vel non naſcatur, beneficentiae ſtudendum eſt. Qui vero beneficum & ſe liberalem utilitatis aut honoris cauſa praeſtabit, non plus illi deberi, puto, quam qui ad nuptias invitamur; ubi, quanquam laute magnificeque accepti, cantu, ſono, tripudiis, demulcemur, gratias tamen nobis deberi exiſtimamus, quod nuptiis ornamento fuiſſe videamur. Quod ſi nec utilitatis, aut honoris gratia beneficia conferantur: non video, cur ingratis conferri non debeant. Nam ita praeſtanda ſunt interdum, vt nec is quidem ſciat, cui praeſtentur. Non poſſum admirari ſatis Archeſilaum, optimum ſane virum, & in primis clarum. Hic enim, cum accepiſſet, Theſibium amicum, in aduerſam incidiſſe valetudinem, premique inopia rei familiaris, ita, ut ſe curare non poſſet, ad eum, ut aſſolet, profectus, aliquando ſacculum plenum pecuniae illius pulvino ſubiecit. Putavit enim, Theſibium, ſi palam dediſſet, pudore non accepturum. Sic enim dedit occulte, ut dandi auctor Theſibio ipſi plane eſſet

Praeterea ſtudendum eſt beneficentiae, neque propter gloriam, neque propter utilitatem.

esset ignotus. Multa praeterea beneficia ita dissimulanter & quasi occulte conferebat, ut ne sperare quidem gratiam, nedum expetere, videretur. Singularis haec Archesilai, & vera, non ficta, beneficentia. Nam qui vtilitatis suae gratia beneficus est, sibi est beneficus, aliis insidiosus. Atqui illos duntaxat agros, putas, esse colendos, qui sunt fertiles; arbores non ferendas, nisi quae fructus pariant; steriles vero aut relinquendas incultas, aut agro funditus exstirpandas. Optima, me Hercule, colendi ratio, si agros colamus alienos, ex quibus, solam utilitatem expetentes, nihil nobis ad delectationem relinquimus. Lapides, si fieri posset, araremus. Arbores vel ad usum ignis, vel ad tabulas trabesque conficiendas, abscindimus; poma cum ipso ramo plerumque immatura divellimus, ad utilitatem omnia metientes. In nostris vero agellis alia ratione procedimus; non omnia volumus arari, multa ad interambulandum spatia, multa ad sedendum, intermittimus; arborum non fructu magis, quam umbra, delectamur, neque plures ficus, quam vlmos, & laurus, cupressusque, quam nuces ac vites, affectamus; multa nobis ad delectationem, pauca etiam ad utilitatem, serimus. Quapropter quibus utilitas semper est animo, hi nihil ad officium, ad vtilitatem omnia, metiuntur. Qui vero humanitatem, qui laudem, qui decus, gloriamque, sectantur, qui honorem rebus omni-

Id quod ulterius probatur.

omnibus anteponunt, qui denique Deos ipsos immortales imitantur, de liberalitate semper, & beneficentia, cogitabunt, atque ita cogitabunt, ut non utilitati studere, sed officio potius intendere, videantur, idque solum meditantur animo, omni utilitate reiecta. Cum multa dederint: quo pacto multo plurima dare, & fortunas omnes in munificentiam possunt, liberalitatemque conferre? nullius ingratitudine perterriti, quo minus munificos se praestent, quam maxime liberales, etiam in eos ipsos, qui fuerunt ingrati, nova semper maioraque beneficia cumulantes, quibus illi permoti aliquando, quoniam paucis non poterant, multis in se collatis, emolliantur; sicuti lignum, quo durius est, & ad caedendum difficilius, eo crebriores illi vehementioresque ictus incutimus, ut usui nobis esse queat. Quod vbi fuerit caesum, maiore nobis vsui esse poterit, quam quod nullo labore decisum ac sectum, molle quidem & flexuosum, sed, gravia quae sunt & ponderosa, ferre non potest. De gratia vero ita statuamus, ut nec tanquam futuram speremus, nec desperemus, quae aliquando possit esse futura. Quapropter cave, censeas, submoveri liberalitatem propter ingratos. Nam quod paulo post adiiciemus, beneficos nos etiam adversus gratos esse non posse, quoniam omnes, quorum non essemus experti gratiam, censeri oporteret ingratos. Quid hoc potest dici stolidius? Id mihi

mihi plus quam ridiculum videtur, & Philoſophiae praeceptis minime conſentaneum. Eſt enim puerile quiddam, ut, ab aliquo uno percuſſi, ab univerſis ſe putent eſſe percusſos. Quod etiam ſi foret expetenda gratia, quod tibi nequaquam ſumus aſſenſi: non tamen, quoniam vnum offendemus ingratum, iccirco ceteros in ius vocabimus. Atqui durum eſt facere periculum. Miſſum hoc faciamus. Nolo, diſſipari fortunas tuas, nolo, profundi rem familiarem; ſed tantum, quantum ferre poſſis, volo, te in omnes eſſe liberalem, eſſe munificum, eſſe largum atque beneficum, etiam adverſus inimicos, ut, quod eſt praeclare a Cleobulo dictum, efficiamur amici adverſus ingratos, ut grati. At tu quoniam ſemel excidiſti beneficio, idque, ut tibi quidem videtur, inutiliter contuliſti, nulli amplius cenſes eſſe benefaciendum; vereris, ne ſemper ſit tibi agendum apud ingratos. Dicam tibi, quod eſt a Veneto quodam dictum non illepide, ut eſt ea gens omnibus quidem in rebus, tum maxime in hoc dicendi genere, perpolita. Hic cum navigare peregre inſtituiſſet, omniaque iam eſſent parata, propinquos ad ſe domum vocari iubet pridie, quam esſet adſcenſurus in navim, domum familiamque commendat. Ex his quidam, cum lacrymae excuterentur, vehementer dehortatus, memorare coepit, quanta ſolent pericula impendere navigantibus. Quibus cum ille

ille nihil moveri videretur: Quo ruis? inquit, An nescis, hanc sibi mortem fere esse fatalem? Pater tuus in mari extinctus est; avus item tuus extinctus in mari. I nunc tu, mari te audeto committere? Tum ille, avus, inquit, tuus in lecto decessit, & pater item tuus decessit in lecto. I nunc tu, audeto in lecto dormire? An si navis una perierit, iccirco nemini putas esse navigandum? Si quis media via ceciderit, nulli amplius eadem eundum censes? Si quis igitur in ingratos inciderit, idque praeter opinionem, nullis iam esse beneficia conferenda? An si quem aegrotum aliqua medicina curare non potest: iccirco ceteris eadem adhibenda non erit? Nimis timide sentis, si ita sentis. Omnes vero, qui munificentia & liberalitate utuntur, magnifici sane habendi sunt, & non parva laude dignissimi. Sed hi magis, mea quidem sententia, commendandi, qui, saepe & multa nulla cum utilitate conferentes, in pristino tamen benefaciendi studio perseverant, etiam si mediocriter offendantur; veluti pugnacissimus quisque miles, quanquam saepe repelletur, pro gloria tamen in confertissimas acies audebit irrumpere, maximum periculum honoris gratia contemnemus. Quod si omnibus in rebus praeponenda esset vtilitas, quod tibi nequaquam assentiebar: illud tamen longe videretur utilissimum, tacita tecum meritorum conscientia gaudere posse,

quan-

quanquam in ingratos aut iam cecidisse, aut etiam casura, dubitares, ut qui agrum seminavit alienum, etsi sibi utilitati non cedit, feracem tamen esse desiderat, quoniam ipse seminavit. Sed nec ad utilitatem referenda sunt omnia. Illa deficere potest, gratia non potest. Aut enim congregantur pecuniae, aut in liberalitatem munificentiamque conferuntur. Mercatorum est illud; hoc ad Principes spectat, & eos, qui, robore quodam animique praediti magnitudine, iccirco struendis opibus incumbunt, ut possint esse liberales. Quod si tollantur beneficia: non domus constabunt, non civitates, non imperia, manebunt. Quocirca Titum satis admirari non possum, qui, eum amisisse diem, dicebat, quo non aliquod vel mediocre beneficium contulisset. Sed num Titus gratiam repetebat? Id quidem fuisse, beneficia foenerari. Itaque reiicienda sit omnis utilitatis spes, si beneficus velis, si clarus, si magnificus, haberi. Sin commoditatem sequi, quam gloriam, malis; liberalitatis nomen deponas, oportet, teque ad foenus quaestumque traducas, quanquam haec nimis saepe. Quae hactenus dixi, non tam confutandi tui dixi gratia, quam quod in multis ita fere sentiebam. Iam adiiciemus pauca, & quidem exiliter, ac perieiune. Mox, cum tui acumen ingenii pertentaverimus, conclusionem ex rebus ultro citroque habitis, si tibi videbitur faciemus, absoluta controversia.

Sequitur alia ingratitudinis consideratio.

controversia. Ingratum dicis eum, qui neque refert gratiam, neque beneficium infitiatur; atque eum ipsum primo loco statuisti. Porro, qui negaret, accepisse, secundo loco ponebatur. Cui vero accepti meriti excidisset memoria, eum tu tertio collocabas. Ultimus autem omnium, qui pro bonis mala, pro honestis turpia, retulisset. Hic ingratitudini metas imposuisti, ut in haec quatuor quidem genera ita consummaretur, ut nihil omnino amplius habere videretur, quod quidem esset adiiciendum; nec ullos praeterea ingratos esse iudicabas, tanquam omnia ingratitudinis membra satis ac diligenter exposuisses. Sed videamus, an satis, & omnia, & diligenter. Equidem esse alia quaedam genera ingratorum, video, quae a te neque parum, neque quicquam, explicata, silentio praetereunda esse non puto, ne, cum multa dixisse videri volumus, pauca admodum eaque negligenter, dixisse videamur. Nam qui gratiam referunt occulte, qui pro maximis & plurimis acceptis meritis pauca quaedam & exilia, qui tarde, qui insolenter, qui ita denique dissimulanter, referunt, ut non referre gratiam, sed beneficium ipsi potius conferre videantur, ingrati profecto sunt omnes, in tua tamen enumeratione minime reponuntur, nec ad genus aliquod, aut membrum, referri possunt. Qui gratiam occulte refert: quid intendit aliud, quam libera-

Sunt quippe etiam ingrati, qui occulte,

litatis tuae gloriam defraudare, abscondere virtutem, famam, laudemque supprimere? Retribuit enim, non tam propensus ad gratiam, quam moleste ferens, si tibi obligatus esse videatur. Quo fit, ut longe sit is habendus ingratissimus, qui sic est gratus, ut nihil habeat cum gratia & caritate coniunctum. Non melius illi, qui, magna cum acceperint, paucis se, ut ipsi quidem putant, absolverunt. Est enim ita cumulanda gratia, ut non modo aequari beneficium existimetur, sed magnitudine succrescat immensa. At quorum gratia sera est, non fere aliter censeo iudicandos ingratos, quam eos in ius vocandos, qui creditam pecuniam praestituto tempore non solverunt. Itaque non parva interdum mulctatione puniuntur. In gratia vero referenda sic constitutum est tempus, ut tum maxime referamus, cum aut necessariam, aut saltem commodam, futuram ei putabimus, cui gratia debeatur. Rursus quod refertur insolenter, tantum abest ab ipsa gratitudine, quantum ab insolentia comitas gratiaque seiungitur. Quid tu igitur censes istos ingratos, an non? Quod si censeas, non sane video, cur eos omnes silentio praeterieris. Itaque statuamus alia quaedam ingratorum genera, nisi quid habeas, quo possis ista defendere. Nam quid ego de ordine ipso dicam? quem nemo, nisi ineptus, non videbit. Oblitos enim beneficii minus putabas ingratos, quam

qui pro magnis pauca,

qui tarde,

qui insolenter referunt.

Unde emergunt alia quaedam ingratorum genera.

quam qui pro bonis mala, & honestis turpia, retulisset. Itaque tertio loco statuebas. Nam de ceteris non attinet dicere. Sunt enim satis commode collocati. Utar verbis tuis. Qui obliti essent beneficii, eos gratos fieri posse, magna vi dicendi negabas. Quod equidem perlibenter tibi concedo, veluti, quod est semel a corpore truncoque decisum, aut mortuum, coire amplius in corpus, aut reviviscere, nullo modo potest. Quocirca est in his gratis desperanda, cum excitatricem memoriam penitus abiecerint, & in maiorem facile perfidiam impelli possint, si nulla officii recordatione teneantur. Qui vero mala nobis intulere, non possum non scelestissimos & detestabiles iudicare; possunt tamen praeteritorum memoria leniri, & ad gratiam, benevolentiam, officiumque, converti, ut qui clausis sua sponte oculis incedat, facile illos, cum volet, aperiet, nec poterit nolle diu, & semitam, a qua forte deerraverat, quam primum voluerit, apertis oculis intuebitur, in eaque deambulando persistet. Qui vero caecis aut effossis luminibus huc illuc incertus oberrabit, rectam eundi viam prospicere cum nequeat, omni exiguo lapillo cespitabit; qui, ubi semel deflexerit a via, ne cane quidem duce, in eam amplius dirigetur. Nam ut nos quoque tuos Ionas adducamus, erant illi longe ingratissimi, qui adversus Athenienses, conditores suos, cum

Ex quibus tamen tantum non meliores, sane non magis detestandi videntur, qui pro bonis mala referunt, quam qui, beneficiorum obliti, prorsus nihil referunt.

Exemplum Ionarum.

Xerxe societatem inierunt, bellumque inferre asperrimum decreverunt, eam urbem adorti, a qua ipsi fuerunt quam saepissime conservati. Sed vide, quam brevi momento ad gratiam reconciliari, & benevolentiam, potuerunt. Themistocles tunc forte duxerat Atheniensium. Is, ubi Ionas defecisse videt, copiasque cum Xerxe iunxisse, periculi magnitudine perterritus, quoniam praesens alloqui non posset, positis symbolis, quocunque essent Ionae applicaturi, per saxa haec scripsit: Quibus nunc vos, o, bellum, Ionae, inferetis? His, qui urbem vestram, qui moenia, qui tecta, qui templa etiam, vestra condiderunt? qui vos saepe iam in libertatem vindicavere? qui toties & cum Dario & cum Xerxe bellum, ne vos desererent, susceperunt? Eos vos non deseritis solum; sed communem vobis atque illis hostem inculcatis? Qua dementia? quo furore perciti, tantum, Ionae, facinus agitatis? Ite ad nos, conditores vestros. Quod si tute facere non poteritis, bello discedite, hostem nostrum vestro praesidio spoliate, ut Athenienses non cum affinibus suis, sed cum solis hostibus, certaturi videantur. Ionae vero, cum haec legissent, remis incumbentes, bello discesserunt, Xerxem, eorum praesidio nudatum, vincendum, profligandumque Atheniensibus reliquerunt. Quibus si tanta beneficia, quae Themistocles memorabat, penitus excidissent, Athenienses consecuti victoriam non fuissent; nec adduci Ionae potuissent,

tuissent, ut a Xerxe deficerent. Sed memoria, domina & princeps meritorum, quanquam errare permittit interdum, revocat tamen, & diutius in errore versare non sinit. At vero, qui nihil omnino recordantur, cur excusari possint, non equidem intelligo. Immensa est enim memorandi vis in homine, & rerum multitudine non obtunditur, si modo, quae conceperit, frequenti cogitatione repetantur. Qui vero, adiuti a nobis, flagitium in nos aliquod, aut scelus, emoliuntur, male illi quidem, sed ut vel mediocriter possent excusari, vel quod ira impellantur, aut aliqua animi perturbatione, maxime si non iniusta, moveantur, & hortatu atque impulsu id faciant alieno, vel quoniam beneficium tarde duriterque a nobis extorserunt, vel quoniam, quos primum affecimus beneficio, deinde sumus persecuti dolo, fraude, iniuria, contumelia, vel necessitate compulsi, & angustia rei familiaris, nobis aliquid eripuerunt. Quibus rebus, etsi defendere crimen omnino non queunt, habent tamen aliquid praesidii, quo se recipiant. Qui, quoniam peccare se intelligunt, facile, nacta occasione, se ipsos corrigent; quod facere non possunt, qui sint obliti, nec ulla necessitate, sed sola negligentia, sunt ingrati. Verum tamen, si haec tibi omnia concedamus, illud nequaquam tibi assentiemur, demirari te Deos, aiebas, qui, cum benefici quidem ipsi sint, & quam maxime

Ingrati tamen tales nunquam

sunt impunes; maxime liberales, & iustitiam inprimis coli iubeant, & caritatem, ingratis tamen tanti sceleris licentiam impunitatemque concedant, cum iustitiae caritatisque hostes atque inimici esse acerrimi videantur. Nihil ista opinione perversius, nihil, quod Deos magis offendat, quorum illud est proprium & sempiternum, bonos praemiis, suppliciis malos, afficere. Quid hoc posse fieri iustius arbitraris? quid dignius maiestate, imperioque Deorum? Nam Pythagoram praetereamus, qui, profectum se ad inferos, dicebat, vidisseque illic Homerum atris serpentibus circumplicitum; Hesiodum quoque, columna quadam alligatum, durissima dare supplicia, quod ingrati plurima de Diis mendacia consinxissent, a quibus erant in lucem vitamque producti, & eam ipsam scribendi facultatem consecuti. Quid Menedemus? qui, furiali amictus veste, Arcadicumque gerens pileum, centumque elementa, fraxineamque manu virgam, tragicosque cothurnos, missum se ab inferis, dicebat, speculatorem rerum atque actionum humanarum; quae cum vidisset, rursus se ad inferos reversurum, omniaque Diis manibus renunciaturum. At Democritus, vir acutissimus, ut Physicus, disertus, ut Graecus, duos opinatus est Deos, quorum alterum Beneficium, alterum Poenam, appellabat. Praeclare id quidem. Quid enim dici potuit manifestius? Poena mulctantur mali, beneficio boni

ni afficiuntur. Nisi fortasse ita non sentiebat, sed esse beneficium Deum, quoniam illius omnia beneficentia & largitione constarent. Poenam vero, Deum alterum, graviter, me Hercule, & praeclare definit, quo demonstraret, qui beneficiis abuterentur, gratiam minime referentes, eos poena quidem esse mulctandos, ut nihil ab hominibus agi possit vel impune, si deliquerint, gratiasque non egerint, vel sine retributione, si benefecerint. Hoc Philosophi, quorum vestigia sequimur, de grato atque ingrato sentiebant. Nec arbitror, videri tibi Epicuro & Cyrenaicis illis assentiendum, qui, nec curare Deos mortalia, nec bonos malosve secernere, constanter quidem, sed tamen inepte, putaverunt. Atqui opinione quadam stolida & vulgari concedi malis impunitatem putas, quoniam non extemplo puniuntur. Nam quae apud inferos aliquando patientur, ea neque exemplo nobis esse possunt, neque voluptati. Sunt enim in sola credulitate constituta, fortasse non vana. Sed nec movere animos magnopere queunt, nisi quae vel oculis nostris visa sunt, vel ab iis accepta, qui viderunt. Quocirca istos nunc inferos dimittamus, apud quos scelera ipsa satis quidem, ut opinor, acerbissima poena diluuntur. Sed id nihil ad nos commovendos. Terroris enim cum multum habeant, non omnibus videntur esse. Ingrati qui sunt, quanquam non subito statim fulmine corripiuntur, non hiatu

Sed eos iusta semper manet, gravissi

maque poena.

hiatu telluris absorbentur, non mari, non flumine, demerguntur, poenae tamen obnoxii sunt non mediocri. Quippe nullum est genus hominum adeo infensum ceteris, atque invisum, & in quos minus liberaliter munus aliquod conferamus. Quandam enim prae se ferunt impietatem, ut eos ne intueri quidem oculis valeamus. Omnibus odio sunt, atque contemtui. Quae poena maior? quod supplicium durius? qui cruciatus excogitari possit acerbior? quam indignos omnium amicitia, beneficio, ope, praesidio, benevolentia, existimari? An impunes eos censes appellandos, quibus propter commissum scelus infesti sint omnes? quibus adhibentur nulla beneficia? qui adversis in rebus nullius ope subleventur? nullius auxilio foveantur? nullius humanitatem sentiant, & misericordiam? in secundis vero nullius congratulationem, sed omnium invidiam atque odium, consequantur? Si qui Rempublicam & patriam prodiderunt, si qui Deorum immortalium templa diruerunt, etsi scio, haec omnia sine summa fieri ingratitudine non posse, fortunis omnibus spoliantur, eiiciuntur civitate, igni etiam atque aqua illis interdicitur; sed habent multos, quorum praesidio sustententur. Plurimi, si opem alio pacto ferre non possunt, eorum calamitatem atque inopiam miserantur. Ingratos vero, non civitate, sed, quod maius est, omnium animis praecipitatos atque deiectos nemo,

nemo miseratur. Non illis aqua, non igni, sed amicitia, sed amore, sed omni humanitate, interdicitur; nec fortunis duntaxat amicorum, sed sperandi etiam libertate, spoliantur. In secundis rebus detestandi, conculcandique videntur, in adversis illudendi, & aerumna, miseriaque dignissimi iudicantur, ut flagitii loco sit, quoties cuiusque ope subleventur. Saguntinis ab Hannibale obsessis, & populi Romani, quem ipsi saepe iuverant, opem implorantibus, Romani auxilium non tulerunt. Quibus partim flamma sua sponte consumtis, partim ferro ab hostibus interfectis, Hannibal, maximis coactis copiis, in Italiam contendebat. Quo nuncio perterriti Romani, missis Legatis, Gallos Hispanosque sollicitant ne penetrare illum in Italiam, ac per suos fines transitum facere, patiantur; se paratos esse, foedus cum his aequo iure percutere, perpetuamque inire societatem, si modo Carthaginensium copias per suos fines iter facere prohibeant. Legatis derisis contemtisque, fere ab omnibus sic responsum, ferunt: Non pudet, o Romani, vestrae nobis amicitiae mentionem facere? qui Saguntinos, amicos, sociosque vestros, in postremo eorum periculo deseruistis, suisque hostibus prodidistis? Quo vultu, quo animo, societatem a nobis, atque amicitiam, postulatis? An audetis fidem nunc vestram polliceri nobis, qui perfidi nunc in Saguntinos extitistis? An, qui

Exemplum Romanorum.

pro acceptis beneficiis gratiam amicis referre neglexistis, eam nobis, ne cognitis quidem, nedum promeritis, referetis? Extemplo hinc abite, &, ad quorum aures Saganti excidium nondum pervenit, socios vobis adsciscite; nobis autem persuadere nequaquam poteritis.. Exemplum enim ante oculos habemus, ut in Romanos non plus habere nos spei, quam fidei Saguntinis, oporteat. Illi, optime de Republica meriti, decepti a vobis, desertique, perierunt. Nos, qui nullis prosecuti sumus officiis, quam a vobis sperare gratiam debeamus? Itaque legati Romani, infecto negotio, redierunt. Non mirum id quidem; mirandum magis fuisset, si quicquam exorassent. Pulcherrimum est enim, aliena in re periculum facere; tum id multo pulchrius, si, facto periculo, in discrimen minime ipsi veniamus. Sed ne dici quidem potest, quantum omnium animus offendat ingratus; cui, si etiam ignoscatur a ceteris, ipse sibi certe non ignoscet. Uritur enim assidua recordatione beneficii, nisi fortasse non recordetur, in se ipsum omnem refundens culpam, suo se judicio sententiaque damnabit; nec suo tantum, sed etiam alieno. Nullum enim tam turpe facinus, nullum scelus tam immane, nullum denique tam absurdum, detestabileque flagitium, quod vel mediocri non possit excusatione purgari. Solus ingratus, si verum fateri volumus, nulla

Nec id quidem immerito aut iniuria.

Nullum quippe maius, nullum detestabilius, magisque est execrandum.

la unquam idonea excusatione purgabitur, cum non odio, non iniuria, non iracundia, concitetur, non casu aliquo & fortuna, sed sua ipse sponte, delinquat. Quo fit, ut ingratos toto animo, totaque mente, detestemur, & ne vita quidem, nedum beneficio, dignos putemus, etiam si adversus nostros inimicos ingrati fuerint. Adeo ingratitudo est ipsa nobis inimica magis, atque infesta. Quo fit, ut ingratum nemo rectis intueatur oculis; sed omnes mala ei omnia, & calamitates omnes imprecentur &, ut uno verbo complectar, ingratus omnibus est ingratus atque infensus. Hanc tu impunitatem appellas. Ego vero ita censeo, nullum posse acerbius excogitari supplicium, nullos inveniri duriores, & animo, & corpori, cruciatus, quam omnium amore, fide, beneficio, benevolentia, humanitate, misericordia, spoliari. Sed iam finem dicendi faciam, quanquam multa quidem a te dicta, & graviter, & accurate; sed ita tamen, ut illis quoque litem intendere potuissemus, si modo tempus, voluntasque non defuisset. At vero iam sol coepit inclinare, & ipsi non omnia refellere proposuimus, sed ea solum, quae visa essent quaesitu & investigatione digniora. Tu vero, si quid habeas ad haec, quo te defendas, affer in medium. Quod ubi feceris, rem omnem arbitratu tuo, quam rectissime fieri poterit, statuemus. Quae cum dixisset, silentium aliquamdiu secutum est. Nam

flagitium, ingratitudine.

Hactenus Nicolaus Sulmonensis.

Nam & verebar ipse cum tanto Philosopho, in ea praesertim facultate, contendere, &, sententiam meam ita retrusam ac labefactatam relinquere, turpissimum iudicabam. Sed, quod maiorem me in modum perterrebat, ingratum agere videbar, si, a quo uno id ipsum, quod habebam, disciplinae fuissem consecutus, cum eo de Philosophiae praeceptione decertarem. Itaque cum, cedere me illi, respondissem, nec ullis in rebus adversari velle: Non ita facias, inquit, ne plus timiditatis habere concessio ista videatur, quam verecundiae. Tum nos multa diximus, consulto, & pleraque inepta, & inter sese ipsa pugnantia, quo locus tibi foret, vt mea refelleres, vel, si modestius agendum putares, saltem defenderes tua. Proinde si habes tu quidem, quo te, tuasque rationes ac sententias, tueare, ne retice. Nam quod vereris, facile praestabo, qui quidem plura dixi, quam quae erant mea disputatione dicenda, ut tuum istud acumen excitarem, teque ad hanc disserendi consuetudinem instituerem, faceremque promtiorem. Qua quidem re mirifice delectabimur, si frequens accedet exercitatio, & ex usu ipso disputandi vim nobis quandam, & quasi naturam, pariemus. Tum ego, quoniam ita iubes, non defugiam auctoritatem. Malo enim, imprudentiam requiras meam, quam voluntatem accuses. Equidem mecum ipse constitui, nullius, quam tuam, in me auctoritatem

Ad quae Campanus.

ritatem potiorem fore. Nec adulandi gratia dici putes, cum tantum tibi debeam, quantum homini nato. Itaque iure optimo statui tibi omnibus in rebus obtemperare, quem non solum hortatorem habui ad haec studia, sed praecipuum adiutorem. Dicam igitur, quam brevissime fieri poterit. Nam, etsi concussas video rationes meas, & tuis acutissimis argumentis vehementer improbatas, non tamen penitus arbitror esse deiectas. Habent adhuc, quo se praesidio tueantur, nisi tu novum fortasse bellum indixeris. Quod si feceris, ne portae quidem occludentur, facile nos devictos esse patiemur. Non faciam, inquit. Nam & tempus, & hic etiam locus, admonuit, ut, facto tandem dicendi fine, ubi quaedam in tuam, si placet, sententiam adiecerimus, domum statim inde repetamus. Mihi vero placet, inquam, & id vehementer expecto. Sed primum paucis ad ea, quae nuper dicta sunt, respondebo. Etsi praeter spem evenit, ut de re tam plana, tam manifesta, tam acris contentio nasceretur: dicam tamen ipse, quae sentio, dicamque audacius hortatu tuo; quanquam video, perquam iniquo me loco tecum hodie certaturum. Nam quid dici potest confidentius, quam hominem me ignarum atque imperitum, & a Philosophiae studiis penitus alienum, atque expertem, audere, tecum de Philosophiae facultate contendere? cuius tanta copia in disputando, tanta in repetendo

Eximia laus Nicolai Sulmonensis.

do memoria, tam denique incredibilis in refellendo vis, & impetus quidam vehementissimus probandi confirmandique omnia, ut saepe, cum te audierim de rebus, ut soles, maximis acerrime disputantem, in admirationem ipse mecum venerim non mediocrem. Nam & in dicendo tanta suavitas, tam aperta rerum maximarum atque amplissimarum explicatio, ut os istud divinum quoddam oraculum esse videatur. Nam & obscurissima quaeque, cognituque difficillima, sic aperis, ut nihil omnino dici possit apertius atque facilius, quod non nisi ex praestanti quodam ingenio solertiaque singulari & omnium magnarum rerum atque artium scientia proficiscitur. Neque enim in sola Philosophia polles, etsi scio, illam solam esse non posse, in qua tu princeps excellis omnes; sed in his etiam, quae ad communem usum vivendi pertinent. Quid dicam in his, quae ad Deos immortales, ad magnitudines atque intervalla, motus traiectationesque stellarum? Quibus in rebus, etsi saepe alias claruisti, tum maxime in eo conventu doctissimorum hominum, quem Perusini superiore anno celebrarunt, omnium es sapientissimus iudicatus. Aderat incredibilis numerus doctorum hominum, &, quos equidem non contemno, eruditi viri illi quidem, & toto terrarum orbe delecti, sed quaquam tibi neque vi, neque memoria, neque ullius artis genere, comparandi,

randi, ne in his quidem, quae ad religionem ſpectant Deorum immortalium, quam unam facultatem illi maxime profitebantur. Quod ſi tantos viros tua incredibili & prope divina ſapientia ſuperaveris, & eorum dicta ſenſaque refelleris, ſi nemo tecum in controverſiam & contentionem venire ſoleat, quin eum, vel reſpondendo mirifice confutes, vel inſtando copia & varietate confundas: quid eſt, quod ego tecum audeam decertare, qui, ſolum hoc biennium Philoſophiae ſtudia ſectatus, vix equidem prima illius elementa perdidici? Nam & dialecticam, ſine qua neminem Stoici futurum putant in oratione ſapientem, ego vero ſemper aſpernatus ſum, tu vero tanta cura ſtudioque complexus, ut quaedam his de rebus volumina confeceris, quae, ut ſunt, ita Inſolubilia videris appellaſſe. Mihi vero legere aliquando cupienti via non dabatur, qua inſiſtere mihi potuiſſem. Nam quae primum confirmas, recte quidem procedere videbantur, mirabili quodam contexta artificio, & acute ſubtiliterque concluſa. Rurſus eadem cum refelleres, miro quodam modo cuncta reſcindebantur, ut, quae vera prius, nullaque in re ambigua, putaveram, ea mox quam falſiſſima iudicarem. Quae quanquam ita ſe haberent: ſaepe me tamen ad legendum invitabant, ſubtili quadam copia & varietate pellectum; libenterque & ipſe ad ea me ſtudia contuliſſem. Sed nec inge-

ingenium, quod quidem his rebus esse debet acerrimum, nec tempus, suppeditare mihi, sentiebam. Quo fit, ut, quam disciplinam atque artem antea saepe contemseram, eius nunc vim & magnitudinem vehementer admirer, saepissimeque in ea percipienda delecter. Quid dicam in Mathematicis? in quibus ipse annum iam pene totum frustra consumsisse videor. Te vero nemo in earum rerum cognitione praestantior, ut non solum, praesentia quae sint, cernas, sed etiam, quae futura, praesentias. Quod genus divinandi non parum tibi peperit gloriae. Sed iam ad rem ipsam accedamus. Enitar enim summa ope, ut, si non graviter & luculente, attamen breviter circumcisеque, respondeam, ne, quod spatii tibi erit opus ad concludendum, frustra meis id ineptiis conteratur. Primum itaque omnium, ut nos quoque ordinem servemus, ingratitudinis definitionem ex ipsius divisione confecisti; quod & recte fieri censes, tanquam a Physicis, quorum tu es longe princeps, usurpatum, & ego tibi perbenigne concedo. Definis autem, esse ingratitudinem, quoties beneficii gratia vel non satis digna referatur. Hoc tibi iecisti fundamentum, quo me vagum ac fluctuantem magno quodam impetu retrusisti, ut qui nullam mihi sedem, aut locum, certa definitione statuissem. Mox ingratitudinem malam non esse, quod neque mali haberet rationem, & esset interdum

Transitio ad rem ipsam, sive ad ulteriorem ingratitudinis considerationem.

Repetuntur autem quasi per compendium superius dicta.

dum a natura ipsa profecta, & a Diis etiam immortalibus frequenter usurpata. Nam & hominum plurimos memorasti, & animalia conquisisti permulta, quorum culpam non in consuetudinem, aut opinionem, sed in ipsam refundere naturam, videbaris. De hominibus mox. Id enim totum est de re nostra. Nam quod ad feras attinet, id nihil ad nos pertinet, de quibus nunc pauca dicemus. Nam si milvus agrestis est semper, si indociles mures atque hirundines, si hericini quoque nulla excepti aetate mansuescunt, si viperae, si cocticis, si omnium denique animalium exemplo nitebaris, quod, ubi coaluerunt, omnem abiiciunt memoriam beneficii; eamque ob rem ingratitudinem in re & natura contineri, non in opinione consistere, nec esse tantopere accusandam, quoniam naturam ipsam accusaremus, a qua nihil posse produci mali, Aristotele auctore, contendebas: videamus per Deos immortales, ne latius, quam necesse est, divagemur, atque aliud inveniamus, quam quod erat perquirendum. Quid enim aliud magis a gratia putamus alienum, quam feritatem? Quid ab ipsa illa, de qua loquebamur, munificentia & liberalitate remotius? Liberalitas quidem & munificentia, gratia, largitio, & quaecunque communia sunt eius generis, in animo sita sunt, atque in eo animo, qui quidem nihil habeat feritatis, sed sit benevolus ac mansuetus, parti-

Demonstraturque paulo uberius, a feris ne quicquam esse beneficentiam ac gratiam discendam aut expectandam,

cepsque rationis. Hinc maleficia, hinc beneficia, gigni atque oriri, dicebamus. Quo igitur pacto feras, aut beneficas esse, dicemus, aut gratas, quae animo careant & ratione, sintque ab omni humanitate benvolentiaque remotae? Appello autem feras non solum, quae ferociam & impetum nocendi habeant, sed omnes, quae vel toto, ut ais, corpore, vel solius naturae motu, impulsioneque, ferantur. Ex quo genere ne aves quidem excipimus. Non ignoras, Stoicos tuos, recte, ut opinor, de vivendi ratione sentientes, non exiguam fecisse dissimilitudinem inter homines ipsos & animalia cetera, ut nihil in illa iuris habere non putent, quae & rationem non habeant, & sensus nutu atque imperio moveantur, tantumque sint semota a nobis, quantum supremo illo coelo haec infima terra seiungitur. Illinc nobis datus est animus; ferae vero ex hoc terreno globo nascuntur. Nam, quod Pythagoras est opinatus, migrare animos nostros divinos & sempiternos in corpora brutorum, id opinionis iam prorsus obsolevit, ut vanum & superstitiosum, & quod ad agrestes illas & imperitas vulgi aures effundebatur. Gratus is maxime habendus est, qui, retenta in animo memoria beneficii, firmam habet rependendi, & perpetuam, voluntatem, quam non impetu fert naturae, sed animi ratione metitur, vultque esse sempiternam; quod est a feris totaliter alienum, cum nec memoria sint

propter ipsarum feritatem naturae.

Descriptio hominis grati.

ſint aliqua, praeſertim diuturna, nec animum habeant, cum modo & ratione coniunctum, ducem atque imperatorem rerum honeſtarum. Minime igitur mirandum, feras ipſas, nec praeſtare beneficia, nec praeſtita ſentire; quanquam multa video tradita memoriae a viris ſortaſſe gratiſſimis, ſed interdum nimis levia ſectatis. Demetrius, Phyſicus, auctor eſt, pantheram, ferum quidem animal, & natura truculentum, cum forte catulos, qui in foveam ceciderant, levare non poſſet, ſedentem in viam, homini diu expectato moeſtum & quaſi ſupplicem occurriſſe, togaque leniter acceptum, ad foveam uſque perduxiſſe, tum vero blandientem, & manifeſto ſeſe dolore conflictantem, quid eum facere oporteret, nutu ſignificaſſe, mox, eductis catulis, virum per deſertiſſimas ſolitudines comitatum, reddita nutu ac plauſu gratia, tuto in loco dimiſiſſe, ſic aſpidem, ab Aegyptio quodam educatam, dum forte catulos in illius domo peperiſſet, ex hiſque unus hoſpitis filium interemiſſet, reverſam ad cibum, cognitaque culpa, catulo necem intuliſſe, ſic etiam draconem Arcadico puero, a quo fuerat nutritus, opem attuliſſe. Mira de delphinis memoriae tradita referuntur, vexiſſe interdum pueros in intimum uſque mare, eoſque deinde ad locum priſtinum revexiſſe; mortuis vero pueris, eos moerore atque anguſtia fuiſſe conſumtos. Multa noſtri maio-

Exempla aliquot ferarum, a multis pro gratis habitarum, ut pantherae,

aſpidis,

draconis,

delphinorum,

res litteris mandaverunt, quae, si animum inducere possumus, ut vera fuisse, non ficta, credamus: facile constat, animalia quoque sentire beneficium, & esse liberalia. Nam quae de Cyrrho, Romuloque tradunt, quorum alter est a cane educatus, a lupo alter: quid, nisi tantam, quantam natura ipsa patiatur, beneficentiam, significare in brutis animantibus, voluerunt? Sic Sandrum Cocum, Alexandri ducem, longa fuga desudantem, a leone fuisse detersum, pugnantem vero ab elephante, quem nunquam antea viderat, tergo exceptum. Multo mirabilius, quod sequitur. Gargaris, qui postea est Abydis appellatus, ab avo exponi iussus (erat enim ex filiae adulterio natus) plurimarum lacte ferarum, ubera sua sponte praebentium, nutritus; mox suibus obiectus, ut eum, fame coacti, lacerarent, illaesus remansit; postremo deiectum in mare, & in littus sua forte depulsum, cerva quaedam excepit, eumque densissimis in montibus educavit. Captus tamen a venatoribus, & avo dono datus, tot periculis ferarum beneficio superatis, regno successit. At Platonis labiis, cum esset infans, apes insederunt. Fuit deinde, ut accepi, suavissimus. Roscium, cum vix esset natus, serpens implicavit, credo, futuram corporis agilitatem, volubilitatemque portendens. Quid Mida? in cuius os formicae triticum congesserunt. Divinabant, ut opinor, hominem illum fore quam

Sequuntur exempla ferarum, pro beneficis liberalibusque creditarum, ut canis, lupae, leonis elephantis, suum, cervae, apum, serpentis, formicarum,

quam ditissimum. Sic Hieronem, illum optimum & clarissimum virum, amicissimumque populi Romani, expositum a patre, quoniam ex ancilla natus esset, apes ipsae, congesto in os melle, diebus aliquot aluerunt. Nec multo post, cum esset in ludo litteris operam daturus, tabulam lupus eripuit, primaque deinde bella gerenti & aquila in clypeo, & noctua in hasta, consedit. Sed quid miracula persequimur? Haec, & his quae sunt similia, vel vera censenda non sunt, sed a vetustissimis ad quandam originis maiestatem gloriamque conficta, vel, si pro veris habenda censeamus, profecto non impulsu naturae suae ferae tanta beneficia praestiterunt, sed nutu potius, & imperio Deorum immortalium, ad futuram illorum magnitudinem portendendam. Quod facile quidem potest apparere, cum in aliis permultis, quos non est opus referre, tum vel maxime in his, quos ipse paulo ante memoravi. Omnes enim ad id tandem praestantiae dignitatisque pervaserunt, ut digni sane visi sint, qui non quidem a feris, sed a Diis ipsis immortalibus per feras, alerentur, ut egregium quendam, nec vulgarem, ortum habuisse, & divinitatis auxilio digni fuisse, viderentur. Quod si nec divinitatem aliquam, nec rursus figmentum credamus affuisse: causam agimus meam, tametsi hoc modo agi non valde contendo, nec feras beneficas existimari velim. Quae si

iterum apum, lupi, aquilae, noctuae. Quae vero tantum abest, ut rem rite declarent, ut potius in obscuro relinquant;

si essent, fortasse beneficentia & ipsae caperentur. Sed id nos, ut in magno quidem discrimine, ponamus, benefecerint ferae, nec ne? vicimus sane, si benefecerint, grataeque fuerint; sin vero nihil tale egerint, non iccirco de causa decidimus. Cetera enim animalia, vel nunquam potuerunt referre gratiam, vel extemplo duntaxat post accepta beneficia potuerunt. Carent enim ratione atque memoria, ut, nisi quae praesentia sint, non prospiciant, expertiaque rationis, non nisi vi sensus impulsa, moveantur. Sensus autem, ut saepe me admonuisti, nec praeterita admodum, nec futura, complectitur, sed ea sola, quae praesentia sunt positaque ante oculos, intuetur. Gratitudo vero & ingratitudo non modo in praesentium, sed in praeteritarum, futurarumque, rerum cognitione, memoriaque versatur. Adveniente hyeme, tenere accipiter noctu passerem dicitur, implicitum unguibus, pectorique suppositum, cuius calore fotus, a brumae frigore defendatur; mane vero, cogitato beneficio, dimittit illaesum. Itaque valet recens memoria in feris; sed ea tamen diuturna manere nullo modo potest. Coctix nutricem suam interimit. Non est dicenda ingratitudo, sed natura potius, & vis quaedam ita faciendi, quae illi ab origine sic videtur insita, ut eam naturae suae legem praeterire non possit. Hominis autem praeclara est, divinaque natura, & ea ipsa ita

Et id potissimum quidem ob feritatem naturae.

Longe tamen aliter cum

ita

ita comparata, ut pulcherrimum & commodissimum in vita ducat, liberalitate & munificentia uti sempiterna, mutuaque semper beneficia ultro citroque conferre. Habet enim animum, moderatorem ac principem, & laudis atque honestatis hortatorem, cuius nutu atque imperio gubernatur. Sic amicitiam colimus, sic misericordia tangimur trahimurque humanitate. Amicos autem non solum natura comparamus, ut aves atque ferae, quae coetus & greges cogunt, nec aliae, quam aliae, sese diligunt, sed tantum se universae naturali quodam societate coniungunt; nos arte, nos studio, nos diligentia, nos officio, confirmamur. Milvi semper oderunt corvos, cygni aquilas, gryphes equas, noctuam cornices insectantur, non quia privata quaedam intercessit iniuria, sed quoniam ita ferantur natura. Contra vero permagna est pavonis amicitia cum columba, si modo amicitia possit appellari. Amat turturem psittacus; perexigua est inter eos similitudo naturae. Quid tum? Feruntur enim sensu quodam insito, non usu, non consuetudine aliqua, quae plurimum in amicitia valet. Itaque non privatis beneficiis, non studio, non moribus, sese amant, neque est aliquod inter eos quasi discrimen amoris, ut alium, quam alium, magis amare videantur, nec ulla re in odium concitantur, aut conciliantur in amicitiam. Quod enim a natura est insitum, constans

homine comparata res est; quippe qui sola mente regitur, ac ratione; quibus vero cetera animalia carent.

si essent, fortasse beneficentia & ipsae caperentur. Sed id nos, ut in magno quidem discrimine, ponamus, benefecerint ferae, nec ne? vicimus sane, si benefecerint, grataeque fuerint; sin vero nihil tale egerint, non iccirco de causa decidimus. Cetera enim animalia, vel nunquam potuerunt referre gratiam, vel extemplo duntaxat post accepta beneficia potuerunt. Carent enim ratione atque memoria, ut, nisi quae praesentia sint, non prospiciant, expertiaque rationis, non nisi vi sensus impulsa, moveantur. Sensus autem, ut saepe me admonuisti, nec praeterita admodum, nec futura, complectitur, sed ea sola, quae praesentia sunt positaque ante oculos, intuetur. Gratitudo vero & ingratitudo non modo in praesentium, sed in praeteritarum, futurarumque, rerum cognitione, memoriaque versatur. Adveniente hyeme, tenere accipiter noctu passerem dicitur, implicitum unguibus, pectorique suppositum, cuius calore fotus, a brumae frigore defendatur; mane vero, cogitato beneficio, dimittit illaesum. Itaque valet recens memoria in feris; sed ea tamen diuturna manere nullo modo potest. Coctix nutricem suam interimit. Non est dicenda ingratitudo, sed natura potius, & vis quaedam ita faciendi, quae illi ab origine sic videtur insita, ut eam naturae suae legem praeterire non possit. Hominis autem praeclara est, divinaque natura, & ea ipsa ita

Et id potissimum quidem ob feritatem naturae.

Longe tamen aliter cum

ita comparata, ut pulcherrimum & commodissimum in vita ducat, liberalitate & munificentia uti sempiterna, mutuaque semper beneficia ultro citroque conferre. Habet enim animum, moderatorem ac principem, & laudis atque honestatis hortatorem, cuius nutu atque imperio gubernatur. Sic amicitiam colimus, sic misericordia tangimur trahimurque humanitate. Amicos autem non solum natura comparamus, ut aves atque ferae, quae coetus & greges cogunt, nec aliae, quam aliae, sese diligunt, sed tantum se universae naturali quodam societate coniungunt; nos arte, nos studio, nos diligentia, nos officio, confirmamur. Milvi semper oderunt corvos, cygni aquilas, gryphes equas, noctuam cornices insectantur, non quia privata quaedam intercessit iniuria, sed quoniam ita ferantur natura. Contra vero permagna est pavonis amicitia cum columba, si modo amicitia possit appellari. Amat turturem psittacus; perexigua est inter eos similitudo naturae. Quid tum? Feruntur enim sensu quodam insito, non usu, non consuetudine aliqua, quae plurimum in amicitia valet. Itaque non privatis beneficiis, non studio, non moribus, sese amant, neque est aliquod inter eos quasi discrimen amoris, ut alium, quam alium, magis amare videantur, nec ulla re in odium concitantur, aut conciliantur in amicitiam. Quod enim a natura est insitum, constans

homine comparata res est; quippe qui sola mente regitur, ac ratione; quibus vero cetera animalia carent.

est, atque perpetuum, vincitque saepe natura rationem. Illa stabilis manet, haec loco temporeque mutatur. Homo vero sanctum & divinum animal, non solum naturam habet insitam, sed etiam, comitem animi, rationem. Quaedam illi ab animo rationeque tribuuntur, quaedam insunt ab ipsa natura. Nam potum, cibum, appetitumque coeundi, quoniam sunt impermutabiles, negare certe non possumus, a sola, quam iam saepe dixi, natura proficisci. Ceterum benevolentiam, humanitatem, modestiam, mansuetudinem, clementiam, & inprimis liberalitatem, quoniam sunt etiam ab animo, & plerumque permutantur, quis inficiari possit, a sola aut provenire, aut confirmari, ratione? Ratio vero non solum, quae sunt, sequitur, sed magis etiam, quae videntur. Itaque solet, vel ignorantia, vel nequitia & improbitate, loco temporeque, permutari, ut, quos habuimus amicos, aliqua statim de causa fiant inimici, qui fuerunt liberales, avarissimi quidem efficiantur. Video, campum mihi patere latissimum, si hominis praestantiam complecti vellem, dissimilitudinemque a ceteris animantibus, a quibus tantum, mea quidem sententia, distat, quantum nec a nocte dies, nec coelum a terra seiungitur. Sed, non oblitus instituti, dicam, si fieri poterit, quam brevissime. Omnis nostra vita dandis accipiendisque muneribus, & alterna quadam liberalitate, mutuaque benefi-

Unde etiam omnis mutatio, cui vita hominum subiacet.

Ratio est gubernatrix

neficentia continetur, totaque ex caritate & benevolentia constans, in officio & ratione versatur. Hinc novas eorum, quos saepe nunquam vidimus, amicitias comparamus; hinc laudem, decus, gloriam, vindicamus; divitias, opes, dignitatesque consequimur. Nam quid tot principum praeclara gesta? tanta maximorum potentissimorumque Regum magnificentia memoratur? in quibus nihil omnino potest esse perversius, quam non esse beneficos. Nemo tam dives, & cui rerum omnium abundantia copiaque suppeditet, qui non aliorum egeat adiumento. Si calces, domum, vestimenta, & cetera id genus, ad usum rei familiaris attinentia, conquiremus: non profecto a nobis ipsis haec omnia, sed ab alio quodam, quaerere oportebit. Hinc civitates & hospitia; hinc fora; hinc Deorum immortalium templa constituta, ut homines multi, qui in solitudine degere vix potuissent, in societatem, unaque moenia convenirent, ubi simul habitantes, mutuam inter se operam auxiliumque praestarent. Ferae autem, quoniam progressi sumus fortasse longius, nec ad nidos conficiendos, nec ad aliquid tale, cuiusquam operae videntur indigere. Itaque singulae sibi nidos aedificant, novas amicitias parant nullas, liberalitate prorsus, & munificentia, vacant. Si quid habent societatis, id habent a natura; sed nec alia cibum alii concedet unquam, nec aliena suis in nidis

omnium rerum atque actionum humanarum.

Ferae contra, non nisi impulsu naturae, aut sensus, trahuntur.

dis ova suscipiet, fovebit, educabit. Quid in homine? Facimus convivia, &, quod est multo, ut arbitror, liberalius, hospitii iura servamus, amicos, filios, & propinquos, alimus, sustentamus, erudimus, incredibilique studio & humanitate complectimur. Sed, ne longe a calle deerremus, nec gratae dicendae sunt ferae, nec rursus ingratae iudicandae; veluti lapidem neque vivum, dicimus, esse, si moveatur, neque mortuum etiam iacentem appellamus. Quod enim vitam nunquam habuit, occidit nunquam. Carent animo ferae, carent ratione & memoria. Non igitur beneficium accepere. Quod, ut a solo est animo profectum, sic in solo etiam animo collocatur, retineturque memoria: quae si excidat, tum demum maxime efficiemur ingrati. Quae autem de terra obiiciebantur, idem tibi censeo respondendum, neque beneficam esse, neque liberalem, neque maleficam, neque ingratam, existimandam, cum beneficium, quod a solo est animo, referre & praestare non possit. Nam quod victum nobis atque alimenta suppeditet, ut ipse graviter quidem, & prope divine, memorasti, non magnopere me movet. Habet enim id iniunctum a Deo, & a natura, ut gignat animalia, foveat, alat, atque sustentet, quo tanquam munere fungatur suo. Quod vel ex hoc licet intelligere. Non enim magis in hominem, quam in animantes alios, videtur esse benefica.

Unde cave, istas gratas, aut ingratas, iudices.

Quod maxime etiam de terra valet;

Quae

Quae si aliquot in locis est pestilens, ut satae fruges, aut nequaquam omnino, aut perniciosae, mortiferaeque nascantur: id vel ex coeli fit inclementia, vel ex his, quae sub terra sunt, venis metallorum, quibus, necesse est, sementes, aut inficiantur, aut, extinctae funditus, nequaquam oriantur. Quid in aquis? Late video patere naturam. Alias pestilentes ferae non bibunt; aliae statim, si bibantur, interimunt. Habet Arcadia fontem prope agrum Nonacrinum, quem ab effectu stygem veteres appellaverunt. Contra vero in Baiano nostro, quem in locum tu saepe secessisti, cum temperie coeli, tum maxime loci amoenitate pellectus, quot fontes longe saluberrimi? Quid illum Dodonei Iovis fontem? ut nos quoque lusisse videamur; faces incendit extinctas, extinguit incensas. Quid illum alium Iovis Hammonis? Quid alium Solis Introgoditis, gelidos interdiu, noctu vero calidissimos? Mirum id quidem, nec tantopere mirandum, si ferverent interdiu. Nam & fontem Alesinae cytharae sono concitari, ferunt, qui de magnis maiora loquuntur, & quasi ad tripudium prosilire. Sed haec omnia, nescio equidem, an ad aliud, quam ad naturam ipsam, referantur? in qua nihil profecto loci habet ingratitudo, quae in opinione potius, ut arbitror, sita est, quam in re atque natura. Idem in elementis aliis ostendissem; sed videri fortasse longior potuissem, & tibi multo

item de aquis,

ut in fonte styge, Baiano,

Iovis Dodonei,

& Hammonis, item Solis Introgoditis;

& ita porro in reliquis rebus.

to notiora sunt omnia. Quam ob rem non conquiramus, quae nihil admonere me possint. Plus enim ab animo haec, quam a coelo terra, seiunguntur. Animus ipse gratiarum est domicilium, quo quicunque vacant, nec sentiunt gratias, ut admittant, nec beneficio aliquo, maleficioque tanguntur. Animus est liberalis, idem largus atque beneficus. Quippe si quodvis amplissimum munus, si universum aerarium, si denique vitam ipsam, idque animo invito, in aliquem conferamus, non sumus dicendi benefici. Contra si maxima detrimenta, si acerbissimas calamitates, si cladem, vel amicis & familiaribus nostris, inferamus, idque faciamus inviti, ingrati existimandi non sumus animo. Ex omnibus enim rebus, quas Dii immortales hominum generi tribuerunt, sunt autem innumerabiles, nihil sibi referri postulant, praeter animum expetitum atque sincerum, & omni terrena contagione vacantem. Sic auspicia, vota, ceremonias, litationes, sacraque solennia, tum demum rite fieri, opinamur, cum animo fiunt puro, & vestibus illis prope simillimo, quae non nisi candidissimae solent adhiberi. Sic etiam, quae ad nostram pertinent religionem, omnium, quae sunt, quaeque fuerunt, optimum atque sanctissimum, animum expetunt longe purissimum, nullo fuco nullisque obscoeniis atque illecebris depravatum. Dii namque immortales non munera intuentur, quorum

Animus vero solus est fons atque origo gratiae, liberalitatis, beneficentiae;

ut & malevolentiae;

immo ipsius cultus divini,

quorum minime illi quidem egent; ſed animum reſpiciunt, cuius affinitate, & tanquam amicitia, delectantur. Quem ſi pollutum, contaminatumque cognoverint, nihil ſecum putant habere commune; ſed a ſua potius natura deerrantem, exutum ſua excellentia, cenſent, coeleſtique divinitatis propinquitate ſpoliatum. Vides, quo me, tanquam in altum, deducat oratio. Sed contraham vela, ne in peregrina, mihique incognita, maria devehamur. Deos tu quidem dicis imitandos. Sed illi ab animo repetunt beneficium. Num igitur a trunco? num a lapide? num tandem a feris ipſis? num etiam a terra, quam tu maxime contendebas eſſe beneficam? Mihi quidem perſuadere non poteris, ut hanc ipſam gratam ingratamve dicendam eſſe fatear; etſi ſcio, in eam te ſententiam, non quidem quod ita ſentires, ſed tentandi mei gratia, pleraque neque vera, neque probabilia, conieciſſe. Quanquam ſurdo fabulam decantaſti. Meliora quaedam memoria teneo, eaque a te ipſo in aequum erant otium diſputata, non iocandi aut tentandi mei, ut nunc, gratia, ſed erudiendi potius, & ad Philoſophiam iſtam tuam claram atque veriſſimam recto, ut dicitur, tramite perducendi. Quocirca feras iſtas procul abiiciamus. Exemplo enim nobis eſſe non posſunt, ut, qui eas imitari velint, hi maxime ferae dicendi eſſe videantur. Ii rationem, quam habent, aſpernantur; illae nunquam rationem

Additur ulterior adhuc, luculentiorque probatio;

& quidem argumentis ab ipso homine petitis.

rationem habere potuerunt. Sed iam ad homines veniamus, ut in area nostra latius aliquando versemur. Sunt enim totaliter de re nostra. Sed eos quoque quam brevissime perstringemus, ut tempus tibi relinquatur ad concludendum. Nam esse Deos ingratos, non attinet dicere, nisi maxime, & videri, & esse, velimus ingrati. Qui si aurum, ut tu dicebas, pro farre non referant, cave, tamen ingratos censeas esse dicendos. Sciunt enim, quid nobis, ut ait Poeta, rebusque sit utile nostris, quid etiam unicuique referendum; sumusque homines, ut ait idem, illis, quam nobis, multo cariores. Quocirca cum Diis hac in re minime contendamus. Sed ego vim tuam memoriae, incredibilemque rerum omnium notitiam, vehementer admiror. Nam quae in Philosophia graviter & copiose loquebaris: nunquam mihi aliter persuaseram. Sciebam enim, esse te omnium in ea facultate doctissimum. Sed quae ad historiam pertinent, nullam tibi fuisse vel curam, vel notitiam, arbitrabar. Verum unde tot efficacissima vetustissimorum hominum exempla manarunt? qui tot ingratos undique, tanquam ex historiae agro, unam in aream, congessisti, ut inficiari iure non possim, te non solum Philosophum esse acerrimum, sed omnium aliarum magnarum rerum diligentissimum inquisitorem, ut, tanquam Leontinus ille, omni de re possis quam accumulatissime dispu-

disputare. Hoc quidem Philosophus, mea sententia, melior, quod ille sibi auream, ut ferunt, statuam collocavit, te vero, nihil ad ostentationem, sed ad veritatem omnia, referentem, nulla unquam praecipitem egit ambitio. Sed ne feramur longius: ingratos istos paulisper, si placet, consideremus. Qui si fuerint natura ingrati, fateor, necesse est, mea me sententia esse deiectum; sin vero nec natura, nec omnes in ingratitudinem inciderunt, velim, ab ista tua tam acri vi & oppugnatione desistas, meque meis sedibus stare patiaris. Primum omnium mihi Diogenem, tanquam esset aliqua mihi cum Diogene contentio, mordacem sane hominem, ut Cinicum, ingratum tamen dicendum esse non arbitror. Qui si conviciis persequebatur omnes: quid aliud agebat, quam praecipuam quandam in universum genus humanum caritatem? Vide, ne me mordeas, Diogenes, dum haec a te postulo. Quid oblatrabas malis? Quid censeamus fuisse responsurum, nisi id, quod aliquando respondit? cum vitiis perditi mores haberent longe turpissimos. Quid rursus irascebaris bonis? cum, inquit, inter malorum vitia flagitiaque versarentur. Utrique sane obiurgatione dignissimi. An igitur ingratitudinis illum censes accusandum? Quid parentes ipsi dicere nobis benevolentius potuissent, quam vt nec essemus ipsi mali, nec cum malis vitae consuetudinem haberemus?

Repetuntur exempla superius iam allata, ad quae paulo accuratius a Campano respondetur;

utpote Diogenis,

Bonos

Bonos ille inveniri paucos existimabat, quos interdum per meridiem lucerna quaerebat. Si qui tamen invenirentur boni, eos imagines dicebat esse Deorum. Quam praeterea gratus in Corinthium Xeniadem, a quo cum esset emtus, liberos eius singulari cum diligentia sanctissimis atque optimis disciplinis erudivit, & tu eum appellare audes ingratum? Quid de Democrito atque Heraclito dicam? quorum alter deliramenta ridebat humana, miserabatur alter, ut ingentem quandam caritatem in omnes videantur habuisse mortales, quibus non haec caduca & fluxa consectanda, sed virtutem & divitiarum aeternarumque rerum contemplationem habendam esse, monstrabant; quod ipsi, rebus ceteris contemtis atque despectis, omni soluti cura, faciebant. Potuit fortasse ob hoc durior videri Democritus, quod per desertas solitudines, perque hominum sepulchra, oberrabat. An putas, ut mortuos etiam irrideret? Minime id quidem opinor, sed ut, nullis turbis ac coetibus impeditus, & quasi ad mortuos abstracti animi contemplatione traductus, quae vellet, expedite libereque contemplaretur, nec distraheretur animus occursu & praesentia rerum alienarum. Hoc si odium generis humani dicendum, si rursus ingratitudinem appellandum esse, censeamus: multi profecto sanctissimi viri atque optimi in eandem incidisse calumniam & humanitatis inimici fuisse

Democriti atque Heracliti.

fuisse asperrimi viderentur, qui cum patrum nostrorum, tum etiam nostra, memoria, patriis laribus, urbanisque amoenitatibus & domesticis, praetermissis deliciis, in sylvis ac montibus vitam omnem solitarii peregerunt, ne se humanis contagionibus & quasi vinculis circumplicitum se totos ac liberos ad contemplandam Deorum immortalium gloriam magnitudinemque conferrent. Quos ego si appellem ingratos: tam inique faciam, quam qui, quod ipsi praestare non possunt, id carpere nituntur in ceteris. Timonem vero, quem ais Atheniensem, inficiari non possum, hominem fuisse duriorem & natura fortassis ingratum. Quod tamen si ab animo eius dissentiebat oratio: num quenquam interfecit? num hostibus patriam prodidit? num eius urbs incendio conflagravit? num denique quenquam factis offendit? Non possumus dicere id quidem; sed fac, fuisse omni, ut ais, rebellem humanitati, & hominem dicendum putamus, natura durissimum. Nam mihi non accusare naturam placet. Nec Timonem istum magnopere defendam. Quis illum exitus excepit, cives suos, ut se suspenderent, admonentem. Nonne publice caesum lapidibus obruerunt? Quod non fecissent, nisi ingratitudinem rem esse malam, & summo dignam supplicio, iudicassent. Et erant Athenienses non imperiti rerum existimatores, & in maximis etiam sceleribus, sola, ut ferunt, cicuta con- Timonis.

 tenti.

tenti. In Timonem vero, tanquam aliquod maius facinus ausum, & reum ingratitudinis, plus excogitandum supplicii putaverunt. Ego vero nunquam inficiabor, & Timonem inhumanum, & multos aliquando ingratos, extitisse. Sed in his, ut saepe diximus, naturam accusandam esse, non puto. Fieri enim potest, ut causa aliqua, quae sit nobis incognita, fuerint ingrati. Sed ego non quaero. Non enim id nunc agitur, sintne ingrati? quorum ego numerum, scio, esse quam maximum; sed an sit ingratitudo habenda naturalis? Haec nunc igitur controversia. Quae cum absoluta sit, parum admodum mihi erit elaborandum; quanquam in arctissimas tu me fauces atque angustias compulisti, ut, nisi pedem referam, effugere nullo modo possim. Bonam esse ingratitudinem, ideo contendebas, cum esset a natura. Naturalem autem propterea dicebas, cum multi non casu aliquo, sed nati potius, viderentur ingrati; naturam autem ita comparatam, ut nihil, nisi quod bonum esset, excogitaret, nihilque gigneret, quod quidem esset in mali ratione reponendum. Possum haec omnia confiteri; possum rursus negare omnia. Quod si fecero, magis meae servivero causae, faciliusque ista tua tela repulero. Quod si Pyrrhonios illos velim imitari, qui nihil vel natura bonum, vel natura malum, opinantes, haec, quae appellamus bona, quae etiam mala; quae

Quaeritur, an sit ingratitudo habenda naturalis?

Opinio Pyrrhoniorum,

quae honesta, quae turpia, nominamus, solius opinionis esse voluerunt; quod sentiebat Archelaus, haud absurde fortasse, (neque enim temere ad id opinionis inducebantur) quid potest videri nobis calamitosius morte? Parentibus & propinquis nostris e vita migrantibus, moesti lucem non aspectamus, plangimus, lamentamur, manus pedesque concutimus, capillos etiam & vestimenta proscindimus. Nihil hoc luctu miserius. Sunt tamen, qui hoc non solum id ipsum moleste non ferant, sed parentum filiorumque funera cantu ac laetitia persequantur; quales in Asia tradit Euripides, quorum, cum nascuntur liberi, ululatus undique exaudiuntur, cum in miseriam putant natos esse sempiternam; mortuis vero congratulantur, tanquam rem adeptis longe praeclaram. Vide, quid agat opinio. Nos mortuos lugemus, tanquam omni privatos felicitate; illi nascentes deplorant, tanquam in miseriarum & tempestatum mare deiectos. Persae filiarum nuptiis permiscentur. Nihil apud nos detestabilius. Quidam parentum cadavera torrere ac comedere dicuntur. Nihil apud nos potest esse nefandius. Quid ita, si quis me roget? Nihil afferam praeter opinionem, quae tamen illis quoque potest esse probabilis. Satius enim putant, in filiorum visceribus condi corpora parentum, quam humi sita, vermibus aut serpentibus devorari, quae pie se facere opinantur. Tanta

& Archelai.

Vis atque potestas solius opinionis.

ta igitur rerum omnium varietas non a natura, quae una eſt atque eadem apud omnes, ſed a ſola opinionum diverſitate, manavit. Nam ut eſt cuique de re aliqua perſuaſum, ſic variam fert dicendi faciendique ſententiam; non quod ita ſit ſemper, quale ſentiatur. Magnae ſunt vires opinionis. Radices enim emittit altiſſimas, quae, cum animo inſederunt atque inveteraverunt, uno conſenſu multorum deleri ac funditus exſtirpari non facile poſſunt. Sed tamen miſſos faciamus Aporeticos, eorumque principem, Pyrrhonem, abiiciamus, nihil natura neque turpe, neque honeſtum, exiſtimantem, ſed ad hanc, quam diu agimus, opinionem & conſuetudinem omnia referentem, cui ego, ne forte parum ſit a me, nequaquam aſſentior. Dedit nobis natura lumina quaedam honeſtatis. Ad ea nos, qui per vitiorum tenebras obſcuri atque incerti divagamur, ſuo ingenti ſplendore dirigimur; quae niſi pravis moribus extincta fuerint, ad quamvis nos gloriam magnitudinemque perducent. Placet igitur imitari Stoicos, qui, cum virtutem omnium humanarum divinarumque rerum optimam & pretioſiſſimam fateantur, vitia maxime illi contraria atque adverſa putaverunt, eaque perniciosa eſſe, & ad bene beateque vivendum nullo modo conducentia, nec ita nudam naturam relinquendam putaverunt, ut non multa illi bona ineſſent atque honeſta, quae

Quae ſint naturae,

quae ſua ipſa ſponte produceret. Sed video, te mutaſſe ſententiam, nec in eadem, qua prius, opinione perſiſtere. Quoties ipſe me admonuiſti, non omnia dicenda eſſe naturalia, quae reperirentur in natura, ſed ea ſolum, quae vel ſemper, vel plerumque, contingerent. Multos enim videmus caecos; an ſit caecitas illa naturalis? Datum eſt nobis lege naturae, ut bipedes, ut rationis mentisque participes, ut apti denique ad ridendum, oriamur. At ſi quis vel vno pede, vel pluribus, quam quibus naſci homines ſoleant, vel hebes, atque inſanus & rationis expers, oriatur: quis eſt, qui dicere auſit, ortum hunc eſſe naturalem, & non potius contra naturam factum? Riſit ſemel in omni vita Craſſus; Zoroaſtres vero, qua die natus eſt, riſiſſe fertur; credo, propter ſidera & ſtellas, quas eſt poſtea ſumma cum diligentia contemplatus. At Demophon, Alexandri miles, egregie tremebat ad ſolem, caleſcebat ad umbram. An igitur haec talia, quae pauciſſimis contingant, cenſes dicenda naturalia? Quod ſi multi ſunt ingrati, quod ego tibi nunquam ſum inficiatus, ſi multi ſcelerati ac deteſtabiles, ſi nulla denique civitas improborum vacua, ut ait Xenophon, quod propter tam immenſam multitudinem neceſſe eſt evenire; quidnam aliud ingrati, quid mali, deteſtabilesque, dicuntur, niſi quia, legibus naturae non parentes, eius ordinem funditus perverterunt?

adeoque naturalia.

Exempla.

Applicatio dictorum ad ingratitudinem.

Magna vis est naturae, optimum sibi in omni rerum procreatione proponit; sed tamen, ut Democriti careat medicamento, quo boni, pulchri & fortunati liberi nascebantur, deficit interdum, &, quod proponit, praestare non potest; a quo si quid gignatur mali, quod fere non accidit, id praeter suum morem eveniet. Fures quotidie suspenduntur; adulteri & parricidae, & qui sunt eiusmodi, acerbissimis suppliciis cruciantur. Cur ita magnus est numerus eorum? sed, ut bonis aequari non possit; putasne datum natura, ut adulteri, ut parricidae, ut fures, efficiantur, quoniam multi inveniantur tales? Ego vero ita sentio. Sed, rectene sentiam, nescio; hoc tantum scio, te quoque idem aliquando sensisse, eam rem solum appellandam esse naturalem, in qua aut omnes, aut plerique, semperque consentiant; contra vero naturam omnia, quaecunque rara insperataque contingant. Quod si populus Romanus adversus plurimos est habitus ingratus, quod ego tibi non plane assentior, si Thebani, si Carthaginenses, si denique permulti; modo id videndum est, an & semper, & in omnes, fuerint ingrati. In exilium profectus Africanus ingratam patriam appellavit. Nolo disputare, an recte appellaverit, cui & Consulatus ante tempus & honores amplissimi decreti. Orantem praeterea tanta turba in Capitolium secuta, ut magistratus pene soli & subsellia vacua remane-

maxime per exempla.

manerent. At vero, cum Petilii diem illi dicere voluerunt, vocatus in iudicium, & causam dicere iussus, patriae ingratitudinem exprobravit. Quid si iudicium vel amore, vel magnitudine rerum a se militiae gestarum, vel auctoritate, devitasset; quantam legibus fecisset iniuriam? Sustulisset aequitatem, ius patrium pervertisset, & libertatem populi Romani a se defensam offendisset. Idem in Camillo. Pluris enim auctoritatem publicam, quam privatam dignitatem, facere voluerunt. Quo plane licet intelligere, Romae non tam privatam gloriam paucorum, quam publica legum iura, valuisse. Idem in ceteris censeo esse dicendum. Nullam enim, arbitror, Rempublicam tam dementem esse potuisse, in qua plurimorum sententiae vigent, ut in ingratitudinem communi omnium consensu vel errore aliquo, vel dolo, avaritiaque, conciderit. Sed fac, omnes fuisse ingratos, quos ipse paulo ante memorasti, (non enim est contra me) illud modo videndum est, an fuerint & omne, & semper, ingrati, vel, id si nimium tibi videatur, an plerique, & frequenter. Quod si esset, non possem non asseverare, ingratitudinem rem esse naturalem, nec ulla reprehensione dignam. Sed longe opinor aliter. Nam si Cn. Pompeius male egit cum Carbone, si Popilius in Ciceronem, Sextilius in Caesarem oratorem, Bersus in Darium, multo fuerunt ingratissimi? num eos

censes in ceteros omnes, num etiam semper, ingratos extitisse? Quid si grati fuerunt aliquando, vel in eos ipsos, quibus postea fortasse non sine causa nocuerunt? Sed non est propositum, causam agere ingratorum, quos ego ne vita quidem, nedum patrono, dignos existimo. Sed quid si isti, quos nunc tam vehementer accusas, aliqua in re lacessiti atque offensi, non tam inferre, quam ulcisci, iniuriam, putaverunt? Sed eos, ut dixi, minime defendo; pauca tamen afferam exempla maiorum, eaque perbreviter, ut quid illi de ingratitudine senserint, intelligere valeamus. Primum omnium populum Romanum consideremus, quem tu quasi reum capitis damnare videbaris, cum in plurimos fuisset ingratus, qui, si de se optime meritos non ornaverit, sed contemserit, non gratia, sed ignominia persecutus fuerit, suppliciis quamvis durissimis afficiantur. Sin vero, qui vel in officio & societate mansere, vel in rebus adversis opem auxiliumque tulerunt, maxima sunt ab illo beneficiorum praemia consecuti, eum, si placet, ab hac quasi forensi decertatione liberemus. Etenim consideranti mihi saepe numero & rerum a populo Romano domi militiaeque gestarum magnitudinem cogitanti, nulla maior causa videri solet ad tantam illam nominis atque imperii gloriam provexisse, quam ingens quaedam & incredibilis actio gratiarum, & beneficiorum admirabilis compen-

Quid de ingratitudine senserint maiores, quam uberrime docetur, partim exemplo Romanorum;

compenſatio adverſus omnes, a quibuscunque beneficium vel perexiguum accepiſſet. Quibus enim praemiis cives ſuos perſequebatur, qui praeclarum aliquod facinus pro Republica peregiſſent? Eorum augebat dignitatem; auctam vero opibus, auctoritate, gloria, exornabat, quibus provocatus optimus quisque labores duriſſimos terra marique perpeti, capitis pericula ſubire, mortem pro patria appetere, non dubitabat. Qui niſi cum privatim, tum publice, fuiſſent exornati; neſcio, an tantam ad eas res gerendas animi magnitudinem contuliſſent. Omnibus enim, qui dignitatem populi Romani atque imperium tuerentur, qui Rempublicam augerent, eamque diligenter administrarent, maxima erant propoſita praemia. Quippe qui inſignius quicquam domi militiaeque geſſiſſet, huic coronae, huic ſtatuae, huic orationes, huic triumphi, huic ornamenta, huic mille rerum geſtarum inſignia, parabantur. Nam quid arbitraris, Romanos tot genera excogitaſſe coronarum, niſi ut cives ſuos, qui aliqua virtutis gloria floruiſſent, laudum meritis proſequerentur ampliſſimis, eosque ad res magnas obeundas ardentius excitarent. Qui urbem aliquam obſidione liberaſſet, obſidionali donabatur corona; Civica, qui captum civem hoſtibus eripuiſſet. Qui vero primus in hoſtium muros proſiluiſſet, muralem; qui primum in caſtra hoſtium irrupiſſet, caſtrenſem accipiebat.

piebat. Quid in bello maritimo? Qui primus in hostium prosiluisset navim, navali; quique illorum magnum numerum vel mari, vel terra, cecidisset, triumphali; qui non magnum fudisset numerum, tamen bellum, parta victoria, confecisset, ovali coronabatur. Et ne quid sine praemio fieri posse videretur, si qui, bello cum ipsi non interfuissent, aliquid tamen pro imperatoris victoria procurassent, hi quoque sua virtutis ornamenta consequebantur. Imperatorem si quis in bello servasset, huic etiam Senatus assurgebat; una esse, propeque assidere, iubebat, munerum vacationem ipsi patri avoque paterno concedebat. Et quod multo mihi pulcherrimum videri solet, si qui sibi coronam virtute in vita peperissent, eandem mortuis, non illis ipsis solum, sed eorum etiam parentibus, imponi, laudesque clarorum hominum ad cantus & tibicinem in concione laudari, voluerunt; quod genus laudis Naenia dicebatur. Maiorum etiam gesta in convivio canebantur. Quid hoc gratius dici potuisset? Quid dicam tot statuas triumphales, tot amplissima sepulchra, tot clarissimos titulos, tot imagines & monumenta maiorum? Quid tot celeberrimos gloriosissimosque triumphos? Atque ut alte repetam, quid Romulus egit? Nonne Hostilium, quod primus urbem Fidenam irrupisset, frondibus coronavit? Non tunc auro cuncta, purpuraque fulgebant? Et tamen erat aliquid,

quid, quod minus gloriose expeteretur. Nam, quae nunc spe praedae bella geri solent, tunc gloriae cupiditate gerebantur, & quae nunc in auro atque in argento fiunt discrimina, (nam haec sunt, quorum gratia decertatur) tunc in lauro, myrtho, gramineque, fiebant. Felix sane prior illa aetas, contenta, ut ait Poeta, fidelibus arvis. Quid, ne nimis aetati nostrae succenseam, in Coclitem Romani? quid in Q. Mutium egerunt? quorum alteri, quod pontem solus contra fortissimum hostium impetum tenuisset, statuam in Comitio collocarunt, agrum praeterea, quantum die arari posset, donaverunt, singulique in eius domum munuscula contulerunt; alterum, quod, interfecturus Regem, in hostium castra penetrasset, Regemque ipsum, metu insidiarum perterritum, ab obsidione removisset, maximis sunt, & laudibus, & muneribus, persecuti. Agro enim trans Tyberim donaverunt, quae, ne tanti beneficii excidere posset memoria, Arva Mutia vocaverunt. Quid in Cocleam virginem? quam primam omnium equestri statua decorarunt. Quid in Manlium? a quo sunt Galli e supremo iam Capitolio deiecti. Commendatus a suis vehementer. Parum id quidem, quando verba magno non constant; sed militari etiam consensu donatus est. Singuli enim milites ac tribuni sex quisque libras farris totidemque vini quartarios in aedes, quae erant illi in Capitolio, con-

contulerunt. Magna, me Hercule, praemia; in tanta praesertim caritate rerum. Fame enim durissima premebantur; sed erant grati in homines. Quid igitur postulamus? etiamne in feras? certe sane, quod equidem vehementer admiror, tam ad unguem, ut aiunt, gratos esse voluisse. Nam cum anserum strepitu Manlius ascensum hostium praesensisset; statuerunt anserum cibaria in primis a censoribus collocari. Vide, quantum abest, ut, fuisse eos ingratos, dicam, qui cum anseribus beneficio certaverunt. Quid in Minutium Augurinum? Pretium farris in tribus nundinis ad assem redigenti, statuam auratam extra portam ter geminam, stipe ab universo collata populo, dicaverunt. Trebio vero, quod aedilis frumentum populo praestitisset, idem honor statuae in palatio & Capitolio cessit; functus autem vita populi humeris in rogum portatus est. Sic Valerius ille, qui Publicola est appellatus; sic Agrippa, Senatus plebisque conciliator; sic alii permulti. Quid dicam, T. Manlium Torquatum non solum aurea corona donatum, sed cognomen sibi ac suis posteris adeptum, quod Gallum singulari certamine superasset, & pro concione a Dictatore Quinto commendatum? Obruor copia exemplorum. Sed indulgebo mihi, paucisque expositis, modum illis imponam. Cornelio Consule exercitum Romanum incaute per hostium fines ducente, cum signa referre

ferre non posset, circumsessusque ab hostibus, magno cum periculo in apertam calamitatem incidisset, P. Decius, Tribunus plebis, novo consilio exercitum & consulem liberavit, pauloque post & Samnitum copias fudit. Praeclara quidem res digna nomine Deciorum; sed num fuit consul ingratus? num universus exercitus gratiam non egit? Laudato enim in concione coronam auream, boves centum, unumque praeter ceteros niveum, auratis cornibus, consul largitus est; a legionibus autem graminea corona capiti eius imposita; porro tertiam milites obtulerunt, qui, Decium secuti, tam praeclaro facinori interfuissent. Iis consul singulos boves & binas tunicas, legiones autem libras farris & vini sextarios contulerunt, ut plane mihi exclamare libeat: O tempora! o mores priscos! quantum in rebus omnibus diligentiam, quantam in beneficiis referendis gratiam, adhibebant. Valerium, postea dictum Corvinum, Camillus Dictator, Servilium Cornelium Lentulus consul, aurea corona donavit. C. Duellio, qui primus navalem victoriam ex Carthaginensibus reportavit, quot honores a Senatu decreti? Et nos quidem audemus illos accusare? Facimus profecto non grate, qui eos sic appellemus ingratos. Nam quid ego dicam templum illud Fortunae? quid aedem Pietatis? quid constitutionem illam praeclaram, qui in legatione morerentur, his equestres

in

in foro ſtatuas collocandas? Sed praetereamus ſane exempla domeſtica. Eumenidi, quod contra Antiochum bellum cum populo Romano geſſiſſet, univerſam Aſiam conceſſerunt. Maſſilienſibus, quod pecuniam publice exactam Romam miſiſſent, qua ſe populus Romanus a Gallorum obſidione redimeret, locus ſpectaculi in Senatu datus, immunitas decreta eſt. Foedus quoque cum his aequo iure percuſſum. Cum Ceretibus, quod ſacra ſacerdotemque Romanorum, Gallorum incendia fugientem, recepiſſent, auſpicia propterea fieri decreverunt. Quid illa legatio ad Aetolos, ut ex urbibus Acarnaniae praeſidia deducerent, liberos eſſe paterentur, qui ſoli contra Troianos, originis ſuae auctores, auxilia non praeſtitiſſent? Quam longe, Dii immortales, repetita gratitudo! ut non ſolum recentia, & in ſe collata, ſed vetuſtiſſima maiorum ſuorum, beneficia recognoſcerent. Sed, ne unius populi Romani exemplis inniti videamur, quid ſenſerint ceteri, cogitemus. Ea res indicio eſſe poteſt, quantum, ingratitudinem aſpernati, vitandum id vitii, ac totis viribus fugiendum, putaverunt. Nam quae de Ariſtide, atque Aeſchine, ceteriſque, dicebas, non ſecus accipienda exiſtimo, quam quae de Africano & Camillo afferebantur, plus valuiſſe ius publicum civitatis, quam privata merita paucorum. Quanquam ideo quoque arbitror, fieri potuiſſe, ut civitates non ſemper

partim Graecorum;

ſemper bonorum cura atque auctoritate regerentur. Saepe factionibus, inteſtinisque diſcordiis, ſtatu Reipublicae perturbato, & ordinum ac magiſtratuum dignitate ſublata, leges non valent, aequitatis iudicia contemnuntur, pelluntur optimi quique, & in ſceleratorum omnia poteſtate ſita, non ratione, ſed libidine, non moderatione, ſed impetu, non auctoritate, ſed licentia, non denique iure, non legibus, ſed iniuria, ſed ambitionis furore, geruntur. Quod equidem non negaverim tunc accidere potuiſſe, cum pulſus eſt e civitate Themiſtocles, cum Theſeus e regno eiectus, cum miſſus in exilium Ariſtides. Sed ego non, quid ſeditioſi, aut ſcelerati homines fecerint, quaerendum puto; ſed, quid ſanctiſſimi cives egerint, conſiderandum. Omnes enim invenio fuiſſe gratiſſimos. Sed ne accuſa, obſecro, Athenienſes. Nam quid ſi tuus adeſſe poſſit Hippocrates? Ille vero nequaquam tibi iſta concederet, qui, cum venientem ex Illyriis peſtem praedixiſſet, miſſis per omnes Graeciae civitates diſcipulis, ad remedia conferenda, Athenienſes, ac etiam totius Graeciae civitates, honores illi Herculis decreverunt, divino affecti beneficio, divinam gratiam referentes. Quid in Beroſum? cui futura praeſentienti, & multa, tanquam cerneret, divinanti ſtatuam, aurata lingua, collocaverunt. Quid rurſus in Demoſthenem? qui, cum civitatem ad bellum contra Alexan-

drum

drum suscipiendum impulisset, idque ut faceret, aurum ab Arpago quodam accepisset, pulsus civitate, forte apud Megaras exul, haud multis post diebus Athenienses legatum ad Peloponenses sollicitandos mittunt, hunc secutus Demosthenes, Sicionios agros, Corinthum, & reliquas Graeciae civitates, Athenienensibus sua illa divina eloquentiae ubertate coniunxit. Qua cognita re, Athenienses, missa obviam navi, eum summo consensu omnium ab exilio revocaverunt, dignitatemque pristinam reddiderunt. Armodium & Aristogonem, quod Ippia tyranno interfecto, civitatem servitute liberassent, publico decreto servis aspicere non licebat, ne, qui libertatem ipsi peperissent, servili pollui aspectu viderentur. Quam propensa gratia, quam honesta? Et tamen adhuc privatos agimus. Cheronesi populum Atheniensem, contra Philippum auxilia ferentem, coronaverunt aurea corona; Gratiarum quoque templum beneficii testimonium erexere. Quid Bisantios atque Perinthios dicam? qui eidem populo, quod eundem regem, omnia eorum oppida ferro atque incendio vastantem, repressissent, statuam sex decem cubitorum in Bosphoro posuere. Quid illa Solonis lege praeclarius, qui pro patria in bello cecidissent, maxime illustrandos esse, & clarissimis monumentis exornandos; liberos vero eorum publice alendos atque erudiendos esse? Actionem quoque

adversus

adverſus ingratos inexpiabili lege ſanxerunt, credo, Perſas ſecuti, apud quos duriſſimis ingrati ſuppliciis afficiuntur, infamesque habentur. Audio, quasdam fuiſſe nationes, ubi, ſi qui eius criminis convicti eſſent, palo medio gutture traiecto, necabantur; dignum ſane tam nefario ſcelere ſupplicium. Quid illud ab Athenienſibus primum, mox a Romanis, inſtitutum, ſervos, qui eſſent manu miſſi, nulla re alia in ſervitutem redigi poſſe, niſi aliqua erga dominos ingratitudine notarentur? Commendandi etiam Maſſilienſes, apud quos ingratos ſervos, etiamſi ter fuiſſent manu miſſi, in priſtinam tamen conditionem cogere licebat. Sed nimis exemplis abundamus. Satis equidem, arbitror, demonſtratum, neque naturalem eſſe ingratitudinem, quam optimi & probatiſſimi quique deteſtantur, nec rurſus bonam, cuius arcendae ac puniendae gratia tot leges excogitatae, tot confirmati mores, tot denique omnium hominum & civitatum conſenſu poenae conſtitutae. Atqui utilis eſt ingratitudo & ſaepe neceſſaria. Sic enim tibi videri dicebas. Fateor id quidem; ſed his duntaxat utilis, qui in congerendas pecunias, accumulandasque divitias omnem ſpem atque animum contulerunt: quanquam iis ipſis obeſſe poteſt nonnunquam, quos nemo, ſi modo ſciat, eſſe ingratos, liberaliter poterit magnificeque tractare. Sed eam tu ideo volebas eſſe neceſſariam, cum neque furio-

aliarumque gentium.

Unde colligitur, ingratitudinem neque naturalem eſſe, neque bonam.

Sed neque utilem, neque neceſſariam, eam eſſe, ulterius demonſtratur.

ſis parentibus ferrum eſſet exhibendum, neque amicis turpibus in rebus obſequendum, neque aegrotis familiaribus aqua porrigenda. Quis non tibi iſta concedet? Quis tamen ingratitudinem hanc eſſe fateatur? Nam hoc totum eſt a me. Praebere enim furioſo ferrum, aegroto aquam adminiſtrare, quid, obſecro, incommodum maius poſſet afferri? Tibi vero, qui iſta non facerent, viderentur ingrati? Equidem delirare te dicerem: niſi ſcirem, tuam longe ab oratione ſententiam abhorrere, & animum ipſum vehementer cum lingua pugnare. Quae maior ingratitudo? quae immanitas efferacior, quam praeſtare amico, quae non modo videas non profutura, ſed valde etiam nocitura eſſe cognoſcas? Pulchra ſane vero benevolentia, tum multo pulchrior, ſi hoc benevolendi genere adverſus inimicos utamur noſtros, eosque tanto nobis vinculo colligatos hac ipſa caritate & benevolentia proſequemur. Nam in amicos quidem non attinet dicere. Video, te ample ſatis de liberalitate magnificeque locutum: ut ſumus omnes loquendo magis, quam faciendo, magnifici. Laudamus liberalitatem; in coelum tollimus ſapientiam; doctiſſimum quemque ſuſpicimus, admiramur, & omni ornamento digniſſimum iudicantes, in ſummo coeli culmine collocamus; verba tamen ſola profundimus, rem & pecuniam continemus, probitas, ut ait Poeta,

ta, laudatur & alget. Si qui gratiam expetant beneficii, eos, ais, vel aucupibus, vel mercatoribus, esse simillimos. Ego vero, in liberalitate pretium expetendum esse, non arbitror; sed nec tamen, si res exigat, desperandum, non quod ipsi repetere debeamus gratiam, sed ii ipsi, quibus fuimus benefici, officio fungentes suo, ultro nobis, cum opus est, referre teneantur. Nam quid ego dignum tua magnificentia dicam? qui statueris, hominem in beneficiis conferendis, & in hoc ipso genere largiendi, Diis esse immortalibus comparandum, qui, ut gratis, sic etiam ingratis, lunam splendere, lucere atque oriri solem, & terram ac coelum patere, voluerunt? Vide, ne ranam, ut est in fabulis, imitemur, quae, cum bove de magnitudine certatura, tanto presso diu spiritu intumuit, ut, suam egressa magnitudinem, rumperetur. Nam si Dii immortales, quorum beneficio sumus coelum, terram, mare, vitam atque omnia, consecuti, magna in nos semper munera contulerunt; si frumentum, si poma, si aurum, si denique cetera, ad usum hominum produxerunt; num putas, quasi acervos illis extare, qui donis aut largitione minuantur? num vasa, quae depleantur? Habent enim Dii rerum omnium copiam incredibilem atque abundantiam redivivam, quae nec carpendo exhauriri potest, nec ulla vi aut tempestate intercipi. Stabilis est, plena est

Quae sit Deorum, dum largos atque beneficos se praestant,

& sempiterna, nullo exhaustu, nullaque attenuatione decrescens. Itaqué Dii secure, plenaque, ut dicitur, manu largiuntur. Homini alia ratio est habenda. Sunt educandi liberi, sunt alendi parentes, sunt etiam amici atque affines, si qui sint, pauperes sustentandi. Quibus rebus haec fiunt, oportet quaerere labore & vigilantia, quaesita vero non temere dissipare, nec in sterilem terram semina proiicere, sed uberrimo & fertili solo committere. Nam ubi sunt illa exhausta; novo labori est opus. Tum aetas laboris patiens, nisi parta sint iuveni, quibus sustentetur senex, in tristissima aerumna laboriosissimaque miseria consenescet, fame fortasse moriturus, illacrymatus insepultusque morietur. Domus enim aetatis senectus est. Illo sunt nostri labores, nostrae peregrinationes, negotiationes, consilia referenda, ut tranquillam quietem & rebus affluentem necessariis tanquam domum habitemus. Haec qui non cogitat, atria lustrabit vacua, & tunc demum sapiet, cum ne quicquam sapiet. Itaque hominis plurimum intererit, quibus elargiatur; Deorum nihil intererit. Civitates autem & imperatores, quanquam maxima solent conferre, cum militibus praemia, tum civitatibus ornamenta, qui praeclarum aliquid eorum gratia gessissent; non tamen est magnopere mirandum, si nullum saepe velint inter gratos atque ingratos esse discrimen. Nam sunt

quae hominum,

quae denique totarum civitatum imperatorumque conditio, monstratur.

ſunt quaedam genera donorum, quae, niſi publice omnibusque conferantur, non gratiam inibunt aliquam, ſed odium atque invidiam parient ſempiternam, ambitionis potius, quam liberalitatis, nomen habitura. Si quis frumento populum donaverit, exercitum ſtipendio auxerit, civitatibus vectigalia remiſerit, idque publice in univerſos egerit; maximam ille quidem omnium benevolentiam comparabit, &, liberalitatis ſibi vindicans opinionem, ampliſſimam ex ea largitione gloriam conſequetur. Sin id efficiet privatim in ſingulos, invidia conflata multorum, beneficentiae nomen tollitur, ſuſpicio naſcitur ambitionis. Quare coactae civitates & imperatores, non ut ingratis quicquam conferri velint, ſed ne diſſidium pariant, neve factioſi aut ambitioſi videantur, ut poſſint gratis praeſtare beneficia, praeſtabunt etiam ingratis; illis ornamenti gratia, his vero ignominiae fugiendae. Accedit ad haec illa altera tua magnificentia, non ſolum nullam ex liberalitate gratiam expectandam eſſe, sed, quantopere fieri poſſit, beneficium occultandum, & Theſibium, neſcio quem afferebas ab Archeſilao, optimo & ſapientiſſimo viro, inſigni diſſimulatione donatum, cuius exemplo rapuiſſe me ſublimen & in piſtrinum compegiſſe videbaris. Sed ego molam illam aſinariam, ſi modo potero, detrectabo. Nam cum omne beneficium ex duobus ſaepiſſime,

A dante quidem beneficium recte illud occultandum;

ab accipiente vero manifestandum est.

pissime constare videatur, conferente altero, altero vero accipiente; nunquam negaverim ab altero perquam diligenter occulendum atque omni studio tegendum esse, ab altero autem, qui acceperit, quanta maxima potest manifestatione, praedicandum, omnibusque patefaciendum. Exemplo nobis potest esse terra, cui, quoties semina committuntur, occulenda sunt & comprimenda vehementer. Paulatim illa deinde commissa exerit atque ostentat, & radicibus longe lateque propagatis, ramusculis exornat, &, quo apertius illa videri possint, suavissimo & pulcherrimo flore praecingit, &, quasi laetitia gestiens, fructus tandem reddit uberrimos. Sic, qui seminat beneficium, occulere illud debet, & quasi tectum animo comprimere, ne cernatur; qui vero accipit, exerere ac manifestare, & quibusdam laudum ramusculis munire, floribusque vestire dignitatis, ut, etsi fuerit exiguum, tanquam semen aliquod, quam latissime propagetur, extollendo & praedicando, postremo vero gratiam referendo. Sed ego ab Archesilao tuo non discedam longius. Fuit is auditor Crantoris, a quo cum diligentissime Philosophiae praeceptis imbueretur, dixissetque Crantor carmen illud Euripidis: Num gratiam habebis, virgo, si te servarim? (nam putabat, hoc praestare Philosophiam, ut eam secuti liberi ab omni fortunae impetu servarentur) respondens Archesilaus versu se-

Exempla.

ſequenti: Duc, ait, me, hoſpes, & ancillam, aut coniugem, ut voles, habe. Quibus verbis oſtendit, nullam eſſe tam uberem & cumulatam gratiam, quae pro accepto beneficio digne ſatis referri poſſit, ne libertas quidem, cuius conſervandae gratia Clito, gnatus ille Gallicus, filios cenſuit comedendos. Quod Phaliſci plane oſtenderunt, qui, proditis a paedagogo liberis, hisque a Camillo reſtitutis, veteri ſeſe libertate ſpoliare, quam ingrati cenſeri, maluerunt. Quid Carneades? Nonne, quoties in Criſippi, cuius fuerat auditor, mentionem incidiſſet, aperte dicere ſolebat: Niſi Criſippus fuiſſet, ego profecto non eſſem? Quid? etiam illud ipſe Criſippus, qui, cum adverſus Cleantem aliquando paulo contentioſius diſputaſſet, ceteris in rebus ſe dicebat eſſe felicem, adverſus unum Cleantem infeliciſſimum, adeo ſibi turpiſſime facere videbatur, a quo diſciplinam omnem accepiſſet, eum ſic diſputando & contendendo laceſſere. Platonem adhuc pene puerum, damnato Socrate, ſuggeſtum conſcendiſſe, accepimus, ac Socratem praeceptorem defendere voluiſſe. Sed aetate prohibitus, Socratem, quocunque acceſſiſſet, habebat in ore, illius virtutem, illius humanitatem, ſapientiam, integritatem, in omni hominum frequentia praedicabat. Aliquanto mollior, ſed tamen idem ſentiens, Epicurus, gratiam amicis, etiam abſentibus, dicebat, eſſe referendam.

Sed quid ego veterum dicta commemoro, cum extent etiam facta? Sculpsit in arce gratias, quas Graeci χάριτες appellant, Socrates primum, mox Speusippus in Platonis schola, quae erat in academia collocata. Erant sorores tres, & virgines, & puellae, manus invicem complicatas tripudiantium more gerentes, risu praeterea sese ac mutua congratulatione delectantes; vestis autem profusa nimis & perspicua, eademque omnibus, videbatur. Sed vide, quam venuste, quam etiam fuerant depictae praeclare, nec tam ad oculos detinendos, quam ad commonendos animos, excogitatae: quas ideo tres esse voluerunt, ut primam dantem, alteram accipientem, reddentem tertiam, denotarent; manus autem consertas & complicatas nihil aliud, arbitror, quam beneficiorum vincula, significare voluisse, ut nunquam esset finis referendae gratiae, sed eo rediret, unde esset illa profecta; puellas quidem ac virgines, risu sese aspicientes, recentem gratiam, eamque non corrupte, sed integre, non turpiter, sed honeste, non duriter atque aspere, sed iucunde ac placide, referendam. Quid lucidentas & profusas vestes? An aliud sibi, credimus, voluisse, quam liberalem largitionem atque apertam remunerationem esse debere, ut neque avare conferatur beneficium, neque referatur occulte? Sic Socrates, sic Speusippus, iussit insculpi. Quocirca non sic spem omnem mer-

Declinatio Charitum apud veteres.

Multos facit

mercedio abiiciendam puto; non tamen dixerim, repetendam esse mercedem, nimis id quidem esset illiberale; sed nec desperandam quidem, cuius aliquando possis agere. Quid enim stultius, quam providere aliis, tibi ipsi minime consulere, cum benefacies? Si quem tu ab inimicis aut hostibus eripuisti, si quem afflictum excitasti, exulem hospitio suscepisti, tuque in eandem incidas calamitatem; nonne idem adversus te fieri, paremque referri gratiam, expectabis? Mihi vero nunquam tanti erit in alios liberalitas, ut in me ipsum efficiat illiberalis; nec tam diligens patronus salutis alienae, ut, quid mea postulet negligentia non considerem. Omnes fere mortales spe quadam alimur & sustentamur, qua sublata, nemo est, qui beneficia putet esse praestanda, nemo, qui Regibus, qui Reipublicae, qui Senatui, censeat obsequendum. Quod si, quibus nunquam fuimus honori, nunquam praesidio, nunquam utilitati, impetrare tamen ab his aliquid non desperemus; quantam in his spem putabimus collocandam, quos ornavimus, iuvimus, & in, quanta amplissima fieri potuit, dignitate constituimus? Tu tamen nihil ab eis censes sperandum. Quid ab hostibus, si ab his nihil sperem? Rem equidem fateor valde praeclaram, cumulare beneficia etiam adversus ingratos, nec fructus aliquos expectare, sed ad Deos, non homines, ut diximus, pertinentem, quibus tanta

Spes recipiendae aliquando gratiae liberales atque beneficos.

ta rerum omnium aeternarum abundantia, copiaque suppeditat, ut non solum modio non mensurare, sed nec mente quidem ipsa cogitare, valeamus. Hominis autem fortunae tenues ac perexiguae, & ad omnem iacturam ac tempestatem expositae, diligenter constituendae sunt, ne, navi semel fracta, raso, ut aiunt, capite, limina lustremus aliena, & mendicam, ut dicitur, opem imploremus. Eas vero si quis suo detrimento beneficus etiam ingratis velit elargiri, in bonos atque gratos propter illarum exiguitatem conferre non poterit. Atqui furere tu me & vacare mente, nedum Philosophiam provertere, clamabas, qui dixissem, homines deceptos semel ab ingratis, in bonos & gratos liberales amplius & beneficos esse non posse. Hae tibi illae tam magnae furiae videbantur, quibus universam Philosophiae provinciam populatus, tanquam ad arma atque ad bella excitarem. Sed ego virum securiorem te vidi neminem, qui ne in manifesto quidem periculo pertimescas. Ceterum quoties a te, non dicam pecunias, (nam denegantur illae, nescio, quo pacto, confidentius) sed libellum aliquem vel perexiguum postulavi; tollebas manus, coelum intuebaris, & Deos te immortales iurasse dicebas, nemini copiam esse facturum, quod esses, nescio, a quo tuo, ut dicebas, familiari deceptus, cuius tamen nomen dicere verebaris. Vide, ut tuo te mucrone iugulave-

Qua cessante omnis corruit liberalitas, omnis beneficentia.

verim, qui, si sic censes in liberalitate & beneficentia perseverandum, ut nullius culpa terreamur, nec, etiam decepti alieno scelere, ab officio consuetudineque nostra tam praeclara moveamur: cur igitur vel ita facio, vt non sentis, vel ita non sentis, ut dicis? Ne ride. Nam id profecto inficiari non potes. Equidem cum saepe alias, tum etiam heri, vacuus a te discedens, novam istam in te religionem non mediocriter incusavi. Cum enim Celsi tui videndi magna me libido incessisset, audiveram, mirifice illum de medicina locutum, clarissimos quosque medicos complexum: quos non tunc Deos, quos non homines, testabaris? non modo mihi, quo cum esses hac mediocri consuetudine & familiaritate coniunctus, sed ne parenti quidem tuo, si forte reviviſceret, copiam esse facturum. Atqui utinam tu solus ea sententia esses. Idem & multi & saepe factitarunt, ut, ab aliquo quodam decepti, vel in rebus aliis, vel maxime in pecunia, quae veris, ut ait Poeta, lacrymis amissa ploratur, nulli amplius fidem putent adhibendam. Negare non possum, facere eos prave; sed tamen eam pravitatem quam paucissimi cogitant, vel quia natura ipsa illiberales occasionem negandi satis idoneam nacti sibi esse videbantur, vel cum, ut est in veteri proverbio, quos ignis flammaque offenderit, hi fumo cinereque terrentur. Si hirundines, si passeres, si columbae, calamitatem

tatem suam minime sentientes, eodem in nido pullos perdere perseverent; non video, cur idem mihi censeas faciendum, nisi fortasse, quoniam illi laqueo saepe capiuntur, mihi quoque laqueum adire ac meme suspendere persuadeas. Nam duces quidem & imperatores semel, ut dicebas, bello superati, novum consilium inire, integrum exercitum cogere, postremo proelium instaurare consueverunt; fateor, si copias auxerint, locum aequiorem legerint, vincendi spem firmam duxerint; alioquin, bello discedentes, in certamen iterum venturos esse, non arbitror. Non illepide Venetum illum afferebas. Sed vide, ne non indigni deceptione videamur, si minus, quam sit necesse, caveamus. Vetus proverbium est multorum consensu & opinione probatum: Decipienti me semel Dii male faxint; faxintque bene, si bis idem ille deceperit. Alterum enim in decipientis perfidia positum est, alterum a nostra sola temeritate profectum, qui, quam in foveam delapsi semel inscitia sumus, in eandem iterum negligentia nostra delabimur; quod qui faciunt, omni mihi videntur deceptione dignissimi. Quam ob rem ita nobis cavendum est, ne, quod dici solet, ridiculum incommodum subeuntes, nobis detrimento, risui ceteris, futuri esse videamur. Sunt haec, ut arbitror, propemodum absoluta, nisi novum aliquod bellum exoriatur. Quae reliqua sunt disputatio-

Quae tamen cum grano salis accipienda.

tationis nostrae, haud magno negotio retrudemus, &, quam brevissime fieri poterit, refellemus. Vide, quantum in te conceperim animi, quae, quanquam sunt a te dicta copiose, tamen latere nos diutius, quae vera non sunt, & sese occultare non possunt. Video, divisionem illam ingratorum, cum numero, tum etiam ordine, non tibi admodum placuisse. De ordine mox dicemus; nunc numerum ipsum, an omnia capiat, videamus: quanquam ita ipse rem omnem explicasti, ut non sit multum nobis elaborandum. Qui occulte refert gratiam, quid agit aliud, quam gratiam non refert? Obtinet enim testimonii vim gratia. Nam & accepta beneficia fateri debet, & promeritum ac virtutem testificatur alienam. Testimonium vero sic praestandum est, ut palam publiceque nulla cum dissimulatione praestetur. Aliter vero si fiat, neque vim habebit aliquam, nec testimonium rite videbitur appellandum. Quocirca qui sic referunt, ut occultent, in primo divisionis nostrae genere censeo collocandos. Sic qui insolenter, qui duriter, qui tarde, retulerunt, veluti testimonium vel extra iudicium & statutum diem, vel ab odio, ira, malevolentiaque profectum, iuris ac legum auctoritate repellitur, nullam habens vim ad res ipsas, quarum nascitur controversia, diiudicandas. Saepe iam diximus, tum demum gratiam esse referendam, cum sit necessaria. Habenda

Repetuntur adhuc semel genera ingratorum superius iam plus simplici vice proposita.

Additur praeterea

gratiae referendae tempus atque modus.

benda est enim in animo semper & tanquam parata, omni negligentia & tarditate reiecta. Qui vero, maximis acceptis beneficiis, ficubus se ac nucibus satisfacere, gratiamque accumulate referre, arbitrantur, plus errant, quam tota via. Sunt enim complicatae manus illae gratiarum & perpetuo sese ambitu reddentes, ubi beneficium acceperis, quo plus referas, plus referre tenearis, nec solum benefacienti, sed etiam benefacere volenti. Sedet in animo promeritum, a quo evelli radicitus nec potest, nec debet. Qui arborem serit, semel serit; fructus tamen illa semper parit uberrimos. Nec est beneficium in animo, tanquam lapis in agro, qui moveri aratro atque abiici queat; sola memoria excitatur, quae, quo plus excitatur, eo magis magisque complectitur voluntate referendi sempiterna, ut vectigalia, quanquam saepius exacta, debentur tamen semper quotannis. Habet enim beneficium quandam, ut ita dicam, obligationem, meritorum collatione comparatam, & radicem quandam humanitatis altissimam atque immensam, a benevolentia, officio, studio, caritate, profectam, quae omnia debent esse sempiterna, & vires ingentes a vetustatis diuturnitate suscipere.

De ordine confirmantur ea, quae supra iam fuerunt allata.

Sed iam ad ordinem accedamus, ubi tu me praeposterum iudicans, machinasque intendens, expugnare undique pertentasti. Sed nondum nostra propugnacula labefactata ac funditus deiecta video.

deo. Oblitos beneficii ceteris, tua sententia, deteriores existimabas, eamque ob rem ultimo in loco statuebas illos; alteros facile, se ad gratiam conversuros, mitigari posse, & odium illud vel vetustate sedari, vel acceptorum meritorum memoria & cogitatione deponi; oblitos, in eadem pertinacia haesuros, nullo pacto ab ingratitudine posse divelli, nec aliqua teneri recordatione, quo minus iniuriam nobis afferant & contumeliam, quos nulla officii, cuius omnem illi penitus memoriam abiecerunt, moderatione leniemus, eoque nobiscum agent insolentius, quo quicquam se nobis debere non putant. Quam pulchra haec, quam etiam probabilia; quanquam mihi minime quidem videntur esse probanda. Sunt enim, quos ais, longe, fateor, ingratissimi, sed illis alteris nullo pacto, quantum ad ingratitudinem attinet, comparandi. Nam si quando nobis nocuerunt lacessiti, digni venia videntur, cum suis se adiutoribus se nocere non putent. Quod si putarent, nunquam fortasse nocerent, &, quod ego saepe iam dixi, animus est hominum contemplandus, & cum in rebus aliis, tum maxime in liberalitate & beneficentia, quasi ad speculum intuendus; ad animum sunt omnia referenda; animo duce vivimus; animum rerum omnium testem habemus. Quod praeter illum agimus, id non agimus. Qui oblitus trahitur ad nocendum, is errore trahitur

bitur & ignoratione peccati. Qui vero, memoria tenens beneficium, insidiari tibi atque obesse non vereatur, non errore, sed perfidia, non ignoratione aliqua, sed atroci quadam & efferata immanitate, peccabit. Plurimum quidem interest, animone homines & studio ita faciendi, an casu aliquo & fortuna, delinquant? Sponte sua peccarunt illi; hi vero deliquerunt inviti. Quocirca recte mihi utrumque genus videor collocasse. Tu, si alter censeas, ages, ut voles: ego sequar iudicium tuum, modo aequum te iudicem praebeas & veritati studentem, non mecum dedita opera cavillantem. Reliquum est, quod tu mihi maxima & incredibili copia dicendi, extorquere niteberis, ingratos nequaquam impune peccare; quo in loco cum Deos demirari me dicerem, non tam Deos ipsos defendere, quam, quantum ipse disputando valeres, ostendere voluisti. Nam, & praeter iudices illos inferorum graves atque severos multa impendere ingratis supplicia, contendisti, quae mihi, paulo mecum altius repetenti, vera nimirum esse videbantur, sed ad poenam illam, quam in animo ipse conceperam; non accedebat. Magna, me Hercule, poena, omnibus odio esse, maior, beneficio dignum non putari, multo maxima, omnium caritate, amicitia, ope, auxilio, benevolentia, spoliari. Sed homini irato, & a reo cruciatum expostulanti, non sunt ista satis. Furtum quis commisit,

misit, pellitur domo, nulla fide dignus existimatur. Magnum hoc quidem, sed nisi tortus eiulatus emittat, nisi cruci affixus dependeat, nisi vitam ipsam una cum scelere deponat; vix eum putaverim dignas satis poenas ac supplicia persolvisse. Nam sunt paulo leviora, mulctari pecunia, notas frontibus inuri, mediocribus etiam suppliciis excruciari, virgis caedi, totam urbem nudatum caesumque lustrare. His ingrati si afficerentur: possem vel mediocriter esse contentus, quanquam duriora illa parari cupiebam. Nam si quis furto deprehensus, etsi fidem non violat, durissima tamen morte mulctatur: qua poena, qua mulcta, quo supplicio, digni erunt ingrati, qui, sola perfidia adducti, ius omne fidemque perverterunt? Sed iam finem dicendi faciam, nec committam, ut provinciam occupem alienam. Dixi pleraque confidentius; multa etiam percurri celeriter, in quibus me tibi plene satis fecisse non arbitror. Nec enim, quae sunt a te contra meam opinionem sapientissime, ut soles, acerrimeque prolata, magnopere me commoverunt, non quod non essent illa dicta praeclare; sed aliud est, controversiam agere, ubi adversarium paulo cupidius oppugnamus, aliud sententiam ferre, ubi, quod verum sit, studiosius diligentiusque perquirimus.

Conclusio causae.

Uu Satis

Satis longam mecum egisti controversiam, meque ex omni parte quasi stimulo pupugisti. Nunc sententiam feras, oportet, &, quid de ingratitudine sentias, non quid disputare possis, aperias. Vide, quantum tibi tribuam auctoritatis, ut, quem habuerim adversarium, eum mihi iudicem eadem in causa constituam. Spero equidem sententias meas a te paulo ante deiectas, & quasi igni ferroque vastatas reaedificaturum. Quod si feceris, ardentius me ad haec philosophandi studia provocaveris, spemque induxeris meliorem. Nam, ut est in proverbio, qui aliquando non inepte, sapienter nunquam. Quae cum essent dicta, conticui.

IOANNIS ANTONII CAMPANI AD PANDVLFVM BALIONIVM DE INGRATITVDINE FVGIENDA

LIBER TERTIVS.

Praefatio Zenonis.

Zenonem illum Ciziceum, magnum in primis divino ingenio virum, a quo nomen Stoicorum simul cum disciplina manavit, cum, ex Phoenicia navigans, naufragium fecisset, oraculum consuluisse ferunt, quo-

quonam pacto vitam posset ducere beatam? responsumque, si vivens mortuos coleret, futurum illum in omni vita beatissimum. Quo responso ab oraculo accepto, Zenonem ad legendum antiquorum libros, annos iam triginta natum, omni se studio & diligentia contulisse, qui, cum annis multis Cratem Thebanum secutus, aliquid se adeptum in Philosophia, arbitraretur, dixisse fertur, nunquam secundioribus ventis navigasse, quam cum naufragium fecisset. Felicem sane navigationem & auram longe secundissimam! qua hominem illum praestantissimum, ex fortunae cupiditatumque fluctibus ac tempestatibus liberatum, in tutissimos Philosophiae sinus portumque tranquillissimum devexisset. Mihi quoque, profectionem meam aliquando cogitanti, & latronum insidias atque impetum recordanti, quanquam non tam altus portus, munitum tamen a tempestate receptaculum datum esse videtur, qui, cum in Hetruriam proficiscens omnem meum animum atque studium ad civilem scientiam contulissem, ita sum fortunae acerbitate vexatus, ut, etsi fortasse non libenter, vere tamen, dicere possim, nullum unquam iter contingere mihi gloriosius ac felicius potuisse, quam cum in latronum insidias incidissem, a quibus non solum rebus ad eam scientiam necessariis, sed illo & animo atque studio spoliatus, totum me, cum ad res gestas mortuorum, tum

Et ipsius Campani exemplis demonstrat,

vel maxime ad sanctissimam Philosophiae disciplinam, statui transferendum. Paucis enim rebus Philosophia solet esse contenta, ut non solum non multis egeat, sed ne multa quidem cupienda praecipiat. Non ego civilia iura contemnam, quae vel maximam partem obtinent Philosophiae, in eaque fere tota versantur, vel, ad bene beateque vivendum excogitata, ex uberrimo Philosophiae fonte manarunt; quanquam sunt postea progressa longius, ut non tam ad sancte, quam ad laute, vivendum quaesita esse videantur. Sed de illis alias fortasse liberius. Philosophia vero cum fructus alios parit uberrimos, tum ad virtutem atque honestatem vehementer accommodata, libidines, voluptates, flagitia omniaque vitiorum genera, detestatur, inimicaque temeritati, e sublimi quodam excelsoque loco casus contemnit humanos, & fortunae minas impetusque deridet. Hanc qui sequitur, nihil habet, quod desideret beatitudinis, nullus sibi aditus interclusus ad felicitatem; ob hoc ipsum felicior, quoniam sua est quantulacunque rerum fortuna contentus, ut qui nihil omnino sibi putet cum temeritate, nihil cum stultia, esse commune. Sed Philosophiam assequi magnum est, magnique opus, nec humana fluxaque suspicientis, sed divina atque aeterna sectantis. Ad eam tamen consequendam plurimum valet exercitatio, valet etiam boni copia praeceptoris. Alte-

Solam Philosophiam bene beateque vivere docere.

 ram

ram ergo si potero, non contemnam; alterum, fateri possum, nactum me esse praeclarum, & qui me non docere solum diligenter solet, sed ad eam ipsam, quam dixi, exercitationem vehementer hortari, ut currentem non modo calcaribus pungat, sed excitatum ardentius ingenti etiam clamore succendat. Quem si fata superstitem esse patientur, non despero, me quoque aliquid degustaturum, in quo non poeniteat elaborasse. Hic dux consiliorum rationumque mearum; hic hortator virtutum, castigatorque vitiorum; hic meorum praecipuus studiorum adiutor, ut, qui ante ignaro atque imperito remige per scopulos asperrimos navigabam, nunc optimo & sapientissimo fretus gubernatore, placidissimum in portum videar esse delatus. Gratias itaque latronibus agere, & possum, & debeo, non mediocres, qui me, auro ac vestibus spoliatum, in pretiosissima Philosophiae studia compulerunt. Si auro illo non caruissem, numquam ad hanc me philosophandi provinciam contulissem, cuius animus, pecuniarum studio & cupiditate incensus, legum civilium incendio atque ardore flagrabat. Eripuerunt mihi incitamenta vitiorum, virtutum irritamenta reliquerunt; divitias, quibus ad leges est opus, abstulerunt; paupertatem, Philosophiae comitem, dimiserunt. O felices Deos immortales insidias! o impetum acerrimorum hostium amicissimum! o pu-

o pugnam denique illam, in qua victi sumus, invictissimam! gloriosissimumque ex calamitate triumphum! Tunc enim me primum, a fortunae iugo & potestate subtractus, ad animi mei quietem, tranquillitatem, otium libertatemque, revocavi. Nam contentum esse suis rebus, nihil appetere, nihil quaerere, nihil desiderare, animum ad omnem fortunam excelsum gerere, virtutem ultro complecti, vitia sponte detestari, ea mihi summa demum videtur esse libertas. Haec Philosophia praestat omnia, in qua nos, Pandulfe, cum saepe alia, tum maxime hoc tempore, cum Sulmonense duce & praeceptore nostro versamur, a quo quaecunque de fugienda ingratitudine accepimus, litteris mandare constituimus hortatu tuo. Itaque ubi ipsi finem fecimus dicendi, me, ut solet, commendato, in hunc modum locutus est: Commodum mihi videtur hinc abire, ut ad umbram illam, quae sub ulmo est, sedeamus. Huc iam solis radii penetrarunt; quam ego rem, ne orationis tuae cursum interpellarem, rationesque interrumperem, aliquanto sum perpessus diutius, quam valetudo postularet. Ibi, quod est reliquum contentionis nostrae, persolvemus. Eamus, inquam; sed vide, ne quod tu novum in me bellum moliaris. Satis iam videor tecum, nescio quam aequo Marte, conflixisse; satis iam illo veteri & trito, ut ais, Graeculorum more con-

Mutato loco,

excitatus a Campano,

contendimus. Feci equidem id invitus; etsi pace tua dicendum est, etiam lacessitus & a te ipso compulsus. Sed iam vides, inclinare solem; nunc eo ventum est, ut non per inficias contentionesque discurrere, sed, quod principio dicendi pollicitus es, sententiam tuam statuere, oporteat. Fortassis etiam expectamur domi; tum vereor, ne hoc tempus vix tibi sit futurum satis ad concludendum. Recte opinaris, inquit; atque ita, subiectis palliis, in umbra consedimus. Hic ille, graviter, inquit, mecum decertasti hodie, meque in mea castra fortiter repulisti. Congratulor itaque tibi vehementer. Iam pridem acumen tuum saepius admiratus, magnum, nescio quid, de tuo mihi ingenio pollicebar; nunc non admiror solum, sed pene erumpor laetitia, cum vim tuam dicendi, copiam varietatemque contemplor. Nam cum essent a me dicta permulta, non ad tentandum modo, sed ad rationes illas tuas quasi de industria confutandas: Dii boni! quam acute, quam varie, quam uberrime, omnia dissolvisti. Perge itaque, ut coepisti, adolescens; Philosophiam totis viribus ac manibus, ut aiunt, pedibusque complectere: spero equidem, in magnum te virum doctissimumque hominem evasurum; me autem habebis nulla tibi opera, nullo tempore, defuturum. Sed, quid ipse sentiam de ingratitudine, diligenter attende; nihil iam loquemur fictum, nihil

Nicolaus Sulmonensis,

praemissa istius modesta laude,

veram suam de ingratitudine aperit sententiam.

nihil ſimulatum aut commentitium, ad veritatem omnia atque ad ipſam animi ſententiam referemus, iudiciumque noſtrum, ut ſeſe habet ſemperque habuit, aperiemus. Contemplanti mihi ſaepe & res omnes ad bene ſancteque vivendi ſtudia referenti, virtutesque ac vitia dies noctesque conſideranti, quibus vita noſtra vel exornari, vel praeceps agi, ſolet, nihil pulchrius videri ſolet, nihil honeſtius atque homine dignius, quam eſſe gratum; contra vero nihil deteſtabilius, nihil turpius & ab omni genere hominum alienius ingratitudine. Vide, quantum abeſt, ut velim tecum novo bello contendere. Iam enim paulatim in ſententiam tuam ipſe delabor, ut cognoſcere, quid hac de re ſentiam, facile poſſis. Nec agam prolixius. Nam quid per Deos immortales vel ad ſocietatem illam coetumque mortalium inutilius, vel ad vitam honeſte agendam incommodius, vel ad amorem, gratiam, benevolentiam, comparandam alienius, vel ab omni officio, diſciplina, humanitate, remotius ingratitudine? Nam cum omnis noſtra vita ulterius conſtare beneficiis & mutua contineri caritate videatur, atque ita vivamus inter nos, ut alterius ope atque auxilio vacare nequeamus; ſitque ſocietas noſtra, ad quam nati homines videmur, in benevola quadam & iucundiſſima conſuetudine conſtituta; quid hoc ſcelere poteſt cogitari perverſius? quid in-

Et videtur omnino ingratitudo longe turpiſſimum maximeque deteſtandum ſcelus.

insalutarius inveniri? qua re gratia pellitur, humanitas & benevolentia submoventur, communis via honestaque vivendi consuetudo pervertitur. Cetera quidem scelera, quantumque sint illa nefaria, unum aut alium offendunt, habentque aliquid vel voluptatis, vel utilitatis, quo pellecti homines aliquando delinquunt. At ingratitudo non minus ei, qui committit, quam in quem committitur, obesse solet: alteri, quoniam beneficia nunquam amplius conferentur; alteri, quoniam, quae profutura putabat, prodesse non poterunt. Itaque omnibus molesta atque infensa mortalibus, in qua nulla cum voluptate aut delectatione, nulla cum utilitate, delinquitur. Facit quis furtum, ei nocet, cui surripitur, prodest autem plerumque surripienti; in adulterio deprehenditur, iniuriam fecit viro, mulieri ac sibi peperit voluptatem. Si quis ira percitus, & quibusdam quasi furiis ac facibus inflammatus, amens feretur, minabitur, franget, deiiciet domo familiam, exturbabit; perbrevis erit ille furor. Quid si etiam diuturnus? eos duntaxat offendet, qui causam, quare irratus fieret, praebuerunt. Quid ingratus? Nulla causa, nisi sua perfidia, concitatus, eos laedit, quos non debet, quos debet, non laedit. Non enim inimicis erit ingratus. Sed quid ego vitia commemoro? quasi aliqua possint vitia cum hoc nefario & truculentissimo ingratitudinis scelere comparari. Equidem plurimos audire

Id vero partim propter naturalem, qua est, turpitudinem,

partim propter turpissimos, quos producere solet, effectus.

dire soleo, aetatem hanc nostram haud parum accusantes, cum aliorum multitudine flagitiorum, tum vel maxime ingratorum copia incredibili. Queruntur enim & multi, & saepe, paucos admodum inveniri homines, qui & cognoscant beneficia, & cognita dignis meritis prosequantur. Accedit etiam vehemens animi perturbatio. Quippe si ab hostibus & inimicis, si ab incognitis & peregrinis, opem implorantes minime impetremus, si etiam irrideamur, aequo id animo ferendum putabimus, non culpae id alienae, sed nostrae potius fortunae & calamitati tribuentes. Sed vero despiciemur ab ingratis, quos ornavimus, quorum opes auximus & dignitatem: dici non potest, quanta ira, quanta concitatione animi & mentis furore torqueamur; execramur nos ipsos, durissimos atque acerbissimos cruciatus imprecamur; beneficia, quae contulimus, in nostram redundasse ignominiam existimamus, factumque id non minus temeritate nostra, quam perfidia putamus aliena. Tunc oculos, si fieri posset, ingratis evelleremus, tam ardenti furoris incendio concitati, ut coelum, terram, maria, provocemus, serpentes ac tigres excitemus. Quod & sapientissimus Poeta cognovit, Et sic accensa profatur: (erat enim animo vehementer perturbato) Nec tibi diva parens, nec Dardanus auctor, perfide; (putabat, tantam nobilitatem non posse cum ingratitudine esse coniunctam,) sed duris genuit te cautibus hor-

horrens Caucaſus; (non humana ſtirpe, ſed ex lapidibus, natum eſſe, putabat.) Hircanaeque admoveunt ubera tigres, (e crudeliſſimis etiam animalibus educatum, ut oſtenderet, tantum ineſſe huic nefario ſceleri truculentiam, ut, quicunque tanto ſe facinori devinxerint, non ſolum omnem prorſus exuiſſe humanitatem, ſed crudelisſimam atque immaniſſimam feritatem induiſſe, videantur. Quid tum? Vide, quibus illum verbis execretur,) Spero equidem mediis, ſi quid pia Numina poſſunt, ſupplicia hauſurum ſcopulis. (Deos immortales tanti ſceleris ultores appellat, & quem hoſpitio foverat, cuius claſſem refecerat, ſocios disiectos a morte reduxerat, ut inter ſaeviſſimos ſcopulos obruatur, exoptat. Quantum praeterea odii? quae malevolentia? quae pertinacia?) Omnibus umbra locis adero, dabis, improbe, poenas. (Sua illum conſcientia doliturum putat, conceptumque in ingratos odium ne morte quidem poſſe deleri. O ſummam Poetae ſapientiam!) Eumenidum (inquit,) demens videt agmina & geminum ſolem, (furore magno concitata perfertur; quam aperte declarat, ſolam ſe accuſare ingratitudinem, & aequo animo ferre non poſſe?) Quiane auxilio iuvat ante levatos & bene apud memores veteris ſtat gratia facti? (Nihil aliud, quam ingratitudinem, criminatur, quam, neceſſe eſt, fidei violatio ſequatur.) Nusquam tuta fides.

Eie-

Eiectum littore egentem excepi & regni demens in parte locavi. Amissam classem, socios, a morte reduxi. (Vide, quam contumeliose exprobrat beneficium? quantam rursus reminiscendo concipit iracundiam?) Heu! furiis incensa feror. (Quam praeterea ulciscendi cupida?) Non potui abreptum divellere corpus & undis spargere? non socios? non ipsum assumere ferro Ascanium? (parum erat in ipsum ulcisci, nisi socios eius ac filium ad supplicium detulisset.) Et patriis epulandum apponere mensis? (Nec satis arbitratur ferro natum interimere, nisi comedendum parenti apposuisset. Quantis vero dignum illum suppliciis iudicabat?) Faces in transtra tulissem, implessemque foros flammis, natumque patremque cum genere extinxissem. (Magna consternatio debacchatae mentis. Itaque universum genus extinguere penitusque delere cupiebat. Vide etiam, quam non poterat mitigari?) O Tyrii! (inquit,) stirpem & genus omne futurum exercete odiis. Exoriare aliquis nostris ex ossibus ultor. (Ultionem etiam ossibus demandabat.) Littora littoribus contraria, fluctibus undas, imprecor, arma armis; pugnentque nepotes. An igitur speramus, tantam conceptam iracundiam, tam immoderatum impetum, tam effrenatum furorem, tam vehementem & praecipitem odii concitationem, posse deponi? Semper hic poeta visus mihi sapientissi-

tiſſime accuratiſſimeque locutus omnia; ſed hoc immane atque nefarium ſcelus quantas odii faces habeat, multo ſapientius atque accuratius explicaſſe. Itaque illa Deos, illa homines, ſylvas, montes, feras, littora, non humanis contenta teſtimoniis, appellabat. En tibi hominem ex eadem umbra paulo duriorem, qui, cum omnes cauſas iracundiae convivam amicum deponere iuſſiſſet, domeſticas ſimultates, vaſorum fractiones, adulteria uxoris, omnia haec, inquit, & quicquid habes triſtitiae, meo in limine deponas oportet, ſed ingratos ante omnia pone ſodales. Intelligebat homo callidus, nulla ex re tam vehementer animos offendi amicorum, tam ad iram atque odium concitari, quam ſi, quibus ipſi beneficia contulerunt, opesque auxerunt, ab iis, cum opus eſt, gratia deſtituti, proditi eſſe videantur. In rabiem converſa eſt Hecuba, ut filium ulciſceretur, non Hectorem, quem Achilles, non Paridem, quem Aiax interfecerat, ſed Polidorum, quem Rex affinis amicusque necaverat. Furiis arctatus eſt Aiax, non aliqua belli calamitate perculſus, non incendio navium, non Hectoris victoria, non exercitus profligatione, conterritus, ſed ſociorum ingratitudine perturbatus. Sic enim exiſtimabat, nihil ſibi crudelius, nihil calamitoſius atque indignius, accidere potuiſſe, quam non ab hoſtibus, quos ſemper offendiſſet, ſed a ſociis, quos

Exempla.

quos non nunquam servasset, & gloriae ornamenta spoliari. Quapropter saepe, quod in hostem remissius cupimus, id in ingratos ardentius imprecamur. Quis hostem supplicio potius, quam misericordia dignum? quis interficiendum crudeliter magis, quam liberaliter servandum esse putabat? Quid in ingratos? Nulla misericordia, nulla liberalitas, adhiberi potest, officio in iniuriam, amore in odium malevolentiamque, converso. Nec ullum, quod vulgo dicitur, acetum acrius, quam quod vino exortum est dulci. Ab hostibus expectas iniuriam, vim, rapinas, clades, calamitates alias innumerabiles. Si quid horum eveniet, non decipieris; & tu cavere potuisses, & ille functus est officio. Ab amicis autem, beneficio affectis, quid tandem expectabis? Non honorem, auxilium, salutem, consilium, dignitatem? Si quid eveniat secus, tum maxime videberis deceptus, & ille scelerate fecit, & tu tibi ab illo non putabas esse cavendum. Quod si hostes iura quaedam, & habent, & servant, bellorum, ne quid dolo agere, ne quid fraude & proditione, videantur: quanto maiori supplicio dignos censebimus ingratos, qui & liberalitatis iura despiciunt, & integritatem, quam nobiscum praecipuam servare debuissent, fraude ac perfidia sceleratissime violaverunt? Sed nimis lente progredimur; velis est hic cursus remisque conficiendus. Itaque oratio-

Mirum, quantum odium in ingratos,

tionem meam continuam & profluentem diutius demorari, & quasi per ambitum circumactam, retardari non patiar. Utinam par animo adhiberi possit oratio. Equidem ingratos istos mecum ipse considerans, nescio quo pacto, incendor animo, & odio quodam efferor incredibili. Unde initium capiemus dicendi? An est quaedam circumscripta & seiuncta res, de qua separatim dici possit? Nullum scelus, nullum flagitium, nulla turpitudo, nulla immanitas, nulla crudelitas, nulla impietas, nihil denique turpe atque horrendum, quod non ab hoc nefario ingratitudinis scelere exoriatur, nullum vitium detestabile, quod non ab ingratorum perfidia, tanquam ab omnium malorum fonte, manare ac latius profluere videatur. Serpit enim hoc malum, & nescio quo pacto, per omnes vitae actiones incepit, omnia foedans, contaminans, cruentans, quocunque delabitur. Nam quid per Deos immortales amicitia melius? quid utilius, iucundius, salutarius, comparatur? At ingratitudo tollit ac delet funditus amicitiam. Haec tota in benevolentia, tota in officio, tota denique in caritate, versatur. Ingratitudo res est odiosa, vitae officia violat, extinguit caritatem. Quocirca definitionem valde equidem commendo, eique vehementer assentior, esse ingratitudinem ventum quendam exurentem, omnem caritatis fontem exsiccantem. In amicitia ad promerendum

vel ob innumera, quae coniuncta habet ingratitudo, omnium flagitiorum infausta mater, vitia augetur.

rendum quidem diligentissimi ac studiosissimi, ad referendum vero promtissimi, esse debemus; ingrati autem, & in promerendo negligentissimi, & in referendo tardissimi, sunt. Amici fortunas, opes, honores, dignitates, omnia, censent, oportere esse communia; ingrati ad suam solum utilitatem omnia metiuntur. Quid pietate praestabilius? Ingrati omnem abiiciunt pietatem, neque parentes alunt, a quibus vitam, corpus, animam, susceperunt, neque patriam tutantur, a qua foti & sustentati, nulla eius in se beneficia meminerunt, nec Deos colunt, a quibus, in hanc pulcherrimam lucem producti, vitam simul cum ratione susceperunt, nec aras, focos, templa, delubra, venerantur. Feram quandam atque immanem prae se ferentes impietatem, trucibus & cruentis oculis hominum fortunis inhiant, & tanquam rapaces aves dilaniant, diripiunt, depilant, amicorum sanguinem fraudulentis rostris exsorbent, officii, benevolentiae, humanitatis, obliti, praedam utilitatis escamque sectantur. Quapropter non iniuria rapacibus duxi alitibus comparandos, quas natura feroces genuit vetuitque congregari. Nunquam enim comitatae, solae semper, aspiciuntur. Quod idem apparet in ingratis, quos, praedae intentos, involare, rapere, exsorbere, solo incedere, nemini societate coniungi, nullius amicitiam colere, videmus.

Unde quam

O eradicandum genus hominum! o pestiferam

feram & perniciosam herbam! ex vitae huius agro radicitus evellendam. O labem! o maculam! o tabificum venenum societatis humanae! quae concordia, quae societas, quae benevolentia potest esse inter ingratos, homines teterrimos atque foedissimos, ad odium natos, ad rapinas instructos, ad perfidiam educatos? Nam quid dicam de conservatrice rerum iustitia? quam sic violant funditusque evertunt, ut nihil ingratis videri possit iniustius, nihil pravius atque iniquius, cogitari? Est illa posita in omnium rerum divinarum atque humanarum aequabili & perpetua moderatione, unicuique, quod suum est, tribuens, eripiensque, quod non est suum. Ingrati nihil agunt moderate, arrogant sibi aliena, quae sunt aliis tribuenda, non tribuunt, quae referenda, non referunt. Distringor equidem divellorque dolore, cum aliquem ex istis intueor, non statim rapi eum sublimem & ad poenam suppliciumque deduci. Nec tecum magnopere dissentio, quanquam multa diximus simulate, esse illos omni cruciatu dignos, omni duro supplicio afficiendos. Etiamne eculeo? Etiam digni sane, qui, lupino sacco cum gallo simiaque consuti atque involuti, praecipitentur in profluentem. Nam si peccatum aliud alio maius iccirco iudicari debet, quoniam in eum peccatur, in quem minus peccari conveniret: sola igitur distinguit ingratitudo pec-

vehementissime in ingratos inuchitur.

Est nimirum ingratitudo omnium maximorum vitiorum maximum, eaque

sola peccata distinguit.

peccata. Maiore itaque poena plectuntur, qui parentes, quam qui alienos, necaverunt. Cur ita? Quia plus ingratitudinis commiserunt. Quid qui diripiendam hostibus patriam prodiderunt? Multo maiore. Quam ob rem? Quia in plures fuerunt ingrati, in amicos, in affines, in liberos, in parentes, quorum fortunas & corpora hostium potestati ac libidini subiecerunt, in Deos immortales, quorum aras ac templa dirui funditusque interire curaverunt. Quid in peregrinos? Licetne eos necare impune? Minime. At illi nullo nobis devincti sunt beneficio. Fateor. Non igitur faciemus ingrate, si quas illis insidias atque iniuriam faciemus? Non recte sentis. Genuit nos natura sociabiles, dedit fomenta quaedam & igniculos benevolentiae, quos non supprimere odio, aut extinguere, sed excitare ac succendere debeamus caritate. Aget nobiscum ipsa natura, accusabit ingratitudinis, si, quas illa vires ad benevolentiam omnium gentium dederit, ab ipsa productarum, eas nos in odium & malevolentiam convertamus. Quorsum, dices, haec? Quid putas, nisi ut intelligas, ingratitudinem non solum scelus esse maximum, sed fontem etiam scelerum omnium reliquorum, quae tanto puniuntur acerbius, quanto plus habere ingratitudinis videantur? Quid dicam, violari fidem, officia vitae perverti, extingui liberalitatem, largitiones & munificentiam

Id quod ulterius probatur,

tiam e vita tolli, simultates atque odia nasci sempiterna? Quicunque enim est ingratus, idem est perfidus, idem iuris, officii, fidei, violator, idem omni scelere flagitioque contaminatus. Nam si res, si pecunias, si coniuges, si liberos, si arces, si capita denique nostra, iis committere soleamus, quos arbitramur, aliquo nobis beneficio esse devinctos; si in hos fortunas spesque nostras collocamus; si iccirco iuvamus multos, opitulamur, subvenimus, ornamus, ut habere possimus, quibus fidem in negotiis, spem in periculis, adhibeamus: quales tibi videbuntur ingrati, qui praedam tuam, non te, secuti, spe ac fide plenum, in media, ut aiunt, flamma incendioque destituent? & cum opus erit auxilio, miseram atque afflictam amicitiam deserentes, ad meliorem florentioremque fortunae faciem devolabunt? Quo tunc ipse confugies? Quos implorabis? Quibus supplicabis? Multa quidem & ampla sperabas; sed frivola, ut dicitur, recte nitebaris. Atqui nondum concludo, quae volo. Restant alia maiora. Sed quae tandem istis possunt esse maiora? Nulla crudelitas insignis, nulla immanis proditio principum, hominum, civitatum, nulla fraus, nulla perfidia, esse potest, nisi quam ingrati aut fecerunt ipsi, aut ab aliis fieri curaverunt. Vendidit hic auro patriam. Quam ob rem vendidit? Quia ingrato, qui tuto id facere potuit, sese illa

commiserat. An putamus, alia id de causa tuto facere potuisse, nisi quia, quem patria ipsa exornaverat, extulerat, ad amplissimum dignitatis erexerat, ei se tuto credendam committendamque esse putavit? Prodit hic amicum. Cur non potius inimicum? Eum ipsum fortasse libentius; sed huic se ille nullo modo commisisset. Ergo illum prodidit, qui se commisit. At ideo certe commisit, quia vincula quaedam officii extare putabat, quae iste, nisi fuisset ingratus, nullo modo perfregisset. Omnes igitur, qui produntur, ab ingratis produntur. Quid crudelitatem? unde manare censeamus? Interfecit quis inimicum, iugulavit, suspendit, trucidavit, naribus, oculis, auribus, deformavit. Quis non hunc iratum potius, quam crudelem, appellaverit? Hospitem vero si quis necavit, aut amicum, aut parentem, aut aliqua secum affinitate coniunctum: quis hunc iratum? quis non potius crudelem, immanem, truculentum, censeat iudicandum? Habet id ingratitudo, ut, nisi inter coniunctos, vel natura, vel officio, committi non possit. Quam qui committunt, quanto inter se coniunctiores sunt, tanto erit illa iudicanda deterior. Nam, ut dixi, nisi inter aliquos devinctos vinculo, esse non potest. Quinam, obsecro, Alexandrum interfecerunt, nisi quibus ipse, ample magnificeque ornatis, vitam, corpus, animamque cre-

exemplisque illustratur.

credebat? Qui rursus Cn. Pompeium tam nefarie trucidarunt, nisi quos ipse, ab hostibus patrio atque avito regno deiectos, in prisco regiae dignitatis fastigio collocaverat? Qui praeterea Darium? qui C. Caesarem confoderunt? nisi quos ipsi ornaverant, quorum auxerant atque amplificaverant dignitatem? Quid dicam, osculum illud sanctissimae Religionis nostrae nefarium atque crudele & inde profectum, unde proficisci minime debuisset? Fuit genus illud mortis ex omni, ut scimus, parte violentissimum, ut plane constet, nullum unquam omnino fuisse violentius, cuius indignitatem, quo nihil deesse posset acerbitatis, auxit ingratitudo. An igitur dubitamus, hanc unam quaesitam esse rem ad cruciatus illos durissimos coacervandos, ad mortem denique illam acerbissimam & truculentissimam omni suppliciorum ac scelerum importunitate cumulandam? Quicunque itaque crudeliter, quicunque scelerate nefarieque, perierunt, ii omnes ingratitudine perierunt. Hoc unum est malum, a quo omnia scelera, cuncta flagitia, universae turpitudines, manaverunt. Haec ego sentio de ingratitudine, nec fui durior, quin morem tibi statuerem esse gerendum. Vides enim, quae copiosius dici potuissent, quam brevissime esse tractata, ut non tam percurrisse pedibus haec videar, quam alarum celeritate pervolasse. Hoc

tantum adiecerim, nihil tam foedum, tam turpe, tam inmane, tam ſceleratum, tam denique flagitióſum & deteſtabile, dici poſſe, nihil tam nefarium atque impium excogitari, quod ingrato non videatur quam aptiſſime convenire. Quocirca devitemus hanc immanem & perniciosſam belluam. Non illum amicitia, non aditu, non congreſſione, non conſuetudine, non ſermone, non aſpectu, dignum exiſtimemus. Acerrimum inimicum humanitatis, liberalitatis extinctorem, Deorum inmortalium contemtorem, omnium denique auctorem flagitiorum, aſpernemur, abhorreamus, & tanquam peſtiferum aliquod animal truculentamque beſtiam fugiamus. In hunc flammas, in hunc odia, in hunc faces, in hunc incendia, coniiciamus & tela, atque in eius omnes impudentiſſima ora, tanquam in nefarium aliquid, conſpuamus. Habes iam animi mei ſententiam, quam ſic tibi manifeſte patefeci, ut non tam locutus graviter videar, quam concitatus ardenter. Tu ſi haec probas, bonam operam navavimus, idemque ſaepe faciemus. Ego vero, inquam, probo. Atque ita, acceptis palliis, facto tandem dicendi fine, diſceſſimus.

Concluſio ſeriam continet adhortationem ad ipſam ingratitudinem aeque, ac ingratos devitandos.

IOAN-

IOANNIS ANTONII CAMPANI DE REGENDO MAGISTRATV AD FRANCISCVM LVCIVM, EQVITEM SENENSEM, PRAETOREM ROMANVM.

CUm saepe in eum sermonem incideremus, qui esset de gerendis magistratibus & rebuspublicis administrandis: memini, Luci carissime, quam attente me audires, his de rebus non simulate disputantem, ut solent multi, sed aperte differentem, quae sentirem. Iungere enim utilitatem cum honestate conabamur, ea complectentes maxime, quae ex moderationis fonte nata ad commune commodum civitatis & amplificationem reipublicae pertinerent; quibus ipse quoque mirum in modum assentiebaris, videbaturque, fore, ut, si quando accederes ad magistratum, iturus esses quasi vestigiis orationis nostrae. Nunc vero, cum pro singulari prudentia & praecipua integritate tua Praeturam urbanam adeptus sis crebris nuntiis contendis, explicari tibi literis, quae coram solebamus, ut, quibus monitis privatus instruebaris, ea, in amplo gradu dignitatis positus, ad civium tuorum utilitatem possis accommodare. Nos autem hoc tibi libentius obtemperavimus, quod in eo versamur vitae curriculo, quod, *Causa atque occasio scriptionis.*

totum pertinens ad pie sanctèque vivendum, propositam habet universi generis humani summam honestatem, totum est humanitatis, & docendo, & hortando. Abducti enim terrenis cupiditatibus, aetatem fere omnem in Christianae religionis praeceptione consumimus, quae cum alia instituit praeclare, tum civiles societates in officio & tranquillo vitae statu continet, si eius praeceptis obtemperetur, cuius illud praecipuum est opus, ut quam rectissime vivamus omnes. Haec autem ratio vitae statuendae duabus rebus comparatur, praeceptis & exemplis. Sed de exemplis quidem nihil attinet dicere hoc in loco. Neque enim ad nostrum vivendi genus revocamus; liberior est tibi vitae ratio, & ad agendum, & ad sentiendum: sed tamen, ut imitari oporteat, quos videas in regenda civitate optimos, aut, quod maius est & gloriosius, ut, qui optimi videri velint, te unum imitentur, te praecipuum sequantur honestatis ducem. Accedit etiam antiquitas & cognitio gestarum rerum. Occurrunt tibi exempla maiorum tuorum, gentium & nationum exterarum, civitatum & populorum; ex quibus omnibus aliquid decerpi potest, quod cum laude possis usurpare, qui est fons hauriendis exemplis uberrimus. Nulla enim est tam barbara, tam inculta, quae non aliquid aut gesserit, aut tulerit, memoria dignum, unde, si quid est gestum praeclare, si iuste ac

Christianae religionis finis primarius.

Secundum eiusdem praecepta vivendi norma atque modus.

Exemplorum usus.

ac ſapienter factum, ſi dictum eleganter, graviter, ſi callide & prudenter excogitatum, omnia cum dignitate poſſis praeſtare. In quibus aut non curabis, aut, multorum, qui te anteceſſerunt, veſtigia ſecutus, errabis, etſi non eadem eſt ſemper vivendi ratio omnibus; multa tempus, quaedam etiam locus, affert, quibus ſapientis viri iudicium facile moderatur. Sed haec, quae ad imitationem optimorum pertinent, magis a te intelliguntur, quam queant explicari a nobis. Praecepta vero tradentur illa quidem, ſed haec quoque ad communem curſum civitatum, quam ad ſtateram religionis, aptiora, ut queri non poſſis, maius tibi impoſitum onus, quam quod ferri poſſit, qui in communi vita & civili ſocietate verſatur, ubi aliquanto vagatio eſt laxior. Itaque nihil a trita, ut aiunt, recedemus via, nec ullas in anguſtias te compellemus; iter tantum oſtendetur, quo ſis ad gloriam & laudem expeditior. Civitatis recte adminiſtrandae primum locum obtinent Magiſtratus, quorum tanta vis eſt, ut, prave negligenterque habiti, quaevis maxima evertant imperia; diligenter autem & recte geſti, ampliſſima quaeque tueantur. In his enim omnis civilis aequitatis moderatio, in his ſalus & tranquillitas civium, continetur, qui ſunt conſtituti, non ut opes accumulent, qui multitudini praeſint, ſed ut conſtent omnium iura, imperium commune creſcat, fortunae civium tutae ſint ab

Quis vero ſit praeceptorum.

Magiſtratus vis & effectus.

iniuria, & dignitas augeatur universae civitatis. Quod quale sit munus, ex ipsa fronte orationis nostrae poteris intueri. Grave profecto & onerosum homini ad dignitatem cuncta referenti, ceteris videri potest levius, qui, ut minimum afferunt diligentiae ad communem salutem custodiendam, ita ad efferendam ostentationem ambitionis & insolentiae plurimum; qua in re adeo ferri nequeunt, ut nihil videri possit inflatius. Sunt etiam, qui odio & rapina sic armentur, ut non eorum custodiae traditae, sed depopulationi datae, civium omnium fortunae videantur. Nos vero, non quales sint, qui gerant magistratus, sed quales esse oporteat, quaeri volumus, idemque te velle existimamus, ut possis non solum naturam tuam ducem sequi, sed etiam praeceptis nostris ad optimum, quod sit, pervenire. Qua in re adhibenda est Platonis diligentia, qui eos solos censuit admittendos reipublicae muneribus, qui essent idonei, ceteros autem longe repellendos, quorum vel ingenii tarditas, vel naturae malignitas, rem communem efferre non posset. Quosdam enim tulit natura ipsa paulo hebetiores & tardos ad deliberandum, alios vero, acutos illos quidem & ad consultandum acres & industrios, tamen parum moderatos, praecipites ad iram, ad inimicitias atque odium, pertinaces, simultatum cupidos & seditionum; quo nihil est in libera civitate perniciosius & magis fugiendum

Magistratus gerendi grave munus; quibus vero leve videatur.

Quaeritur, quales esse oporteat, qui magistratus gerunt?

Nimirum neque tardos, neque malignos;

sive neque hebetiores, neque praecipites;

dum. Haec autem omnia cum ipso nascuntur homine, & deponi saepe non possunt; occultantur non nunquam ad tempus, quo maiores suscipiant vires, ad statum civitatis perturbandum; nec ulla est ad nocendum pestis acerbior. Magistratum igitur praeclare qui vult gerere, hunc ita & natura institutum esse oportebit, ut nihil in eo desideretur, quod ad summum virum pertineat, ut acre ingenium, non abiecta forma, perspicax & matura gravitas in consulendo, vivax atque ardens in re bene gerenda diligentia, & quae satis explicari non potest. Intelligitur tamen comitatis acrimoniaeque mediocritas, ut neque foedetur iustitia immani crudelitate, neque lenitate nimia languescat, quorum alterum servilem contemtum parit, alterum odium tyrannicum; sed sit facilis quaedam mitisque severitas, nata quidem ab ingenio, sed tamen etiam ab arte profecta. Nam haec quanquam habeantur natura; non nihil etiam studio comparatur. Conferunt praecepta clarorum hominum, maxime Philosophorum, quorum ea solet esse sententia, ut neque cruentam tyrannidem, neque mollem licentiam, ferri putent oportere. Neque enim magis Romanorum opes attrivit crudelitas Neronis, quam mollities Sardanapali Assyriorum. Quanquam harum rerum peior crudelitas est & perniciosior. Evertit enim uno momento civitatem; lenitas paulatim enervat, cum

sed faciles ingenio, formosos, perspicaces, graves, diligentes.

Praecipue vero studeant in omnibus mediocritati;

cum violentius robusta cadant, quam imbecilla deficiant. Sed haec, quanquam, ut saepe iam diximus, a bonis institutis, magis tamen a natura, desiderantur. Itaque hanc tu quasi primam artem tueare, ut neque duriorem te praebeas, quam humanitatis postulet ratio, neque laxiorem, quam officii dignitas permittat. Qua mediocritate, mirum est, quantum laudis sibi pepererunt, qui gubernacula rerum publicarum susceperunt. Nec ullum est temperamentum conservandis civitatibus accommodatius, sive bello fluctuent res, sive pace conquiescant. Quod praeclare Coelius noster, ut est omnium in sermione gravissimus, definivit, interrogatus ab architecto quodam, quod malthe genus ad muros urbium conficiendos esset tenacius, respondit, quod ex magistratuum moderatione & civium concordia conficeretur, ut nullae, quamvis editae ac latae, turres cum illo sint conferendae. Qui autem mediocritatem hanc praestare non possit, tanquam ineptus publicis muneribus arceatur. Pari enim calamitate afficit rempublicam, qui eius vincula ita contrahat, ut rumpat, qui ita laxat, ut dissolvat. Sed de hoc satis multa diximus. Sunt deinde alia quaedam ab animo bene instituto, tanquam a fonte nascentia, quibus si careas, omnia evertantur, necesse est, ut id, quod omnium est primum, & humanis in rebus latissime patet, habere Deum immortalem ante

Cuius posterioris vis atque effectus paulo uberius declarantur.

Maxime vero oportet esse, qui magistratus gerunt, pios;

ante oculos, ducemque ad omnia sequi, ut instituta religionis nec offendas ipse, nec, quantum fieri potest, ab alio quoquam offendi patiaris. Deinde ut conscientia tua, id est, animi sententia, traharis ad iudicandum, nec ulla percitus iniuria, nullius impulsus inimicitiis, nullo, quamvis ingenti, pretio, nullius gratia aut amore, nisi aequi & boni gratia, movearis. Existimes civitatem, cui praesis, fidei commissam tuae, non potestati traditam, & eum ipsum, quem geris, magistratum non ad utilitatem tuam, sed ad commune commodum universae civitatis, aut, si id non possit, ad salutem bonorum, esse referendum, plusque tibi oneris impositum, quam dignitatis aut honoris collatum, putes, eumque fructum esse uberrimum, ut prosis omnibus, officias nemini, ne lacessitus quidem, nisi publicae utilitatis causa. Postremo est tenendum, quod in publicis negotiis vires habet amplissimas, ut neque bonorum consilia negligantur, neque admittantur improborum. Nam ut a primo incipiamus: Deum immortalem propitium si habueris, firmum tibi iecisti fundamentum omnium, quae facturus dicturusque sis, etiam quae cogitaturus. Omnia secunda sunt colenti Deum, adversa spernenti, &, qui religioni studens divina tutatur, fluctuare potest aliquando, mergi nunquam potest. Nec soli tibi religio ipsa colenda est, sed universae familiae tuae metus divinitatis

Tum conscientiae suae motus, sive rectam rationem sequantur:

Denique nec bonorum consilia spernant, nec admittant improborum.

Laus pietatis atque fructus;

nitatis iniiciendus. Faciendae quotannis expiationes delictorum, abluenda scelera & omnes animi sordes Christiano more deponendae, dies festi, ceremoniae celebrandae, denique nihil viro bono & honestatem profitenti, quod ad Dei religionem pertineat, negligendum est. Primum, quia inde orti, contemnere eum sine summa impietatis mercede non possumus; deinde, quia ubi subest religio, & sanctius vivatur, oportet, & moderatius. Coerciti enim vinculo divinarum legum ac metu coelestis supplicii deterriti, efficimur ad delicta tardiores, promtiores autem ad officium & honestatem; veremur, ne quid superbe, avare, crudeliter, immunde, faciamus, ne impii, ne ingrati, videamur. Et quanquam Rodomanthum illum Canosium, quem fingunt poetae, non credimus; persuasum tamen est nobis vel a natura ipsa, in tanto divinarum atque humanarum rerum ordine, quem etiam in minimis quibusque intuemur, nihil nasci omnino, quod non divina lege teneatur, eiusque iussis immortalibus & sempiternis obtemperet, constitutumque a supremo iudice Deo, qui rebus omnibus immensa atque infinita mente moderatur & imperat, ne quid in terris committatur, vel boni sine praemio, vel sine supplicio mali. Unde temeraria Democriti orta sententia, qui ceteros Deos sustulit, praemium poenamque reliquit, opinatus, ex his duabus rebus

bus vitae officia constare omnia, ideoque Deos esse solos. Stulte quidem; sed demus hanc veniam antiquitati, quae, per devia & conflictationes opinionum agitata, confinxit sibi, quos voluit Deos colere, quem autem debuit, non cognovit. Valet itaque multum religio ad scelera coercenda, quae coercitio hoc melior videri potest, quod scelus & turpitudinem non iussu fugimus alieno, sed nostra sponte declinamus. Parit etiam, nescio quid auctoritatis, ut, si qui, ad id vivendi genus traducti, curam abiecerint rerum terrenarum, his plurimum adhiberi soleat fidei. Nec solum, qui opes fortunasque contemserint, sed etiam illas qui appetunt studioseque accumulant, tanto habentur meliores, quanto ad religionem & rem divinam propensiores esse videantur. Gignitur quaedam inde opinio virtutis & modestiae, quibus finitima est, quam praestari maxime oportet, auctoritas rerum gerendarum, quae cum frequenter a vitae nascatur integritate, non nunquam ex gloria & admiratione virtutis, tum vero frequentissime a cultu observantiaque rerum divinarum. Quod si nonnulli simulatae probitatis viri falsa superstitione tantum valent ad hominum mentes illiciendas, ut flectere, concitare, lenire, exasperare, soleant; quid in his est existimandum, quorum est sanctitas vitae probata & aperta, spectata integritas & in medium exposita? Quantum in his eluceat

maie-

maiestatis? quantum observantiae & auctoritatis? Ad affectus autem exasperandos aut leniendos, quo genere vitae quid Deo, Principi optimo maximo, acceptius sit, aut homini salutarius, non video. Nec est, quod te sacris ritibus initiari postulem, paucorum illud est opus, & eorum, qui aeterna mortalibus anteponunt, mente freti praesaga rerum futurarum, spretisque dignitatibus & fortunis, quas mortales tanto mirantur & quaerunt studio, omnes cogitationes & vigilias in supremi parentis cognitione posuerunt. Ceteri, quae sunt ante oculos, intuentur, futura tamen, sed raro, & per caliginem aut nebulam inspicientes. Nonnulli pecorum more, omni spreta religione, quicquid loquuntur, cogitant, faciunt, turpissimo voluptatis fine metiuntur. Horum neque res gestae probari possunt, neque vita laudari, nullaque sunt auctoritate, a publicis gubernaculis longo intervallo abiiciendi, cum neque ipsi praeclara aut utilia gerere, nec ceteros ad ea gerenda hortari, soleant, aut si fuerint hortati, nemo est, qui assentiatur, etiam honesta suadentibus. Qui enim contemnit Imperatorem Deum, hunc honestatem colere non putant posse. Probitatis autem mirum est, quanta sit veneratio, eius maxime, quae, coniuncta religioni, & integritatem a natura habet insitam, & a cultu divinitatis honestatem, ut, quicquid persuaderi velit, dici non possit, quam facilis

item honor atque veneratio;

lis ſit omnium aſſenſus. Fit etiam, ut in eo genere hominum vel minima delicta vix credantur, etiam manifeſta; in improbis autem vel maxima ſcelera, etiam occulta, pro compertis habeantur. Quae fides in rebus gerendis cum in ceteris valet plurimum, tum in his, qui in republica verſantur, maxime eſt neceſſaria. Tollere inimicitias, decernere, quae ſint in rem civium, ſuadere pacem, hortari atque irritare ad bellum, flectere ad miſericordiam, excitare ad iniurias depellendas, denique omnia, quae in libera civitate tractantur, quis magis debet, quam qui poſitus eſt in magiſtratu? quis magis poteſt, quam qui ſignificationem prae ſe ferat religioſae bonitatis? Haec autem eo ſpectant omnia, ut & cultui divino vaces ipſe, vacetque familia, & eos ne contemnas, qui, contemplatione delectati rerum divinarum, paupertatem ferre, quam pecuniis accumulandis ſtudere maluerunt, qui aſpernati haec terrena & fluxa, aeternique coeleſtis boni ardore incendantur. Horum familiaris conſuetudo multum prodeſt, & ad praeſtandam bonitatem, & ad oſtendendam. Qui autem ſacra publica non celebrat, ceremonias deſpectas habet, templa non frequentat, dies feſtos non obſervat, profana ſacris & fluxa aeternis potiora exiſtimat; quid hic facere aliud, quam pernicioſum civem agere & immortali Principi Deo bellum indictum habere videa-

 tur?

tur? Porro hunc hominem quo pacto ius tibi tuum redditurum censeas? quo ius in magistratu constitutum, quem videas sanctissimo Deo, quod suum est, non persolvere? nisi levius fortasse sit scelus, Deum fraudare, quam homines, aut acerbiore poena fures, quam sacrilegi, sint puniendi, quorum alterum ad Deum pertinet, alterum ad hominem. Denique ita maxima est vis conscientiae, ut praeceptione religionis minime sciungatur; nec ulla res est in tam vario genere virtutum, unde plus consequi possis laudis & auctoritatis, & fidei, a quibus metus & gratia gignuntur, quae duo eminentissima in republica sunt propugnacula. Haec autem religionis observantia & fructus in vita parit uberrimos, ut, ubi vita excesserimus, proposita habeat summa praemia in aetatem omnem duratura. Itaque omnium gentium & nationum firmata est consensu. Nam & apud veteres Aegyptios sacerdotum collegia Regibus assidebant in caufis iudicandis; & Aethiopum quidam ex sacerdotibus creabant Reges. Graeci causas deferebant Amphitrionibus, qui erant in Delo ministri Apollinis. Sic deinde Gallis iudicia, sic Chaldaei Babyloniis, Persis Magi faciebant. Quorum omnium vita moresque pendere solebant ex institutis religionis, ut civiles disceptationes & negotia profana sacris essent coniuncta, nec abhorrerent a lege divina iura civitatum, ubi iidem essent aucto-

Exempla Aegyptiorum, Aethiopum, Graecorum, Gallorum, Babyloniorum, Persarum,

auctores & reddendi iuris, & rei divinae faciendae. Romani vero, quorum res domi aut foris, pace aut bello, consilio aut manu, gestae summa cum laude atque admiratione memorantur, non nuptias facere solebant, nisi auspicato, & re divina prius facta, non tecta aedificare, non ire in provinciam, non bellum suscipere, non magistratui coaptari. Ius belli habebant Feciales, Aediles aedium sacrarum, Pontifices annalium, Augures tum rerum aliarum, tum inprimis magistratuum, Tribuni, qui essent sacrosancti, legibus praeerant, deinde qui suis, quique sacris essent initiati. Sic in stulta multitudine Deorum erant tamen caecae superstitionis acerrimi defensores, eamque omnibus gerendis rebus interponebant, quam qui contemsisset, civis habebatur perniciosus & aperte malus. Itaque nonnulli abdicati magistratu, multi ab hoste caesi, spreta religionis exempla praebuerunt; natioque fuit nulla tam inculta moribus, tam victu barbara, quae non existimaret, Diis suis, quantumcunque excogitari posset, honoris esse tribuendum, & bonos ac pios homines parere sibi gloriam in vita non mediocrem; mortuos autem migrare in deliciosam quandam & apricam amoenamque regionem, ubi & multum consequantur boni, & nihil mali patiantur, aetatemque agere cum Diis sempiternam, &, ut quisque aequissimus fuisset in vita, sic & in morte beatissimum futu-

Romanorum,

& aliarum gentium.

rum. Tum regnare quosdam apud inferos tradit vetustas, & de poenis suppliciisque decernere, quando in vita essent habiti iustissimi; qui autem turpiter impieque vixissent, exstingui nomen eorum in terris, ipsos autem in loca praecipitari foeda, inculta, tetra, plena calamitatum & suppliciorum; ibi neque aspectare lucem oculis, neque voluptatem animo sentire, posse. Quod si illi in tam vana superstitione ritus, quos semel recepissent, tanta pietate & cura tuebantur, adhibebantque publicis negotiis; quid est nobis in tam vera, tam honesta, tam sancta, religione faciendum? De qua re, si nimis multa scripsimus, dabis veniam plura etiam scribere cupienti. Alterum est praeceptum, ut, cum ad moderandam rempublicam fueris designatus & in magistratu constitutus, non reiicias, quorum sit opinio laudata, sed eos in consultatione magnarum rerum, quae in disceptationem veniant, admittas, audias, attendas; interdum & in causis mediocribus, quarum aliqua possit esse contentio, sive ad cives spectant privatim, sive publice ad universam civitatem. Sit hoc inter bonos malosque discrimen, ut recipiantur alteri deliberandis rebus, alteri, quantum fieri potest, abiiciantur. Vetus est illud Anthistenis, tum demum perire civitatem, cum a bonis mali non secernantur, ut tanquam ager excolenda sit civilis societas. Nec minus sustentandi cives boni & ornandi

Quorum sint in magistratu gerendo maxime adhibenda consilia; nimirum bonorum; malorum contra reiicienda; quos inter uti maximum intercedit, ita semper strenue servandum est, discri-

di ſunt, quam herbae ſalutares rigandae & fovendae; mali autem radicitus exſtirpandi, aut, ſi hoc fieri nequeat, propter multitudinem improborum, quibus, ut ait Xenophon, abundant plurimum civitates. Depurgatio quaedam adhibenda eſt, tanquam à lolio frumenti. Obſerves unumquemque, ut officium, ut mores, ut aetas, ut auctoritas, poſtulat, interdum ut genus, ſi a virtutis opinione non abhorreat, ut eorum, qui non minus gloria ſua ſplendeant, quam laude maiorum; nec ſolos afferat titulos & vetuſtatem ad rempublicam capeſſendam. Permagni refert igitur, quorum conſilio utaris, ſi bonorum, nihil ſpecioſius & tranquillius agi poteſt; nihil foedius & turbatius, ſi malorum. Inde ſalus civitatis, ſtabilitas, robur; hinc calamitas, tumultus, everſiones, oriuntur. Eam ob rem, quorum ſit integritas ſpectata, mores cogniti & probati, auctoritas non vulgaris, aetas non contemnenda, non deſpectum genus, eorum ſententias minime aſpernare. Sic fiet, ut non ſolum ex re bene geſta, ſed etiam, quia conſilio clarorum hominum uſus ſis, laudem conſequaris, ut ſic vel maxime detractores rerum a te geſtarum exitum improbare non poſſint. Qui autem ſuo iudicio, nullius conſilio, facit omnia, hic aut Deus quidam inter homines habendus eſt, aut, quod magis arbitror, temerarius iudicandus. Nec te moveat Heſiodi vulgata ſententia, qui per ſe ipſos

men; & adduntur rationes.

Heſiodi ſententia.

 ipſos

ipsos rem calleant, priorem locum laudis obtinere, quam qui consiliis aliorum invitantur. Nam Zeno, cui magis assentior, eos commendandos inprimis censet, qui ab aliis moveri malint, quam ipsi suo ductu rem gerere, ut, quanquam industria freti sua valeant ipsi ingenio & consilio sint perspicaci, tamen, quid ceteris quoque videatur, explorent; & nescire interdum, quae scias, haud inutile est. Fingunt Poetae, Iovem, cum quid gravius sit deliberandum, convocare reliquos Deos in concionem, & ordine rogare sententiam, ut intelligamus, eo magis consulendos esse mortalibus, qui rerum praediti sint experientia, quo sunt ingenio hebetiore atque obtusiore, quam Dii. Qui autem per se ipsum agit omnia, non tam prospicere illum, putant, quae ad deliberandum pertineant, quam contemni se & repudiari, tanquam rerum imperitos, arbitrantur, affectique hac, ut videntur, iniuria, quaerunt, quamvis in summa laude, quid accusent, aut, id si nequeant, illud ipsum, contendent, honestius atque utilius fieri potuisse. Quam invidiam diligenter tibi censeo fugiendam. Sed labuntur in eam maxime, qui, cupidi gloriae inanis, omnem sibi laudem student vindicare; nec volunt cum ceteris communicare, ut videre in maximis rebus decernendis soli videantur. Quae laus, etsi est magna, coniuncta tamen cum civium iniuria, plena est ostentationis & insolentiae, parit-

Zenonis.

paritque simultates contentiosas & discordes, quae, nisi fuerint extinctae & sublatae, perniciem afferunt civitati, ceteris contranitentibus & improbantibus. Quapropter adhibenda est moderatio comitatis & optimorum consultatio. Pessimi autem cives, ut ait Plato, careant splendore, lateant oppressa vitia, nullusque pateat aditus ad dignitatem, nec unquam extollantur. At bonorum consiliis honestissimis referta sit civitas, ferveat optimorum auspiciis respublica, ductuque illorum exeant inaciem, & procedant legum decretorumque vexilla, & pacis cohortes illis ducibus suo in loco statuantur. Ubi autem improbitas valet, non imperium illud quidem dicendum est, non civitas, non respublica, sed tyrannis & secessio & turbulentia sicariorum temeraria, praeceps ad omnia flagitia. Quo cum deducta res est, quae alia possunt evertere civitates, si haec non evertunt, aut quod tandem consilium a malis expectandum est, nisi ut bonis se praebeant oppugnatores, & sint impedimento, quicquid ad gloriam, ad decus, ad honestatem, decernatur, propensi ad libidinem, ad iniurias inferendas, ad excitandas seditiones, statumque civitatis evellendum. Parati erant olim Censores Romae, qui pessimum quemque Senatu pellerent. Qua dignitate aut officio quid sanctius? Floruisse illorum rempublicam videmus, quam diu bonorum consilia valuerunt. Postea vero, quam ad nefa-

Effatum Platonis.

nefarios perducta res est, ortae civiles discordiae, bellaque intestina rem atque imperium sustulerunt. Non possunt improbi honesta suadere, quibus ipsi sint infensi & praestare non possint. Quis legem adversus se ipsum ferat? quis consilium? quis suffragium? Num expectandum, ut aut ab adultero adulteria, aut a fure furta, nova lege reprimantur? Obstabunt potius, &, quanto maximo poterunt conatu, adversabuntur reprimere volentibus. Accedit ratio servitutis, quae longe bonis, quam malis, est infestior. Bonitas libertate gaudet, quae in legibus & decretis maiorum posita est, improbitatem autem nihil, aeque atque licentia, delectat, quae, nisi spretis & conculcatis legibus, vagari non potest. Cum autem leges intereant, deciditur extemplo in servitutem, quam boni nullo modo, mali facile, perferunt. Eam ob rem Philippus, Alexandri pater, cum opprimere Atheniensium libertatem statuisset, dari sibi sapientiores urbis, postulavit, ut eorum consiliis spoliata civitas facilius in discrimen & servitutem traheretur. Intelligebat callidus Rex, non plus valere foris strenuum militem, quam egregium civem domi, ad rempublicam defendendam, a quo cum esset destituta, citius, quam a milite deserta, caperetur. Sic apud Homerum Agamemnon plures sibi dari in castris Nestoreos, quam Achilles, quorum alteri manu, alteri consilio, valerent. Sed nec magis sunt transfugae

Exemplum Philippi,

Agamemnonis.

gae in exercitu ducendo, quam mali cives in regenda civitate, fugiendi. Illi uno impetu vix possent nocere; hi semper uno consilio cuncta funditus labefactant. Sed iam ad reliqua pergamus. Tertium sequitur, quod positum in caussis iudicandis praecipuam iudicis integritatem postulat. Magna res & praeclara tibi, civitati salutaris, nullius privatam amicitiam ita colere, ut publica iura violentur. Pluris enim decus civium, quam amici gratia, faciendum est. Nullius inimicitias ita prosequi, ut non existimes, publica instituta privata caritate esse potiora. Denique nec prece, nec pretio, discedere ab eo loco, quem aequitatis muri tueantur. Unde si civiles procellae te excutiant, tum demum abeundum est propugnaculo, cum locum ipsum salva dignitate retinere non possis. Quanquam, si res exigat, immoriendum est patriae, & moenibus & legibus defendendis. Hostes enim publici sunt vindicandi, qui aequitatem oppugnant; qui tuetur, is defensor libertatis dicendus, & salutis publicae propugnator. Quod cum in ceteris magnificum & gloriosum, tum his, qui civitati praesunt, necessarium. Solebant veteres Aegyptii Principis collo appendere veritatem, quam, iudicium redditurus, semper oculis subclausis intueretur. Extat Samii Pythagorae vetus symbolum, legibus opem ferendam esse, iniquitatem debellandam, stateram

Iuvat porro, neque gratiorem, neque severiorem cuipiam se praebere;

sed perpetuo aequitatis maxime habere rationem.

Studendum iustitiae;

Exemplum Aegyptiorum.

Pythagorae symbolum.

ſtateram non tranſiliendam, cor non edendum. Quibus clariſſimus Philoſophus aperte monet, qualem praeſtare ſe debeat, qui magiſtratum gerat & in republica verſetur. Habendus eſt animus in conſulendo liber, in iudicando liberior, ut ea dicas, quae ſentias, & ſentias, quae, legibus confirmata, ad publicam utilitatem referantur. Nec ſtateram tranſilias, id eſt, quod aequum iuſtumque ſit, ne transgrediare. Cor non edas, id eſt, nullius animi perturbationibus ſubiiciare. Agitur amici cauſa; vide, ne mitior, quia ſit amici futura, ſententia. Accuſatur inimicus; nec ob hoc quidem aſperius, quia inimicus, neſcio, an etiam levius, iudicandum. Donandae ſunt reipublicae privatae civium ſimultates, ut, non quid tibi libeat, ſed quid illi expediat, cogites. Propinquo dictus eſt dies; cave, ſub pallio propinquitatis nequitia deliteat. Denique tibi perſuadeas, oportere eum, qui magiſtratum ineat, exuere ſtatim ſeipſum, & omne ſuum ſtudium & cupiditatem cum veſte deponere, induereque publicam perſonam univerſae civitatis, omnia & privata, & publica, ſui iuris arbitrari; exiſtimare, quicquid reſpublica, vel ſingulus quisque, patiatur detrimenti, ad ſuam ignominiam dedecusque redundare. Sed tamen ita corpori conſulendum eſt, ut ſingula membra concordi aſſenſione moveantur, nihilque ſit omnino, quod a mole tota deſeratur, nihil, quod non ſubſequatur

Invigilandum communi potius rei publicae bono, quam cuiusquam privati,

tur

tur ſponte ſua. Itaque in hoc communi bono elaborandum eſt, ut non ſolum in dignitate poſitis, ſed etiam privatis, civibus ne quid fluctuet, ne quid deerret, & veluti ſolutum atque abſciſſum a tota republica abeſſe videatur, ſintque omnes participes communis boni, nec alter alteri inferat, aut inferri patiatur, iniuriam. Quod ita fieri poteſt, ſi non magis doleant, qui acceperint iniuriam, quam qui non ipſi laceſſuntur. Nihil enim tam eſt magnum atque impeditum, quod, ſi ex omni ſui parte cohaereat & conſtet, non facillime vertatur & cedat, ut navium magnae moles, concordi nexu compactae & colligatae, parva manu in maria pelluntur. Quae conſenſio rerum publicarum nulla via magis praeſtari poteſt, quam pari aequabilitate in omnes, unicuique tamen iuxta dignitatem tribuendo, etſi nullius rei, niſi publicae utilitatis, cenſeas habendam rationem. Hoc igitur ſecundum religionis obſervantiam & conſultationem bonorum morum praecipuum eſt in magiſtratu bene gerendo, ut, cum te totum ad commodum civitatis inſtruxeris, in hoc te armes, pro hoc, quoties opus ſit, depraelietur, ut neminem, niſi quantum fert communis ratio, extollendum putes, deprimendum neminem, ſed eas publicus arbiter legumque interpres nullam in partem, niſi quo te illarum ſanctitas vocat, acceſſurus, exiſtimes tibi iuſtitiae defendendae gratia, quasvis graves inimici-

Servanda igitur erga omnes eſt ſumma quidem aequitas, tribuendum tamen cuique ſuum.

Effatum Pittaci Mityleni.

micitias esse subeundas. Pittacum Mitylenum eum, qui unus ex septem est habitus, solitum dicere, tradunt veteres, malle se inter inimicos, quam amicos, sententiam ferre. Nam ex inimicis alterum amicum, ex amicis alterum inimicum, futurum. Quod quamvis ita se haberet, esse tamen, si quando in usu eveniret, aequitatem amicitiae anteferendam, etiam si alter esset inimicus. Haec tenenda lex est in iudiciis, ne iniustitiam, unicum malum, ut Socrates solebat appellare, iustitiae, quod maximum est bonum, anteponamus. Nam qui amore, aut odio, aut spe, aut metu, iudicat, is, amplissima maiestate sua recedens, vitae officia pervertit, civitati non mediocrem facit iniuriam, communi iure violato. Quo quid potest esse acriori supplicio magis dignum? Eam ob rem, cum in ceteris rebus honestiore vocabulo uti soleant legum interpretes, haec turpissima appellatione corrupta iudicia vocaverunt, quod aut primum defloratae pudicitiae, aut earum rerum, quae in nihilum evanescunt, dici consuevit, ut corrumpantur. Quibus rebus, sicut in iudiciis corrumpendis, praecipue adversatur integritas, ut plane intelligere possumus, hanc potissimum rebus iudicandis praestandam esse. Quod si quid ei desit, qui iudicium est redditurus, quod ad moderatissimam aequitatem pertineat; integer appellari non potest. Cum autem varia sint hominum officia, ut boni & compositi patris fami-

Socratis sententia.

Quae sint iudicia corrupta.

Diversa diversorum

familias, domum instituere, liberos erudire; boni agricolae, agros bene colere, fodere & arare, etiam conductos; ut boni civis, iusto imperio, legibus, institutis, parere, suis commodis civitatis utilitatem anteponere; ut optimatum, bene de communi libertate sentire, magnificentius vivere; ut maturae aetatis, consulere libere, defendere honestatem, iuventutem coercere, omni via decus publicum augere; ut adolescentium, vestigia maiorum imitari, excitari ad laudem, gloriam virtute & ingenio quaerere; ut vigilum, urbem custodire, pro portis excubare; ut denique omnium hominum diversa studia. Eius vero, cui commissa sit respublica, nullum est singulare munus, quod praeter cetera tueatur; complectitur omnia omnium officia, quaecunque ad commodum, salutem, ornamentum, reipublicae pertinere videantur, tuerique commune officium debet, efficereque, ut suum quisque tueatur, ne quid domus, ne agri, sive sint illi publici, sive privati, denique ne civitas omnis, aliquo afficiantur incommodo, meminisse, ad utilitatem civilis societatis, ad salutem omnium, se esse constitutum, cuius, quanto amplior est dignitas, tanto sunt delicta habenda graviora. Quippe cum publico munere fungatur, delinquere sine publica ignominia non potest. Laudandus vero est, qui, sua dignitate servata, sic vivat, ut iure accusari non possit. Magis etiam

hominum, diversarum aetatum, officia,

in uno quasi magistratu concurrunt.

etiam commendanda frugi patris familias diligentia, qui domum frugalitate & modestia regat; multo tamen vehementius extollendus est & omnium clarissimus & laudatissimus iudicandus is, qui magistratum bene gerat, cuius illud erit studium acerrimum, cunctam rempublicam, veluti domesticam supellectilem, componere, expolire, gubernare, ut, quanto viro maior familia est, & familia civitas, tanto huius opera, si recte administraverit, insignior, si prave, detestabilior. Nam si vigilare quemque suis rebus honestum est, quanto honestius erit, reipublicae providere? Contra, si negligere rem familiarem, ignavum censendum est, si liberos destituere, impium; quanto magis communi reipublicae deesse, patriam, id est, te ipsum, liberos, amicos, propinquos, parentes, Deos, fraudare, & impium, & nefarium, est iudicandum? Huic igitur rei omnis adhibenda est diligentia, non solum ne quid ex magistratu tuo respublica capiat detrimenti, sed etiam multo magis, ut concordia, ut moribus, legibus, institutis, crescat, nullaque pars omnino sit, cui debita cum diligentia non consulatur. Atque ita suprema fastigia curanda sunt, ut infima non negligantur, quemadmodum in pulchro & praestanti corpore lavandus quidem poliendusque vultus, sed nec capilli tamen unguiculaeque negligentius habendae sunt, cum parva labe magna saepe ornamenta foedentur.

tur. Si enim caſte, ſi manſuete, ſi iuſte, geras multa, & tamen exiguum aliquid relinquas officii, vel etiam ſi abiectiſſimis facies iniuriam, una macula ſordebunt omnia, tanquam minus integre ex omni parte geſta eſſe videantur, ut in ſublimi & magnifice ſtructa domo non fere laudatur architectus, ſi vel baſis una paulo ſit incultior, aut lapis, quamvis exiguus, intorte collocatus. Vetus eſt Platonis comprobatio de lyra, in qua ſi vel una chorda non conſonet, omnis concentus offenditur. Par omnium fortuna convenientem quendam efficit in republica & aequabilem conſenſum multitudinis, ſi modo nullius dignitati & virtuti detrahatur, iuxta merita cuique tribuendo. Praeclara haec quidem, quae diximus, & praeſtantis in republica viri, ſi una ornamenta, ſed afferentur alia quaedam non obſcuriora, & quae eo ſpectent, ut oſtendant, virum in magiſtratu conſtitutum & reipublicae gubernacula tenentem, nulla una virtute contentum eſſe oportere; ſed opus eſſe virtutum omni praeſtare genere, ut ſit tanquam ſpeculum quoddam honeſtatis clarum atque ſplendidum, & quo ſe ceteri componant ad bene ſancteque vivendum. Caput autem huius praeceptionis eſt iuſtitia, ad quam unam referuntur omnia. Eſt itaque omni ope tibi enitendum, ne quid ſuperbe, flagitioſe, iniuſte, facias, dicas, permittas, acerrimus defenſor publicae honeſtatis, maxime omnium,

Dictum Platonis.

Heracliti. Necessitas usiusque legum in repu-blica bene constituta.

omnium, quae ad leges & iura, tam humana, quam etiam divina, pertineant, habeasque ante oculos praeclaram illam Heracliti sententiam, leges, uti muros, esse defendendas, cum multo sit periculosius civitatem legibus carere, quam urbem muris. Tum qui leges civitatis oppugnant, sceleſtiores habendi sunt, quam qui muros; nec solum hostes iudicandi, sed etiam parricidae, cum ea tollunt, quibus salus & omnium vita continetur. Etenim turres & propugnacula vim externam depellunt, quae rara est, & non nisi a potentioribus infertur, vixque multis seculis solet accidere, ut moenia pulsentur; leges autem quotidiano praesidio civitatem ab intestina iniuria tuentur. Muri, ne ab imperatoribus, ne a regibus, capiantur, opem ferunt, quorum imperium aequum esse potest & tolerabile; leges prohibent, ne turpi & flagitiosae multitudini, ne improborum libidini, serviamus. Quae res ferre a viris magni & constantis animi nullo modo potest, ut, quisquis leges e civitate sustulerit, quietem omnium libertatemque sustulerit, quae ad publicam utilitatem omniumque salutem sunt excogitatae, ut, quantum de legibus, tantum de beata vita & libertate, de civium omnium incolumitate, subtrahatur. Earum enim ope custoditur libertas, auctoritas honorum retinetur, retunditur temeritas improbae multitudinis, simultates, & contentiones submoventur, alitur concordia,

res

res foris domique amplificatur, passim agitur honestum otium, comprimitur tumultus, sopiuntur inimicitiae, exstinguuntur odia, omnis omnium civium perturbatio depellitur, fortunae, opes, dignitates, denique bona omnia, legibus conservantur, florent, amplificantur, ut multo firmior sit eorum gloria, qui parto imperio legibus moderati sunt, quam qui bello pepererunt. Sunt, qui affirment, solitum dicere Diogenem, sive fuerit alius, e grege tamen Philosophorum fuisse arbitror, qua in civitate nec leges valerent, nec amnis currens interflueret, in ea pernoctandum sapienti non esse. Et quod a Platone dictum nostri auctores usurparunt, sine legibus nec domum ullam, nec civitatem, nec gentem, nec hominum universum genus, stare, nec rerum naturam omnem, nec mundum, posse. Quae, etsi de divina lege dicta videantur, effunduntur tamen ad civitatum iura, quae ex illa priore tanquam in rivos e vivo fonte manaverunt. Tenenda sunt & naturae iura, ne cognationis & societatis, pietatis, amicitiae, ne quid inter propinquos, fiat iniuriae, ne quid fraudis inter socios, ne liberi parentibus adversentur, ne dissolvantur amicitiae, ne subeatur ingratitudo, quo vitio nihil detestabilius, & ab universi humani generis societate magis alienum, nec cui defendendi sui facultas eripiatur, ne bonis viris honor non adhibeatur, ne anteferatur mendacium

Diogenis sententia.

item Platonis.

veri-

Descriptio Iuris naturae, veritati. Quae omnia iura naturae sunt, ut, cogente nemine, nulloque proposito supplicio, quisque tamen putet esse servanda, edoctus a natura, quae quosdam excitavit in nobis igniculos & fomenta virtutis, non a praeceptore tradita, sed ebibita ab ingenio. & gentium; Accedunt eodem ritus gentium, nationum mores, instituta civitatum, decreta maiorum, quae nullo modo sunt contemnenda. Evertent enim funditus contemta civitatem, cuius salus in his maxime rebus est constituta. Tum qua de re ferenda est sententia, iudicium reddatur; alienae sententiae non facile derogetur. Servanda etiam, quae nulla lege constituta, tamen consensu omnium probata, recepta, usitata sunt, quae ad consuetudinem referuntur, tum quae ad veritatem, it. aequitatis, utilitatem, honestatem, pertineant, quae ex aequo & bono eliciuntur. Nihil est enim popularius aequitate, multosque habet honestos assensores, plures tamen cum utilitate coniuncta. iustitiae, Tamen cavendum, ut serventur promissa, pacta constent, non rescindantur conventa, iura quaesita nemini auferantur, largitiones non intercipiantur, legata reddantur, tributa pendantur, vectigalia persolvantur. Haec si praestiteris, complexus eris prope omnes iustitiae partes, quae his in rebus fere tota versatur. Etiam non contemnenda est opinio bonorum, ut, qui magnis rebus gerendis plus sibi auctoritatis comparaverunt, a dignitate

sua

ſua non deiiciantur. Nam ſunt etiam inter privatos gradus quidam contentionesque honoris, ut alter alteri virtute, gloria, rebus geſtis, antecellat. Quae ſi contemnantur, parient ſeditiones & tumultus, etſi nullum fiat inter plebem optimatesque diſcrimen, unicuique tamen, quod ſuum eſt, tribuendo, eripiendoque, quod alienum. Nam hoc quoque ad iuſtitiam pertinet, ut opinio, ut dignitas, ut auctoritas, attendatur etiam apud quasdam nationes, ut aetas, quales fuisſe Lacedaemonii traduntur, nullam rem magis venerari ſoliti, quam ſenectutem. Praeterea in rebus iudicandis nonnihil laudis ſibi vindicat clementia, quae propria eſt viri praeſtantis & manſueti, & magis naturae noſtrae imbecillitatem, quam legum ſeveritatem, aut ſceleris atrocitatem, cogitantis. Nam acerbius punire, nocentes torquere, excruciare, crudeliſſimi ſolent, iniurias autem moderate proſequi, magnifici animi opus eſt, & ſupplicia ad manſuetudinem ſuam, non ad ſceleris atrocitatem, referentis. Non tamen dicam, obliviſci iniurias oportere. Nam id in magiſtratu nequaquam cenſeo faciendum; in privatis tamen hominibus nihil magnificentius & ſalutarius, in Principe vero, ut, ſi ſibi factae ſint, nihil ſpecioſius, quam ignoſcere, ita nihil pernicioſius, ſi in ceteros, quam negligere. Eſt genus hominum immane & deteſtabile, qui nullo, niſi cruento, contenti cruciatu, omnem ab-

Clementiae, eiusque praeſtantia.

iiciunt humanitatem, etiam in re tenui, novum aliquod supplicii genus excogitant, facta infectaque extorquent. Ii pro palmario habent, multis cladem intulisse. Quibus quid crudelius? ut non modo gubernaculis rerumpublicarum, sed etiam vita indigni esse videantur. Romani veteres negabant, ei fas esse lucem intueri, qui hominem vita spoliasset. Nec magni refert, lege quenquam occidas, an contra legem, si modo cupiditate impulsus occidas. Mihi autem videntur scelera non negligenda illa quidem, quae si praetereant impune, nihil est, quod non ausura temeritas sit; sed nec acerbius, quam ferat ratio humanitatis & magnitudo delicti, punienda. Athenienses, quorum praecepta de vita praeclara sunt habita, unde leges nostrae, tanquam e fonte, defluxerunt, vel in gravissimo scelere cicutam afferebant, eo supplicio contenti, quod, etsi est leve, tamen eundem habet exitum, quem eculeus. Cui est Phalaridis taurus incognitus aut subscriptio Neronis, quorum alter eum, qui tam immane supplicium excogitasset, illo ipso in tauro necari iussit, alter, quoties esset civis mulctandus morte, dicere solebat, quam velle se se ignorare literas, ne alienae calamitati manum apponeret. Quod si crudelissimis tyrannis poenae acerbitas non placebat: quid iusto imperio & civili mansuetudine faciendum est? Haec autem eo spectant, ut invitus ad damnationem hominis

Nimirum sunt scelera quidem non negligenda prorsus, neque tamen acerbe nimis punienda;

Sed etiam in poenis mo-

accedas

accedas, ut, quantum voluptatis capias scelere comprimendo, tantum capias doloris, quod in scelus inciderint, qui sunt puniendi, nec, quod aetate nostra plerique solent, multos laqueo, plures securi, confecisse, glorieris. Nam etsi punire latrones, fures, sicarios, & ceteros id genus, necessarium est, fortasse etiam gloriosum, tamen in id necessitatis non sponte est veniendum, ne, unde gloriam paulo avidius quaeras, ignominiam consequi videaris, si ex aliorum supplicio quaeras. Cogat te necessitas ipsa puniendi, non excruciandi libido impellat. Nec solum crimina spectanda sunt, sed etiam causa, tempus, locus, persona inspicienda, ut quis sit is, qui deliquerit? miles temerarius limitem invaserit alienum, an compositus civis: agro paterno vicinum exturbaverit? adolescens in mulierem impudicam fecisse impetum dicatur, an natu grandis in ingenuam? sicarius hominem vulneraverit, an inimicus? ab eo factum sit furtum, qui nunquam alias, an qui saepe, fecerit? a paupere propter inopiam, an propter avaritiam a locuplete? iratus convitium dixerit, an contumeliosus? pacis, an belli, tempore fuerit visus armatus? paraverit defensionem, an seditionem excitaverit? in libera civitate, an in municipio? consulto deliquerit, an casu atque fortuito? sponte, an invitus? suo ductu, an alieno imperio? ipse alios hortatus, an ab aliis impulsus? per imprudentiam lapsus

dus semper servandus.

Qui in quo consistat, & qualis ille sit habendus, pluribus indigitatur.

psus, an praecipitatus temeritate? dolo quid factum, an officio? in quibus omnibus casibus spectandus animus est. Spectandi etiam, ad quos pertinet iniuria, ut in hostes facta dicatur, an in socios? in propinquos, an in alienos? in cives, an peregrinos? in virum honestum, an infamem & detestabilem? in sacrum, an profanum? in privatum, an publico munere fungentem? quo in loco flagitium commissum sit? in templo an in lupanari? in foro, an in pomoerio? Haec omnia ab aequitatis fonte oriuntur, non fere semper explicato legibus ad unguem, iudicis tamen arbitrio reposita. In quo illud est magnificentissimum, imbecillitatem contra potentiam, inopiam contra divitias, tueri atque defendere, ut, cum tota respublica tuo sit commissa imperio, tuae tradita custodiae, quid infirmius sit, id maiore praesidio tueare, ut in urbium moenibus fieri solet, ubi, quae minus munita sunt, fortius defenduntur. Sunt, qui putent, fortunam quoque spectari oportere, ne seditiones oriantur, quod fere accidit in minuta nobilitate, aut potentium libidine compressa aequabili moderatione. Existimant enim, nisi aliquid permittatur licentiae, e sua se dignitate esse deiectos; cogunt coetus & multitudinem concitant, adducti spe mutandae & arbitrio suo vertendae civitatis. Quae fluctuatio est communis populis omnibus, ut aliqui aestuent cupiditate dominandi, quae res ad

Diversa hominum de iustitia iudicia,

tyranni-

tyrannidem labitur, nisi resistatur. Sunt, quos moveat metus iudiciorum, ut, si legibus parendum sit, poenas suppliciaque vereantur, scelerum magnitudine involuti. Multos colligit Aristoteles hoc aut ardore, aut metu, incitatos respublicas factionibus obligasse, ut Rhodiam nobilitatem contra plebem sumsisse arma metu eorum, quae parari dicebantur, ut Heraclienses, aliosque permultos. Nam de studio dominandi non opus est exemplo; hi lupi, ut aiunt fabulae, usquequaque inveniuntur. Hoc autem uno consilio putant evitari posse, si vento vela pandantur, & vehendum te, quo popularis vocat aura, permittas. Afferunt auctoritatem gravissimam Solonis, si modo auctoritas est ea dicenda, non querela potius. Quippe solitum dicere, aiunt, Solonem, quod quidam adscribunt Anacarsi, leges aranearum telae similes videri, siquidem telam illam, si quid leve imbecillumque inciderit, involvere & detinere, grave autem si quid, aut robustum, cedere & rumpi; sic leges coercere invalidos, a potentioribus frangi, solere. Sed & ego fortasse, si de factionibus esset sermo faciendus, putarem, ut euro carbasa darentur. Verum in libera civitate non arbitror, tantumque abest, ut assentiar, ut nihil existimem, a statu & salute rerumpublicarum alienius, nihil perniciosius, his, qui vivunt legibus, ubi tenenda aequabilitas est & moderatio iuris publici conservanda,

diversa studia.

Solonis effatum.

vanda, ut nihil extollatur, nisi virtus, nihil, nisi quod contra virtutem sit, deprimatur, si modo ea virtus coniuncta sit legibus, in quibus posita est salus civitatis. Plurimum etiam laudis in magistratibus gerendis sibi vindicat modestia, ut nihil appetas, quod non sit appetendum, ut pecunias, ut opes alienas. Nascitur enim ex hac appetitus intemperantia depilatio, rapinae, extorsiones; nascitur etiam libido explendae voluptatis a lege prohibitae. Nec ulla res est in administratione imperii flagitiosior, & quae magis offendat popularium animos, quam iniuria libidinis, ut stupra & adulteria, & quae sunt eius generis turpitudines, ut omnis violatio pudicitiae, quae ita custodienda est, ut nullum omnino libidinis in te vestigium videatur apparere. Haec enim omnia & ab honestate vitae & ab officii gravitate recedunt. Rerum autem omnium, nescio an turpissima sit, avaritia in magistratu, quae & odium parit, & maximas solet importare calamitates, & detrimenta gignit, & perversam opinionem integritatis, ut, quem cupidum pecuniarum homines intelligunt, posse eum causis iudicandis integrum esse non putent. Ex eadem quoque praeceptione est frugalitas & victus moderatio. Efficit enim, ut & robustior in otio vivas, & quandam prae se fert opinionem honestatis. Contra ei, qui est deditus temulentiae & eluvioni, corporis vires enervantur, fluctuat animus, volu-

Laus modestiae in magistratibus gerendis;

item frugalitatis & moderationis victus.

voluptatum cupiditatibus incensus, explendarumque libidinum, quarum origo est omnis a ventre & est pestifera civitati. Dignitate enim abiecta & contemta, respublica unius Principis intemperantia tota in licentiam luxumque dissolvitur. Praeclare Atheniensis Solon legem tulit, quae iubebat, temulentum Principem morte esse mulctandum, cum satius sit, unum hominem in republica perire, quam in uno viro foedari rempublicam. Et ne dicere nimis multa in eam sententiam videamur, colligenda sunt ei, qui gubernacula reipublicae teneat, omnia genera virtutum, vitiaque abiicienda omnia, ne qua parte deficiat. Quod si tanta integritas non detur in vita, ut perfecti eo omni parte simus, omniaque in nobis eluceant ornamenta virtutis, in hoc tamen studendum & laborandum est, ut praestare nitamur omnia, atque ita existimemus, ut, quoniam naturae imbecillitate optimi esse vix possumus, tanto aptiores esse ad hoc munus obeundum, quanto erimus vita meliores. Nec deterreri oportet, si qui magis idonei ad rempublicam capessendam plus industriae, ingenii, probitatis, attulerunt, quanquam improbitate nemo potest nos vincere, nisi ipsi vinci patiamur. Nam si primum locum honestae laudis non consequemur, eo plus nobis pariemus gloriae, quo propiores accedamus ad primum. Id autem cum in ceteris rebus est faciendum, tum

Solonis in hanc rem lex.

Quibus virtutibus

tum maxime in republica gubernanda & gerendo magiſtratu. Cetera ad unius plerumque pertinent rem; magiſtratus propoſitam habet communem utilitatem univerſae civitatis, ut hoc diligentius gerendus ſit, quo plures ſunt, quorum eſt cauſa conſtitutus. Et, ut expreſſius totam hanc rationem intelligas, ſunt, qui putent, hominem in magiſtratu poſitum ita pingi & exprimi oportere, ut nulla pars corporis vacet officio. Primum frontem ad tempus effingunt, ut lenis & porrecta in ſuadendo, aſpera, rugoſa, tetrica, in iudicando, quam & obſervare boni poſſint & improbi formidare. Vigiles ſint oculi & circumſpicientes, modeſti tamen, nec quales Hypericles in Sophocle deprehendit, cui proxime ſedentem egregia forma iuvenem laudanti, oportet, inquit, o Sophocles, Praetoris non ſolum manus, ſed etiam oculos, continentes eſſe. Laudatur illud Themiſtoclis decretum, quo magiſtratus a ludis arcebantur, ne respublica ludere ipſa videretur. Etiam in ea civitate vetus conſuetudo diu tenuit, ne minimus aditus eſſet in theatrum & ſcenam, niſi honeſta modulantibus. Quod ea de cauſa faciebant, ne, qui eſſent in ſpectaculo, magiſtratus parum honeſti ſpectatores fierent. Ego vero non eo te anguſtiarum compulerim, ut nihil ſpectes. Nam id moris diu eſt, quod obſolevit. Verum ne ſine gravitate & modeſtia ſpectes, hoc ipſum eſt, quod prae-

& qua mentis praecipue forma praediti eſſe debeant in magiſtratu publico conſtituti.

Themiſtoclis decretum.

praeſtare & potes & debes. Etenim nulla cauſa per urbem ſtipatum incedere, equo impudenter circumvehi & diſcurſitare, feneſtris ſuſpicere, noctu vagum errare, ludis omnibus intereſſe, & leve, & indecorum eſt; nec vacandum his rebus, quibus nihil ſubeſt dignitatis, ſed iuri reddendo invigilandum, ſtudendum concordiae civium, qua ſervata creſcit civitas, ſublata diſſolvitur. Huc intendendi ſunt oculi, hic tanquam pro portis excubandum. Sequuntur deinde aures duae, quarum altera accuſatori eſt aperienda, altera pandenda defenſori. In quo cavendum, ne quid temere credas, neve pertinax ſis, ut, quod ſemel audieris, avelli non poſſit. Cogites, quis is ſit, qui conetur perſuadere, quae res, cui obiiciatur, ne plus fidei improborum temeritate detractioni, quam bonorum innocentiae, adhibeas. Aurium enim nimius aſſenſus linguas exacuit detractorum ad virtutem oppugnandam. Linguam, id eſt, orationem, tempus & cauſae variabunt. Acerba & mordax ſit in caſtigando, in monendo conciliandoque maturior & ſuavior. Denique frontem ducem ſequitur oratio, aut frons comes erit orationis. Larga manus & benefica, non tamen ambitioſa & prodiga. Quod ſi in altero peccandum ſit, porrectam potius eſſe oportet ad munificentiam, quam uncetam ad rapinas. Nihil eſt in viro claro, quod largitate & beneficentia magis eluceat, ab

omni

omni tamen ambitu seiugata; nihil, quod vitam magis famamque denigret, quam ardens & insatiabilis cupiditas aliena rapiendi. Est autem ei, qui provinciae praesit, provincialium gratia, qui civitati, civium benevolentia, reportanda, non pecuniae, per vim & iniuriam extortae domum referendae. Hinc orta est maiorum lex de repetundis, ut eos, quibus praeessent, augerent opibus, non fortunis exspoliarent. Quod ut diligentius fieret, iis, qui magistratum cum laude gessissent in provincia, domi aes alienum persolvebant. Pedibus autem stabilitas quaedam desideratur, non vaga & discursitans, sed firma atque inhaerens, ne quaerendus, a quo ius reddi oporteat. Cautum erat lege apud veteres, non licere ei, qui gereret magistratum, provincia excedere, nisi voti solvendi gratia, quo pateret forum semper, & subsellia, & tribunal, quae loca publica esse voluerunt, quo aditus esset apertior. Denique nullum, volunt, esse membrum, quod ad salutem eorum, qui curae nostrae traditi sunt, non debeat celebrare, & consulendo, & agendo, ut tantum te laudis assecutum putes, quantum diligentia tua commodi fuerit respublica consecuta, tantum dedecoris, quantum illa detrimenti. Haec sunt, quae a nobis & literis & nunciis postulasti. Iacito tibi fundamentum colendi Dei. Quicquid inde aedificaveris, nullae procellae, nulla vis ferri labe-

Conclusio repetit quam brevissime hactenus dicta.

labefactabit. Iustitiam omnibus in rebus servato diligenter. Ea est in Deos, in homines, & in eos, qui mortui sunt, maiores nostros, ut Diis primitiae decimales, hominibus res, maioribus parentationes & exequiae, reddantur. Denique ita statuas tecum, nemini hominum maiorum fraudem inferendam, tum bonos viros non despiciendos, publicis consultationibus admittendos, crudelitati, libidini, omnibus flagitiis, bellum indicendum, inserviendum publicae utilitati, legibus & aequitati semper innitendum, nunquam pretio, gratia, libidine, iudicandum, ob rem iudicandam pecuniam non accipiendam, vitandam omnis avaritiae suspicionem, cavendum, ne quam in rem, quam in hominem, aut immanior, aut propensior, fuisse videaris, denique, quicquid repugnat honestati, fugiendum. Haec si praestiteris, summorum hominum, qui rebuspublicis praefuerunt, secutus vestigia, & nos profecisse aliquid his monitis laetabimur, & non solum vexilla, quae honori dantur eorum, qui munus suum praeclare obierunt, reportabis, sed civibus salutem paries, tibi gloriam ingentem comparabis, ut non eo solum dignus fuisse, quod gesseris, sed qui per gradus dignitatum ad ampliora extollendus videaris. Quae omnia facillime consequeris, si te reipublicae custodem, praesidem, propugnatorem, memineris esse.

IO-

IOANNIS ANTONII CAMPANI EPISCOPI CROTONIATAE AD FRANCISCVM MAXIMVM, CIVEM ROMANVM, DE DIGNITATE MATRIMONII.

Matrimonii dignissima origo

MAtrimonii dignitatem & vetustas originis probat, iam inde a primo rerum initio tradita nobis, &, per gradus aetatum continuata usque in haec tempora, gentium omnium testatur nationumque consensio. Nec potest non dignissimum esse, quod Deus instituit, religio tenuit semper, leges omnium humanae divinaeque sanxerunt. Vix dum creaverat hominem sublimis Deus, cum illi foeminam sociam atque adiutricem excogitavit, &, quod cogitavit, effecit, quippe Deo idem est cogitare, quod facere; idem facere, quod perficere, traxitque illam ex hominis ipsius costa, non ex terra peregrinaque materia confecit, ut esset viro futura coniunctior & gratior, quae ipso nata & facta esset e viro. Et cetera quidem religionis nostrae mysteria, quanquam sacrosancta & divina sunt omnia, ad curam tamen & custodiam hominis & emendationem, cum iam peccasset, videntur adhibita, hoc unum ad productionem uni-

praestat omnia religionis Christianae mysteria.

universi generis propagationemque legitimum naturae inventum est, antequam peccaretur. Ita hoc factum est, ut nasceremur; illa, ut lapsi surgeremur, effecerunt. Quantoque est ortus, quam surrectio maior, & officium, quam remedium, tanto est matrimonium, quam mysteria cetera, praestantius. Tum illa nequaquam ab omnibus admissa sunt, hoc omnes gentes, omnesque nationes, quanquam diversis ritibus, pari tamen consensu, receperunt, remque, ut erat, omnium sanctissimam atque utilissimam rati, quicquid potuerunt laetitiae, plausus, ceremoniae, adhibuerunt; fuitque semper apud omnes praecipua & fere sola celebritas nuptiarum. Quod etiam ex epithalamiis priscis veterum, quae nomen a nuptiis acceperunt, licet intueri, ubi festivitatis & laetitiae plena sunt omnia. Huc tibicines instituto maiorum, huc albentes equi afferebantur, huc pompa, quanta excogitari poterat, maxima cantu, versibus, tripudiis, ducebatur, quod res esset nulla, cui tantas deberi & honestatis & utilitatis laudes arbitrarentur, quantas ei, unde se natos esse intuebantur. Sic cum ceteras aestuantis naturae illecebras diversis nominibus appellarent, stupri, incestus, adulterii, fornicationis, spurcitiae, quod essent foedae & detestabiles, & legum ex his religionumque iura violarentur, solis nuptiis honestissimum matrimonii nomen tradide-

Omnibus gentibus nationibusque sanctissima omnium semper visa res est matrimonium.

Hinc singularis apud eas nuptiarum honor,

honestissimum conve-

nientissimumque matrimonii nomen.

diderunt; plenum honoris, pietatis, reverentiae. Quo enim cariore ac sanctiore nomine domum venire poterat nupta, quo mater familiae iam tunc destinaretur cum veniret? An est ullus affectus in terris honestior aut reverentia maior ulla, quam matris, atque eius matris, quae sit consensu legitimo coniuncta cum patre, non soluto libidinis congressu volutata? Quippe non omnis mater ex matrimonio est, sed quae duntaxat maritalibus vinculis nexa, non licentia flagitii concita, in thalamos ierit nuptiales, consecratos ceremoniis, non caeca libidine in fornicarios sese concubitus praecipitaverit. Ea enim est vera mater existimanda, quae tibi exploratum dederit patrem; & incertum habet patrem, quisquis ex lege non habet, transactaque res pro iudicio est, pessimam ei matrem esse, cui ex matrimonio non sit. Nec venit honesta consensio animorum, quo nuptiales taedae non pervenerunt, fitque impulsu libidinis obscoeno, quicquid displicet, cum est factum. Iudicium est, quod robur & pondus adiicit rebus, nec quisquam est, qui non invitus peccet; maluit, atque si liceat, id idem assequi non peccando. Quod opus praecipuum est nuptiarum, ubi omnia fiunt summa cum benevolentia eorum, qui affinitate iunguntur, non afficiuntur iniuria. Et amplectimur reverentia sponsam, non modo quia nobis desponsa est, sed quoniam liberorum

rorum nostrorum, quibus nihil nobis potest esse carius, mater futura sine scelere nostro, sine offensione Dei, sine contumelia propinquorum. Iure itaque matrimonii nomen sortita est res tanta, unde nati omnes matrem cum dignitate, patrem sine dubitatione, utrumque sine peccati infamia, haberemus. Sed ea res quam sancta fuerit semper & probata omnibus, infinita extant exempla, nec gens fuit ulla tam barbara, quae non solutam damnaret libidinem, matrimonium amplecteretur. Nam etsi prisci Arabes, ut res ceteras, ita & uxores, communes habuerunt; quod fere idem fecisse creduntur Britanni & Trogoditae, & in Graecia Lacedaemonii, quorum alteris catervatim, alteris familiatim, uxores erant, tertiis promiscue habebantur: tamen & hi intra concessos genti limites sua quisque contenti uxoribus tenebantur, nihilque apud eos acerbius, quam adulterium, plectebatur, cum extra familiares uxores catervatiasque lascivirent. Indi quoque veteres, non contenti unica, plures cum ducerent, alias voluptatis explendae gratia, prolis augendae alias, mercabantur. Quippe non dotem ipsi accipere, sed, quod & alias Cantabri fecerunt, ultro parenti offerre consueverunt. Indi quidam duntaxat bonis; Cantabris vero pro dignitate atque opibus erat proposita merces, quoniam aliqua inesset flagitii turpitudo his, quae ad voluptatem ducerentur.

insignis reverentia atque cultus,

in solutam contra libidinem & adulterium gravissima statuta poena. Exempla Arabum, Britannorum, Trogoditarum, Lacedaemoniorum,

Indorum

Cantabrorum.

Germanorum, Hos animos quantum attinet, secuti Germani, dabant ipsi dotem uxoribus, non accipiebant. Sed horum quoque par cura servandi matrimonii fuit, nec violati poena diversa, si qui alienis abuterentur, capitale habebatur. Aegyptiorum, Aegyptii vero eodem deprehensos scelere, viros quidem mille plagis caedere soliti traduntur, mulieribus nasum amputabant, ut, matrimonii iure violato, qua parte corporis homines illexissent, ea, contaminata pudicitia, foedarentur, & esset testimonium flagitii in vultu, quod in vultu libidinis fuisset incitamentum. incertae cuiusdam gentis, Et traditum est, fuisse nationem aliam, ubi Rex gentis nullam ipse quidem haberet uxorem, & habere lex vetuit, ceterum per alienas, & quas libitum esset, diversaretur, ut, quam nocte quaque potissimum mallet ex omnibus, eam interdiu accire ad se iuberet, isque apud eos plurimum gloriaretur, cuius uxor saepius fuisset accita. Sed Rex quidem ita habebat, ceteri nihil aeque, ac matrimonii iura, venerabantur. Erant & qui multo impudentius uxores ducerent, haberent tamen observantius. Taxillorum, Hi Taxilli in Asia populi fuere, ubi, si quae essent puellae parum locupletes, producebantur a suis in forum in ipso aetatis flore, magna pompa, tubis, classicisque procinentibus, atque ibi confluente multitudine, puella ei, qui ad se accessisset, primum posteriora corporis humero tenus, deinde anteriora, inspicienda

denu-

denudabat, atque ita, cui potissimum placuisset, nubebat. Sed nec hi quoque ad appetitum differebantur, sed contenti legibus eam tenebant, quam ultro accepissent. Paulo modestius Assyrii. Triumviros constituebant, appellabanturque praefecti nuptiarum, homines probati & graves. Ab his puellae, ubi essent iam nubiles, in multitudinem mediam producebantur. Horum si qui eas conducere vellent, praeconis voce denunciabant, atque ita locabantur, sed ut discedere ab his non liceret. Iam & hic matrimonia utcunque constabant, Babyloniis vero non tam aperta quidem, sed tamen turpiora, compendia. Quippe apud eos puellae cum hospitibus solitae feruntur, exigua pecunia, & quanta hospiti libitum esset, in gremium coniecta, quam summam doti destinabant, mox maritabantur, ut, quanquam turpiter, tamen sine matrimonio non essent. Idem mos est Cypriis, vetustissimis fuit & in Sicilia Eracliensibus, ut puellae, profectae ad littus maris, primo nuptiarum die publice prostarent, atque ita dotem lucrarentur, illaque esset commendatior, cui plures fuissent congressi; eumque congressum Veneris libationem appellabant. Per reliquam vitam continentissima, meliusque succedebant connubia & honestius, quam inchoabantur. Adhuc stultius & procacius Thebis, quae fuerunt, in Africa puellae viros ultro palam appellabant, &

Assyriorum, Babyloniorum, Cypriorum, Eracliensium, Thebanorum

cum quibus, quotque libitum esset, conspurcatae, mox domum reductae, lugebantur a parentibus, ut mortuae, atque ita paulo post despondebantur. Infinitum esset per externa discurrere, remotasque nationes, nationumque diversos & improbatos mores, commemorare, apud quas etiam & parentes liberis nubere, ut apud Persas, & sorores fratribus, ut apud Aegyptios Graecosque veteres, consueverunt. Haec eo referuntur omnia, ut constet, divinitus adinventum matrimonium ubique obtineri, ubique coli, etsi multo sanctiora nostrorum fuerunt instituta, atque ut in ceteris rebus, ita hac nuptiarum quoque sanctitate, gentes nationesque ceteras semper vicit Italia, ubi nunquam eo dementiae aut libidinis ventum est, ut vel pudicitia fuerit contemtui, vel plures quisquam uno tempore uxores inculcaverit. Sed quanto maiores nostri exteros, tanto nos eos ipsos, hac ipsa nuptiarum dignitate superavimus, nec divortia, quae sponte fierent, nec repudia, quae in viri essent potestate, admisimus. Multo stabiliora sunt mysteria nostra, quia fundamentum iecerunt in petra, non ad casum fluctuationemque opinionum quatiuntur. Itaque maiores nostri, nondum nacti hanc lucem, qua nos illustramur, ignoraverunt quidem normam ritumque verum nuptiarum, quia verum sponsum Christum non noverant, & Cananeae nuptias atque apparatum

Persarum, Aegyptiorum, Graecorum.

Laudatur in primis Romanorum, sive Italorum continentia, pudicitia.

ratum non aſpexerant, ſed tamen tanto ornatu atque copia, tanta ſuperſtitione & ceremoniis, rem peragebant, ut omne ſtudium in id atque induſtriam impendiſſe videantur, dignique prope fuerint verum cognoſcere matrimonium, qui tantum in illo exornando elaborarent. Operae pretium eſt, intelligere, quo cultu nuptias, qua auſpiciorum obſervatione, celebrabant. Primum omnium puellae adhibebant conſenſum, ne qua nubere cuiquam invita cogeretur. Inde, ubi dictus dies nuptiarum advenerat, & pompa maiorum ritu parabatur, ſponſa virentibus floribus in corollae ſpeciem diſtinctis, coma praetegebatur etiam verbena, quam Lucinae ſacram, ut Veneri myrthum, putaverunt. Mater puellae variam ſupellectilem, ſpecilla, acus, calamiſtra, crinalia, inaures, frontalia, reliquumque mundum muliebrem in ſcrinia & cameram congerebat, eaque puellam anteibat, quo intelligeret, eſſe ſibi cum omnibus fortunis ſuis, quae ad liberam foeminam pertinerent, e patris domo in aliam familiam emigrandum. Inde albi equi, quos vocabant Iovis, ſtrati permagnifice apparabantur, & currui aut thenſae, in qua ſponſa inſedebat, adiungebantur, ut candorem uxorum ſine labe ſignificarent, & ſine macula eſſe oportere, & curru, cui per fornices tranſitus non eſſet, via patenti atque aperta, nullis latebris obno-

Mos celebrandi apud eosdem nuptias.

xia, vectaretur. Tum qua via iter sponsae futurum esset, ea tota floribus sparsa, velis late impendentibus, tegebatur, ita, ut coelum non prius aspiceret, quam ad mariti domum pervenisset, ducebaturque capite circumvelato; unde nuptiae a nubendo, quod est velare, dictae existimantur. Panarium etiam deferebat manu, farris cibariorumque plenum. Inde, ubi venisset ad limen primum vestibuli, sponsus arrectam eam sublimem, ita ut pedes pavimentum non tangerent, limini superiori incutiebat, ut aliquoties limen ipsum cervice feriretur, interdum canistro; quod ab infimae plebis puellis, quae non essent nuptae, ferebatur. Limina, in quae puella duceretur, sertis circumpendentibus coronabantur, testimonium novae ingentisque laetitiae, & e qua praecipue penderet domesticum decus. Puella veste induebatur purpurea, verum quae in suppari modum humeros non excederet, ne lacerti nudi relinquerentur, ut corporis reliquae partes sese inter modestiam & verecundiam custodirent, manuum opera in oculis spectarentur. Adde & collo monile, quo testaretur, victam iam esse, & in alterius futuram potestatem transcendere. Et limen ne pedibus contingeret, prohibebatur, ne quid offensionis accederet, omenque acciperet illaesae felicitatis. Eodem spectabat & candida infula, postem utrumque contingens, ad puri consortii significa-

Origo vocis nuptiarum.

Vestes nuptiales.

Auspicia.

ficationem. Thorus in aperto, exiguis & pressis gradibus stratus, apparabatur, ut pateret omnibus, & sciri posset ad honestum congressum praemissam & legitimam consuetudinem, ne vetita ac solita flagitia conspicerentur. Eam deinde pueri tres nobiles comitabantur, primus, qui facem accensam anteferret, virginitatis insigne, quod ignem sacrum aeternumque Vestae solae virgines custodirent, etiam quia, servato more maiorum, sponsa ad excutiendum pudorem noctu lintea velatis oculis ducebatur; alteri duo pueri, arreptam veluti per vim e matris gremio, puellam ad virum tumultuario cursu deferebant, ad auspicium futurae felicitatis, quod raptae a Romulo Sabinae prospere feliciterque vertissent, Romanamque rem & foecunditate prolis & reconciliatione suorum amplificassent. Velato capite incedebant, ut redeundi ad suos, discedendique a marito, viam non prospicerent, neve oculos in alium quempiam, quam in eum ipsum, ad quem ducebantur, deflecterent. Percutiebat limen, ut sciret, illo ingressam, iniussu viri nunquam egressuram, & cum egrederetur, nisi eodem rediret, caput, id est, decus & specimen suum, offensuram. Panarium cum farre & cibariis, aut canistrum, ferebat, ut intelligeret, illic sibi perpetuo vivendum esse, illic habitaturam. Eodem & camera cum mundo muliebri, scriniaque supellectili referta, pertinebant. Ingressa thalamum, cingulo

cingebatur ovilla lana confecto, quod mox a viro, cum thorum conscendisset, solveretur, futurae concordiae consensionisque auspicium, ut, quemadmodum illa cincta compactaque fuisset, ita coniuncta cum viro concorsque perseveraret. Tum eodem auspicio hasta gladiatoria, qua gladiator quispiam confossus occisusque fuisset, puella, coma discriminabatur, ut, veluti hasta Myrmillionis inhaeserat corpori, ita uxor viro consertaretur, vel potius quo prolis gignendae robur fortitudinemque auspicaretur, quod res Romana re bellica militarique constaret. Idem annulo ferreo sine gemma, sponsae digitis indito, augurabantur, quod non auro, non argento, non gemma, sed ferro solo & foecunditate prolis, Romanum crevisset imperium, vel ut, captato auspicio, filii fortes ac robusti nascerentur, & eorum, qui uxores ducerent, robur virilitatemque probarent, quod auspicium non solum nostris curae fuit, sed exterae quaedam nationes tenuerunt, inprimis Carnanii, qui trans Taurum incolunt, quorum nemini fas erat uxorem ducere, nisi prius cervicem caesi proelio hostis amputatam ad Regem pertulisset, ut, qui digni essent uxoribus, virtute atque robore probarentur, ceteri ut molles effoeminatique carerent. Persae vero initio verni aequinoctii, quo maior inesset membris calor, & valentior ad prolem robustam gignendam, duci uxores statuerunt, & qua die cum uxoribus

Mores Carnaniorum,

Persarum,

ipsis

ipsis congrederentur, quo sobria conciperetur proles, nil praeter malum aut cameli medullam vesci statuerunt. Sed de nostris sit sermo, quorum sanctiores nuptiae & fortiora pignora fuerunt. Puella verbena percincta caput, floribusque variis, tristis tamen, viri domum ingredi iubebatur, quod virginitatem, cuius foeminae cura debet esse praecipua, & recuperare nullis artibus potest, paulo post esset amissura. Ubi paulisper flevisset, lanea mox in sella considebat, quod, totam suppellectilem omnesque divitias lana constare, maiores voluerunt. Ideoque Talassionem nuptiis acclamare soliti, quod lanificii vim significationemque haberent, cui materfamilias praeponebatur, domesticaeque curae praeficiebatur omni; ut lanam, in qua universa erant veterum bona, conjectaret. Eandem ob rem euntem ad sponsum puellam iuvenes aliquot colum, fusum, stamenque praeferentes, antecedebant, quod in his & cura & studium futurum esset mulieris. Cum pervenisset ad ianuam, & pro foribus substitisset, interrogata, quod esset ei nomen? Caiam se vocari dicebat, quod eo fuisset mater Caia Coecilia, Tarquini uxor, una in lanificio mulier a priscis celebrata. Multa quoque ad omnes diuturnitates miscebantur. Nulli pronubae attingere sponsam permittebatur, nisi quae unum duntaxat habuisset virum, ceterae, quae nupsissent pluribus, procul inde arcebantur.

Reliqui Romanorum in nuptiis celebrandis servati mores, ritus, ceremoniae.

Viduae admittebantur nullae, quamvis arctissima propinquitate coniunctae, ut perennitas quaedam promitteretur, vitaque utrique longissima, nullis aliis nuptiis interrumpenda. Et cum fax illa, quam puer nobilis praeferebat, quantum satis esset, praeluxisset, ab amicis propinquisque utriusque diripiebatur, ne aut uxor eam nocte sub lecto collocaret, quam rem funestam viro arbitrabantur, aut vir in sepulchralibus funeribusque sacris comburendam curaret, unde fatum sponsae portendebatur. Tum hi pueri, quos diximus, omnes patrimi matrimique deligebantur, nec ulli, diversis parentibus nati, aut orbati altero illorum, anteibant, ut, qui futuri essent utrique liberi, non ex alio viro uxoreve alia susciperentur. Porro ad prolem multiplicandam & porca, quod foecundissima sit, nuptiis mactabatur, & nuces late ante ianuam, quod his ludere pueri soleant, spargebantur. Clavus item ad facilitatem partus in vestibulo figebatur, ubi res divina fieret. Faces quinque accensae in orbem puellam lustrabant, ne aut pauciores pareret in vita omni, aut uno partu plures, quod & discrimini foret parienti, & prodigiosum putabatur. Inter sacrificandum postes verrino adipe, ne qua fascinatio fieret, inungebantur, quod arcere ea res veneficia incantionesque putaretur. Aderant deinde novi apparatus ceremoniae. Ubi iam pernoctassent, postridie nuptiarum com-

compotatio promiscua viro uxorique apparabatur, repotionemque vocabant. Vir praeterea ignem & aquam, in quis commutatio vitae omnis sita est, uxori porrigebat, ut, quemadmodum his, quibus exilium indictum erat, civium communione, & igni, & aqua, interdicebatur, ita vir uxori, qua cum victurus habitaturusque esset, ignem atque aquam summi consensus mutuaeque societatis auspicium communicaret, vetabaturque alter alteri domo quicquam dare, quod fere ad nos usque pervenit, ne largitiones inter virum uxoremque fiant, quoniam supervacaneum erat, vicissim se donare, quorum omnia esse communia oporteret, nihilque alter haberet, quod non futurum & alterius videretur. Infinita quippe sunt, quae veteres instituerunt in ornandis nuptiis, quorum magnam partem ipsi reiicimus, quaedam obtinemus, scilicet, ut sponte fiat & cogi quis invitus non possit. Inde sponsam, quod sponte consentiat, putant appellatam. Et observatio temporis, ut non semper liceat. Quippe illi neque festis diebus virgines duci volebant, quod nefas esse putarunt, cuiquam vim inferri, neque viduas, nisi festis, cum concursus non fieret, & multitudo extra urbem per agros vagaretur, ita virginem adspici, a multitudine ad maritum euntem, pulcherrimum putabant, viduas non ita. Et Iunio aut Aprili, vel qui finitimi essent mensibus nuptias fieri decreverunt, quod

Nomen sponsae unde ortum.

Tempus celebrandarum nuptiarum a Romanis praestitutum.

quod ea pars anni laetior esset, & in excrementum humoremque uberior, gestireque omnia naturae impulsu viderentur ad fructus pariendos, universaque florerent. Haec, inquam, omnia a maioribus tradita nobis, etsi magna ex parte obsoleverunt, tamen pleraque adhuc ita constant, ut non mutata a nobis, sed emendata, esse videantur, tantoque nos honestius facimus nuptias, quam prisci, quanto est nostra religio sanctior, quam illorum fuit. Repudia & divortia sustulimus, rem divinam adauximus, amovimus auspicationes, ceremonias sanctiores instituimus. Primumque putavimus divelli a viro uxorem non posse, cum indissolubilia sunt opera Dei, & quod ille colligaverit, id dissolvere homines non debere. Maius est enim vinculum Dei, quam conglutinatio naturae. Instituit parens omnium Deus sanctissimum hoc mysterium, nec minore vi munivit, quam instituerat, voluitque sic esse confixum & stabile, ut mas in foemina, foemina in mari, & vivere & esse viderentur; nec esset sine altera alter, quorum sine altera alter nasci non potuit, fieretque nexus quidam arctissimus, non diversitate morum, non taedio convictus, non satietate consuetudinis, non morbo, non senio, non denique ulla humana vi, dissolubilis. Quod nisi e mente summi Dei fuisset, nunquam tantus omnium affuisset assensus, cum iam constet, nullam gentem fuisse nullamque nationem, quae

Quae tamen omnia in meliorem ordinem redacta adhuc florentissime vigent;

& ita quidem, ut, repudiis & divortiis sublatis, vinculum hoc, matrimonii scilicet, sit indissolubile.

Cuius contrahendi cupidine ad unum pene omnes ducuntur.

quae matrimonii legibus & nuptiarum solennitatibus non sit usa. Hoc barbari, hoc Graeci, hoc Latini, hoc omnis recessus orbis, omnis locus, omnes orae, tenuerunt, nec quisquam mortalium est aspernatus, nisi qui humano generi infestus, Deo invisus, sibi naturaeque ingratus, fuisset inventus; atque ita tenuerunt omnes, ut Principum extent civitatumque decreta, quibus ducere uxores iuvenes ad prolem augendam compelleretur. Itaque, ut multa sanctissime Lycurgus Lacedaemoniis, ita hoc quoque, instituit, ad civitatis amplificationem ratus & orbis terrarum ornamentum pertinere, ut quam plurimi nascerentur, legemque tulit, ut, qui uxorem non ducerent, hi & aestate arcerentur a ludis & spectaculis, ac conspectu prope omnium amoverentur; hyeme vero nudi forum circumirent, seseque detestarentur, & pati iusta dicerent, quod legibus non paruissent, quod, quantum in se esset, civitas non staret, nec imperium, sed servitutem mererentur, quia, quibus tueri & propagare imperium possent, non procrearent. Et cum quisquam iuvenis sponte quemque senem observaret, soli, qui uxoribus carerent, contemnebantur. Itaque cum ex his quidam annis plenus in theatrum venisset, postulassetque a iuniore locum: nunquam, inquit ille, o senex, tibi, cedam, quod pueros, qui aliquando & ipsi cedere mihi possent, non genuisti. Tulit & legem Augustus Caesar, eandem-

Inde est laudatissimum Lycurgi institutum,

Augusti Cae-

faris aliorumque leges.

eandemque & alii quidam postea confirmaverunt, ut iuventuti uxores darentur, populumque amplificarent. Nec contentus legem promulgasse, Augustus privigni filios adhuc pueros populo Romano in publico spectaculo ostendit, hortaturus, Germanicum, privignum suum, in tam pulcherrimo fructu, imitarentur. Et veteri lege crescere iussum est humanum genus, & annus ei concessus ad immunitatem, qui uxorem duxisset, & proletariorum maioribus nostris ingens fuit cura. Qui caelibem agerent vitam, nisi sacerdotiis functi, eiiciebantur e templis, quod, quantum ad eos spectaret, exstingui altarium ignem, & Dei cultum negligi ac funditus tolli, paterentur; hominum genere paulo post defecturo, nisi daretur liberis opera, per quos incolitur terrarum orbis & frequentatur. Etiam haereditatum & caducorum incapaces habentur indigni, quibus aliena bona legarentur, cum, quibus ipsi honeste legare possent, non procrearent. Ceteris & munera publica & iura filiorum & congiaria Principum conferebantur. Tanta & utilitas nuptiis & reverentia inerat. Quid igitur matrimonio sanctius? quod non ex opinione hominum inani, sed ex Principis omnium Dei mente, factum est, nec novissime institutum a nobis, sed ab illo iam a prima origine mundi huius excogitatum; habuitque prius uxorem homo, quam matrem, quam filios.

Ideo

Ideo & quod primum omnium habuit, iussus id est ad ultimum servare. Relinques, inquit Salvator, matrem & patrem, & fratres tuos, adhuc autem & sorores tuas, & haerebis uxori tuae. Quam ob rem ita, nisi quia mater & pater, fratres & sorores, naturae sunt opus, uxor Dei mysterium est? Ita, si quis parentem occiderit, supplicio quidem afficitur acerbissimo, sed quod sit in rerum natura, ut igni, aqua, aere, terra, careat, indignus his elementis, per quae pater vitam illi ingenuerat. Uxorem vero quisquis peremerit, divina quoque proponitur poena, excluditur sacris aedibus, hominum commercio exploditur, non vinum & ne siceram quidem bibere, non ludos adspicere, non in convivium venire, fas est. Interdicitur secundis nuptiis, & thesauro illo pretiosissimo Eucharistiae inhibetur, indignus viatico Dei, qui sustulit opificium Dei, nec alteras sperat nuptias, quoniam, quo sacrosanctius mysterium nuptiarum, eo se fecit indigniorem, qui violavit, omnium destituendus auxilio, tristitiaque opprimendus, qui uno scelere, & datum sibi a Deo auxilium, & praebitam laetitiae consortem, ausus fuerit exstinguere. Etiam Deus ipse nubere matrem voluit, non ut viro contaminaretur, quae semper esset virginitatem retentura, sed ut matrimonio non careret. Et ut nasci ipse sine viro voluit, ita sine nuptiis nasci non voluit, non quia necesse esset, matrimo-

Poena interficientis uxorem.

Augetur sanctitas matrimonii per ipsius Servatoris nativitatem in matrimonio factam.

trimonio gigni eum, qui ante omne matrimonium fuisset, verum ut matris exemplo ad illud ipsum nos hortaretur. Hoc civitates, hoc conventus, hoc pene mundus omnis consistit. Nam nisi certum esset cuique & exploratum de liberis, promiscuo ferarum more, aut spurca libidinis licentia nasceretur, quis diligeret, quis curaret, quos suos esse non crederet, nesciretque, an quicquam ad se pertineret? Vulgo nascitur, quisquis matrimonio non nascitur; nec legitimum ille habet patrem, cui mater contingit sine lege, non ad foedus societatis humanae, nexumque coniugalem devicta patri, sed ad tactum prurituinque congressa. Inde legum sanctitas decretaque veterum sapientum, instituere, neque posse eum haeredem esse, neque sacris initiari, cuius matrem patri nuptiae non devinxissent. Et Philosophorum quidam ad adolescentem, soluta atque impudica natum matre, cum saxa in forum iactaret, cave, inquit, o adolescens, ne patrem ferias, qui ad populum iactes. Populi est filius, immo nullius est filius, vel si ita mavis, potius cuiusque est filius, qui innuptae matris filius est. Matrimonium certos liberos facit, non dubios instituit haeredes; conventum naturae cohonestat, cupidinem ac impetum illum propagationis appetitumque congressus sine labe extinguit; marem foeminae, foeminam mari, certo cum fructu, nulla cum infamia, connectit. Sine matrimonio

Et est illud solum fundamen, per quod civitates, conventus, & omnis pene mundus consistit. Neque id tamen, nisi legitimum.

Commoda matrimonii.

monio nec paterfamilias dici quisquam, nec plane domus appellari, nec augeri ſtirps, nec communicatio conſiliorum fieri, poteſt, nec, benevolentia quae maxima ſit in terris, percipi. Uxor domum ornat, regit penetralia, virum ad omnia iuvat, adſtat conſiliis, laetis applaudit, triſtibus conſolatur, hoſpites ipſa excipit, propinquos, cum adveniunt, ipſa complectitur, penates curat, ut menſa, ut lectus, ut omnia, in parato ſint, facit, domeſticam ſupellectilem ipſa diſtinguit, ipſa tractat, ipſa componit, multa addit induſtria, diligentia cuncta digerit, fide univerſa cuſtodit, nocturnus diurnusque comes, ſocia thori, cuſtos laris, magiſtra domus, mater gentis, praefecta familiae, temo rei familiaris. Nihil fere habet, qui caret uxore, quod dicere poſſit ſuum; ſervi expilantur, ſuffurantur famuli, ſodales & vicini carpunt, non ſtipatoria, non capſae, non ſcrinia, tuta ſunt ab inſidiis, omnia iacent expoſita fraudi atque neglectui, ſitu omnia ſqualent, domus ſordida eſt tota, nihil reconditum, nihil diſtinctum, ſine modo, ſine ordine, ſine nitore, diſſipata & proiecta ſunt omnia. Tum qui uxorem non habet, domi non eſt, etiam cum eſt domi, alio cogitat, alio ſuſpirat, habitat tanquam externus in diverſorio, non animum, non domicilium figit, non cubiculum penatesque recognoſcit, invitus repetit lares, plenos ſolitudinis & con-

Incommoda caelibatus.

ſortii vacuos; denique non lumen lucet, non cibus ſapit, non potus, non quicquam gratum eſt ſine uxore. Si habeas filios, pudet adſpicere illegitimos, & ignominiae illorum te miſeret; ſi vero non habeas, deſertum te & deſtitutum ſine poſteritatis ſpe ingemiſcis. Tum ſi adſint divitiae, vel careas liberis, miſerum eſt, illas ad alienos pervenire, vel habeas extra legem natos, longe miſerrimum eſt, labores ſudoresque tuos maiorumque tuorum tuis liberis, tuo ſanguini, non poſſe relinquere. Uxorem vero in oculis adſpicere felicitas eſt, & per liberos ſucceſſionemque familiae & nominis, & quando eſt idem pene, quod tu, & duobus in corporibus unus eſt animus, unusque conſenſus. Sola uxor non invidet viro, aut uxori vir, eadem vult, quae tu, eadem illi triſtia, eadem iucunda, quae tibi, coniuncta vita, coniuncta fortuna, eſt, vix poteſt ſupereſſe in vita, cum demigras, ut Getarum illae, quae mortuis viris ſeſe una coniiciebant in rogos, quo ſimul morerentur, ut, quos vita coniunxiſſet, eos nec mors quidem divelleret. Magna vis eſt caritatis uxoriae. Sola infinite te amat, cum tota ex te uno dependet, tota in te uno quieſcit. Cedunt liberi, cedunt fratres, cedunt ipſi parentes, uxoris benevolentiae, & ſaepe uxor mariti mortem redemit, ſua vir uxoris. Nec temere venit in exemplum Rex ille, cui, aut, cum ſibi moriendum eſſet, aut alius, qui

Vis amoris caritatisque uxoriae

Exempla

qui sponte id subiret, opponendus, nullo propinquorum aut amicorum invento, sola uxor Alcesta se obtulit, & alter, cum ex lapsu serpentum instare aut sibi, aut uxori, Corneliae, mortem, augures praedixissent, idque in eius repositum arbitrio esse, caeso suo serpente, illa servata, ipse extinctus est. Infinita sunt exempla mutuae pietatis; nec ullus est affectus amoris tam vehemens & sanctus, quam qui viris bonis in uxores, uxoribus in viros, est. Hic praecepta insunt divina, ut uxor parentibus, liberis, rebus, post Deum omnibus, anteponatur; hic naturae merita longe superantur. Natura non amplius, quam unum, nobis dare patrem potest, uxor, ut multorum ipse pater efficiaris, potest; & pater uno nos gignit congressu, mater mensibus paucis absolvit. Uxor nobiscum est, nobisque inservit semper, nunquam discedit a nobis, nisi cum moritur, perdurat nobiscum ad vitae exitum, tam diu nos comitatur atque obtemperat, quam diu spirat. Filii aliquando exeunt e parentum potestate, vel emancipati, vel religionis libertate perditi, alterum sibi domicilium comparant & sibi ipsis vivunt, quaerunt, commercantur, sola uxor ne pedem quidem flectit a viro, semper in manu, in potestate nostra, est tota, nec ante desinit nostra esse, quam vivere. Quicquid illa lucri, quicquid iacturae facit, viro facit, divitiae illi eaedem, quae viro, paupertas eadem,

eiusque praestantia;

atque arctissima connexio inter virum & uxorem.

par dignitas, communis acceſſio. Et cum liberos diſcedere a parentibus, parentes a liberis, nulla lex vetat, & interdum aut anguſtiae domus cogant, aut peſtilens morbus impellat, aut cauſae aliae ſuadeant, uxorem humanae ac divinae leges unius cubiculi ſemper atque convictus conſortem eſſe voluerunt, ut, quae e viri coſta in viri auxilium facta eſſet, ea nunquam ſeiungeretur a viro, nec ſontico, nec elephantico morbo, nec ulla peſtilentiae vi, maritum derelinqueret, quia nemo diſcedit a ſe, nemo ſe ipſum derelinquit, comes in tectis, comes in lecto, comes in prole ſuſcipienda, in periculis, in laboribus atque in omni fortuna, in omnibus vitae actionibus comes, neque in ſomnis, neque in vigiliis, abſcedit, una caro, mens una, concordia inſtituta divinitus, humanis quoque legibus confirmata, recepta a barbaris, admiſſa per omnes ſeceſſus orbis terrarum, quia facile inſeritur omnium mentibus, quod divinum eſt. Iure itaque nulli ludi, nulla ſpectacula, feſta nulla, denique nulli vitae noſtrae actus, tanta ceremonia pompaque celebrantur, quanta nuptiae, cum fuerint ornatu rerum, amicorum congreſſu, concurſu propinquorum, apparantur tecta, parietes prope ipſi ac trabes excitae congratulari & geſtire laetitia videntur, novamque dominam laris conſalutare, ac poſcere novam familiam, per quam incolantur atque inhabitentur, nunc epithalamiis, nunc

Unde colligitur, iure meritoque in nuptiis celebrandis ritus, pompam, aliasque ceremonias adhiberi.


nunc cantu & tripudiis, complenda sunt omnia. Venit in novam domum nova domina domus, venit in familiam mater, mox futura familiae genetrix eorum, quos ipse procreabis, qui tuis rebus dominabuntur, te per omnia referent. Tu vero, marite, quisquis es, sic existima, venire ad te uxorem, matrem filiorum tuorum, aviam nepotum, Dei manu commendatam, tibi datam ad societatem, non ad servitutem, ad obsequium, non ad mancipium, ad imperium tuum, sed cum gratia, ad potestatem, sed cum reverentia, ut praesit vir, quoniam prior factus est, adsit uxor, quae ex illius costa illi similis facta est, non subsit, quae e latere, non ex pedibus, facta est.

Inter virum & uxorem vero summa est servanda aequalitas.

FINIS.



INDEX



INDEX
RERUM MEMORABILIUM.

A

Anguilla-

Brachii

Bra-

Bra-

Bra-

Carra-

D

Deorum

Homi-

Ter-

Tysar-



785